ACTA
APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ANNUS XXI - VOLUMEN XXI

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XXIX

A-

t

4

I.

Almus XXI - Yol. XXI Í5 Ianuarii 1929 Num. 1

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIO APOSTOLICA

IUBILAEUM UNIVERSALE EXTRA ORDINEM INDICITUR AD TOTUM ANNUM MDCCCCXXIX.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Auspicantibus Nobis singulari Dei beneficio annum a suscepto sacerdotio quinquagesimum, communi omnium Patri nihil fuit, nihil esse poterat optatius, quam ut una Nobiscum filii universi, coniunctis animis precibusque, Deo grates agerent ab eoque opem implorarent tum Nobismet ipsis, tum concreditae Nobis Ecclesiae tot malis periculisque circumventae opportunam; qua quidem ope muniti, et ad christianam amplificandam augendamque Fidem et ad vitam sanctius instituendam - quod in clero potissimam spectamus - omnes erigerentur.

Iucundissima igitur, eademque eo iucundior quo fuit promptior atque alacrior, mirifica illa accidit consensio, qua boni omnes eiusmodi eventum Nobis gratulantes, precibus per hos ipsos ineuntis anni dies privatim publice Deo adhibitis et votis laetisque ominibus ad Nos undique delatis celebrare aggressi sunt. Tantus enim ac tam subitus animorum motus id nimirum luculentissime

comprobat, piissimae sobolis esse, ut "cum aegritudines ac molestias tum laetitiam gaudiumque participet Patris, ob illam quandam veluti necessitudinem, qua tota domestici ipsius convictus societas continetur ac regitur. Lex enim est caritatis praecipua, ut haec non tam verbis quam factis demonstretur, quae quidem facta eiusmodi sint, ut in mutua quadam communione bonorum posita esse videantur.

Eadem vero lege Kos tam arcte adstringimur, ut cum filiis Nostris carissimis, pro facultate, bona participemus Nostra, eosdemque in Nostrorum communionem gaudiorum ita vocemus, ut propositis caelestium munerum thesauris, quorum est in Nostra potestate dispensatio, privatam Patris laetitiam communibus filiorum gaudiis atque utilitatibus cumulemus.

Quapropter, decessorum Nostrorum, in primisque Leonis XIII, vestigiis insistentes illud consilium inivimus, ut alterum annum sacrum extra ordinem, in Jubilaei universalis modum — qui vertente anno, idest ad plenum Decembrem mensem, contineretur — toto christiano orbi indiceremus. Iamvero largius paterna liberalitate reseratis, per totum hoc temporis spatium, Ecclesiae fontibus, vehementer confidimus, christifideles omnes iam nunc alacrius libentiusque iis salutis praesidiis sic usuros, ut mores privati ac publici emendentur, fidei vigor confirmetur pietatisque ardor excitetur. Etenim, si precandi studium, quod saepe, vel nuper, commendavimus, in christiano populo acrius incendatur, nullum Nobis Ecclesiaeque validius adiumentum gravissimis hisce potissimum reipublicae christianae temporibus obtingere poterit. Eo ipso igitur, quo f. r. decessor Noster Leo XIII, consilio permoti eademque spe ducti, Nos quoque sacrum iubilaeum indicimus « monendis cohortandisque quotquot sua est cordi salus, ut colligant paulisper sese, et demersas in terram cogitationes ad meliora traducant; quod non privatis solum, sed toti futurum est reipublicae salutare, propterea quod quantum singuli profecerint in animi perfectione sui, tantumdem honestatis ac virtutis ad vitam moresque publicos accedet ». Cum autem huc sacer annus spectet, ut laeta fidei incrementa in populo foveantur moresque ad evan-

gelicam legem rite componantur, videtur praeterea diei illius recordatio, quo die sacerdotali potestate aucti sumus, eos omnes, quotquot hac eadem potestate honestantur, commonere vehementius, ut vitam totam ad tanti ordinis dignitatem religiosius in dies sanctiusque conforment. Ex quo multiplici Jubilaei fructu, qui in singulos cives et in societatem humanam manabit, illam denique profecturam esse confidimus, quam quaerimus, pacis Christi absolutam perfectamque in Eegno Christi instaurationem.

Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, ad provehenda fidei incrementa, morum emendationem et potissimum cleri sanctimoniam, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus plenissimam peccatorum omnium indulgentiam ad generalis Jubilaei modum concedimus, ab hoc die usque ad plenum mensem Decembrem vertentis anni lucrandam, ita quidem ut sequitur:

I. Incolae et advenae intra ambitum exsistentes dioecesis Eomae:

1.° Sive eodem die, sive diversis diebus bis visitent Basilicas Lateranensem SSmi Salvatoris, Vaticanam S. Petri Ap. et Liberianam S. Mariae Maioris; ibique devotas preces per aliquod temporis spatium effundant ad mentem Summi Pontificis superius propositam ac generatim pro conversione peccatorum, exstirpatione haeresum ac schismatum, pro pace et concordia omnium principum, unde facilius consequentur exaltatio, prospectas et libertas Ecclesiae catholicae eiusque Capitis, Vicarii Iesu Christi.

Quod, si vel nimia locorum distantia, vel alio iusto impedimento, incolis praesertim suburbii ad memoratas Basilicas difficilis sit aditus, concedimus ut confessarii singulis permittant accessum ad aliam parochialem ecclesiam oratoriumve publicum, ubi Missae Sacrificium celebrari consueverit, ad easdem visitationes similiter complendas.

2.° Duobus diebus, praeter illos in quibus ieiunium et abstinentia ex praecepto obligant, ieiunent cum abstinentia ad normam canonum Codicis iuris canonici.

3.° Confessionem sacramentalem rite instituant, in qua a peccatis absolvantur, praeter confessionem annuam praecepto communi iniunctam; ac sancta Eucharistiae communione pie reficiantur, praeter communionem paschalem.

4.° Tandem aliquam eleemosynam pro sua quisque facultate et pietate, audito confessarii consilio, in aliquod opus pium elargiantur; praecipue Opus Propagationis et Praeservationis fidei commendamus.

II. Extra Eomanam dioecesim, ubique terrarum praescribimus duas visitationes, vel eodem die vel diversis diebus, pie peragendas in tribus ecclesiis vel oratoriis publicis, in quibus Missa saltem celebrari soleat, quae a loci Ordinario vel ex ipsius mandato assignanda erunt; quod si tot templa alicubi non habeantur, tres visitationes in duobus, aut sex in uno peragantur. Praeterea cetera superius recensita opera a singulis accurate perficienda sunt.

III. Pro iis qui sive Eomae, sive ubique collegialiter seu *processionaliter,* ut aiunt, duce parocho aliove designato sacerdote, visitationes instituere velint, Ordinarius poterit visitationes prudenti suo arbitrio etiam ad minorem numerum reducere.

IV. Visitationes possint peragi partim in una dioecesi et partim in alia; et in eadem dioecesi partim in uno loco, partim in alio; in templis tamen pro unoquoque loco legitime assignatis.

, V. Fideles, qui fuerint quavis iusta et rationabili causa impediti quominus vel aliquod ex recensitis operibus vel etiam omnia rite compleant, confessam poterunt dispensare, opera praescripta in aliquod aliud opus commutando.

VI. Eeligiosi omnes et quotquot hoc nomine veniunt in parte secunda libri secundi Codicis iuris canonici dispensari possunt tum singillatim tum collegialiter a suis immediatis Superioribus, commutatis operibus praescriptis in alia, quae tamen non sint sub praecepto debita; Congregationes autem religiosae laicales ab

eo -sacerdote, qui regimen earum exercet in foro externo; atque, occurrente necessitate, singuli a proprio confessario.

Confessarii, per totum Jubilaei tempus, generatim sequantur, in absolvendo et dispensando, disciplinam a Codice iuris canonici novissime inductam.

Minime tamen suspendimus extraordinarias facultates utcumque delegatas, quibus forte iidem potiuntur. Sed praeterea has, quae sequuntur facultates ipsis concedimus hoc anno exercendas, intra limites iurisdictionis sive ordinariae sive delegatae, qua a suis Ordinariis instructi sint. Scilicet, sive Romae, sive alibi absolvere valeant poenitentes rite dispositos ab omnibus casibus vel ab homine vel a iure, sub censura vel sine censura utcumque reservatis, exceptis dumtaxat casibus cum violationis secreti Sancti Officii, tum specialissimo modo Summo Pontifici reservatis (cann. 2320, 2343, 2367 et 2369 Cod. I. C), tum denique illis, pro quibus, vel post obtentam vi canonis 900 absolutionem, obligatio adhuc manet ad Sacram Poenitentiariam recurrendi et standi eius mandatis (cfr. Decretum Sacrae Poenitentiariae 16 Novembris 1928). Concedimus item singulis confessariis, ut supra approbatis, facultatem dispensandi ex rationabili causa in votis privatis omnibus, etiam iuratis, iis tamen exceptis quae canone 1309 Sedi Apostolicae reservantur, exceptoque voto acceptato a tertio, cui dispensatio proinde detrimento esset, nisi ipse iuri suo cesserit. Vota quoque poenalia commutari poterunt, sed in opus tandummodo quod aeque efficaciter a peccato retrahat.

Facultates huiusmodi absolvendi vel dispensandi illis solis applicari possunt, quibus sincerus est animus lucrandi Jubilaeum atque opera praescripta vel commutata adimplendi. Si tamen iidem fideles, applicatione iam obtenta, rationabili impedimento prohibeantur quominus cetera perficiant, benigne statuimus, acceptam applicationem fore item valituram.

Iisdem porro facultatibus confessarii utantur in solo foro conscientiae etiam extra sacramentali, nisi, ut patet, agatur de peccato sacramentaliter absolvendo*

Qui aliqua censura fuerint nominatim affecti vel uti tales publice renuntiati nequeunt tamdiu frui beneficio Jubilaei, quandiu in foro externo non satisfecerint prout de iure. Si tamen contumaciam in foro interno sincere deposuerint et rite dispositos sese ostenderint, poterunt, remoto scandalo, in foro sacramentali interim absolvi ad finem dumtaxat lucrandi Jubilaeum cum onere quam primum se subiiciendi etiam in foro externo ad tramitem iuris.

Jubilaeum, quod attinet ad plenariam indulgentiam sibi vel animabus purgatorii applicandam, bis aut pluries acquiri potest, iniuncta opera bis aut pluries iterando; sed tum tantummodo, cum Jubilaeum prima vice acquiritur, confessarii uti possunt, etiam pluries, facultate absolvendi a censuris et a casibus reservatis, commutandi vel dispensandi cum eodem poenitente qui nondum omnia opera iniuncta adimpleverit.

Vertente Jubilaei anno, nullatenus cessant indulgentiae alias concessae pro operibus distinctis ab operibus Jubilaeo lucrando praescriptis. Imo benigne concedimus, ad augendum cotidie magis precandi spiritum, ut omnes fideles, per huius anni spatium, lucrari possint indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum, quoties coram divino Eucharistiae Sacramento, vel clauso Tabernaculo, pias preces aliquandiu ad mentem Summi Pontificis effuderint; idque firmis indulgentiis pro eodem opere alias concessis. Qui autem singulis diebus per integram hebdomadam hanc piam visitationem peregerint, indulgentiam plenariam usitatis conditionibus acquirere possint. Praeterea, ad fovendam toto hoc anno cleri in sacro litando pietatem, singulis sacerdotibus tribuimus, fruendum usque ad diem xxxr mensis Decembris huius anni, privilegium personale, cuius vi indulgentiam plenariam quotidie possint, Missae sacrificium celebrando, uni animae in Purgatorio detentae applicare.

Ut autem Litterae hae Nostrae ad fidelium omnium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis etiam impressis^

manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius personae in ecclesiastica auctoritate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur hominum liceat hanc paginam Nostrae indictionis, promulgationis, concessionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Eomae apud S. Petrum, die vi mensis Ianuarii, in festo Epiphaniae Domini, anno millesimo nongentesimo vicesimo nono, Pontificatus Nostri septimo.

FR. ANDREAS CARD. FRÜHWIRTH,
Cancellarius S. B. E.

LAURENTIUS CARD. LAURI,
Poenitentiarius Maior.

ioseph. Wilpert, *Decanus Göll. Proton. Apostolicorum.*
Dominicus Jorio, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

***Beg. in Cane. Ap., vol. XXXIX, n. 37.* - M. Riggi.**

LITTERAE APOSTOLICAE

DE BULLA CRUCIATA

AD ALPHONSUM XIII

HISPANIARUM REGEM CATHOLICUM

PIUS PP. XI

Carissime in Christo Fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Providentia opportuna Decessores Nostri, omnibus rerum circumstantiis ac spiritualibus Hispaniarum populorum necessitatibus sedulo studio perspectis, *Bullam Cruciatavi* iterum iterumque prorogarunt. Originem suam ipsa duxit Bulla Cruciata ex Apostolicis Litteris, quas iam Hispaniarum Eeges Catholici, Decessores Tui, ab hac Sancta Sede receperunt, cum, Christianitatis vindices defensoresque, teterrimis Mediae Aetatis temporibus, cum suis pugnabant infideles adversus, qui gravissimis periculis damnisque non modo Hispaniarum sed totius quoque Europae Christianos populos divexabant atque angebant. Hisce quidem rationibus urgentibus, Praedecessores Nostri plures gratias favoresque tum spirituales tum temporales Bulla Cruciata eadem pro certo annorum spatio concessere illis ex hispanica dicione Christi fidelibus, qui vel ad bonum contra infideles certamen decertandum proficiscerentur, vel susceptas adversus eos aut suscipiendas militares expeditiones propriis sumptibus iuvandas curarent. Labentibus vero annis cum nulla amplius urgeret praeliandi contra infideles necessitas, eleemosynas pro indultis lucrandis, per Bullam Cruciatam eandem concessis, conrogatas, in praestitutos usus pios ac praesertim in divini cultus splendorem augendum ipsi Nostri Praedecessores erogandas decrevere. Porro in sollemni de ecclesiasticis negotiis Conventione, quae cum Hispaniarum Regina Catholica die xvi m. Martii anno MDCCCLI inita, Litteris Apostolicis Nonis Septembribus confirmata fuit, articulo quadragesimo cautum est, ut in posterum ditionis Hispanicae

intra fines Ordinarii Praesules in sua quisque dioecesi Bullae Cruciatae proventus administrent ad eos usus erogandos iuxta normam in ultima prorogatione Indulti Apostolici praescriptam, salvis obligationibus quibus iidem proventus, vi Conventionum cum Sancta hac Sede initarum, obnoxii sunt; in Conventione autem additionali die xxv m. Augusti inita anno MDCOCLIX expresse cautum fuit ut in posterum omnes Bullae Cruciatae proventus, salva eorumdem parte Sanctae Sedi debita, ut superius, in divini cultus expensas exclusive impendi deberent. Quod vero attinet ad facultates Apostolicas officio Commissarii Generalis Bullae Cruciatae adnexas, et consequentes attributiones, in memorato sollemnis Conventionis articulo quadragesimo statutum fuit, ut illae per Archiepiscopum Toletanum ea forma atque amplitudine exerceantur, quas Sancta haec Sedes praefiniverit. Ipsa quidem Bulla per Apostolicas Litteras die xxi m. Septembris an. MDCCCCIX Piscatoris annulo obsignatas, ad duodecim annos prorogata fuit a rec. mem. Leone Pp. XIII, finemque habuit prima Dominica Adventus anni MDCCCCXIV. Eandem vero Bullam bo. me. Pius Pp. X ad annum dumtaxat produxit per Secretariae Status mandatum sub die xxrv m. Iunii ipsius anni MDCCCCXIV; consilium enim mente susceperat Bullam enunciatam reformandi, ut magis illam praesentium temporum adiunctis respondentem redderet. Ipsius vero Pii Pp. X voluntatem ad exitum adduxit rec. mem. Decessor Noster Benedictus Pp. XY Litteris Apostolicis sub anulo die XII m. Augusti an. MDCCCCXV datis, quibus Cruciatae Bullam pro Hispaniarum Regno ad duodecim alios annos prorogavit a prima dominica Adventus eiusdem anni MDCCCCXV computandos. At etiam in praesens ad ipsius Regni christifidelium bono satius consulendum aliae emendationes atque additamenta praesertim ob iuris canonici Codicis promulgationem in supra dicta Bulla Cruciata desiderabantur; ideoque schema eiusdem novum tum Sacrae Congregationi Consistoriali tum Sacrae Congregationi pro ecclesiasticis negotiis extraordinariis propositum est atque ab eisdem recognitum. Nunc autem, exhibitas Tuo nomine Nobis per Tuum apud Nos Legatum preces ultro libenterque excipientes, Crucia-

tae Bullam, novo eiusdem textu recognito, pro Tuo Hispaniarum Éegno, motuproprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine praesentium Litterarum vi, ad duodecim annos prorogamus a prima dominica Adventus vertentis anni MDCCCCXXVIII computandos. Circa vero ipsius Bullae publicationem, eiusdem indulta quoad indulgentias, divina officia et sepulturam, confessionem et votorum commutationem; dispensationem ab irregularitate et ab impedimento afiinitatis et criminis; beneficiorum convalidationes et compositiones; legem abstinentiae et ieiunii; condiciones circa usus huius indulti; quoad denique privata oratoria, servari praecipimus religiose in omnibus condiciones legesque, quae in indiculo continentur, quod a memoratis Sacris Congregationibus adprobatum in Tabulario tertiae Sectionis Secretariae Nostrae Status a Brevibus Apostolicis asservari iussimus; cuius tenor sequens est: «INDULTA PONTIFICIA HISPANICAE NATIONI CONCESSA. *Publicatio Indultorum eorumque usus.* Indulta, Hispanicae Nationi a Sancta Sede concessa, singulis annis publicanda sunt. Annus computatur a die antea factae publicationis, usque ad diem novae faciendae publicationis. *Summaria* sumpta a fidelibus pro eorum usu valent, durante toto praedicto anno. Indulta autem semper prorogari intelliguntur, pro maiore christifidelium commoditate, ad unum integrum mensem post annum expletum ab eorum publicatione. Indultis omnes fruuntur, qui in Hispaniarum territorio versantur, vel in alio quocumque Hispanicae ditioni subiecto territorio, si tamen *Summaria* sumant. Indulto vero quoad abstinentiae et ieiunii legem tum in Hispanus tum extra Hispanias uti possunt, dummodo scandalum absit. Pro Indultorum licito validoque usu sufficit *Summaria* sumere. Subscribere in illis proprium nomen et cognomen necessarium non est; neque illa secum habere vel illa servare necessarium est. Taxa vel eleemosyna solvenda ad uniuscuiusque *Summarii* calcem consignanda est. Christifideles autem sciant huiusmodi proventus ad divinum cultum sustinendum principaliter destinari, ad pia beneficentiae opera, ad ipsius Bullae Cruciatae onera sustinenda. Horum indul-

torum exsecutor est dilectus filius Noster Cardinalis Archiepiscopus Toletanus, qui omnes ei tributas facultates singulis Ordinariis subdelegare potest ».

((Indultum quoad Indulgentias. - 1) *Plenaria* conceditur indulgentia, bis acquirenda intra annum Indulti, duobus distinctis diebus ad arbitrium eligendis, ex intentione praefatam lucrandi Indulgentiam, ab iis, qui, confessi, sacra Communione refecti fuerint, si possint, si vero non possint, dummodo id fecerint infra tempus praescriptum ab Ecclesia, praedicta habita intentione eandem acquirendi Indulgentiam. 2) Indulgentia conceditur *quindecim annorum* et *quindecim quadragenarum* iis, qui corde saltem contriti, voluntarie ieiunaverint quocumque ex diebus non consecratis ecclesiastico ieiunio, et aliquas vocales preces secundum Summi Pontificis intentionem effuderint. Praedictum ieiunium in aliud pium opus commutari potest, pro illis qui ieiunare non possunt, ab Ordinario, a parocho atque etiam a Confessario. Praeterea praedicta peragentibus conceditur participatio omnium piorum operum, quae diebus illis in Ecclesia militante fiant. 3) *Indulgentiae Stationum Almae Urbis,* in Rescripto S. C. Indulgentiarum die ix Iulii an. MDCCLXXVH dato (cfr. Rescrip. Auth. Indulg. n. 313, p. 239) recensitae, iis omnibus conceduntur qui aliquam ecclesiam vel publicum aut semipublicum Oratorium visitent, vocales fundendo preces secundum Summi Pontificis intentionem, addita tamen Confessione et Communione, si Indulgentia acquirenda plenaria sit. Quas Indulgentias duabus vicibus lucrari possunt illi omnes qui duo *Summaria* sumunt. Illi autem, qui ad Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta accedunt, possunt ea die, loco partialis Indulgentiae, *Plenariam* Indulgentiam lucrari. 4) Ad normam can. 930 iuris canonici Codicis omnes praefatae Indulgentiae animabus in Purgatorio detentis applicabiles sunt. 5) Omnibus qui *Summarium* sumunt, si intra annum Indulti moriantur, Indulgentia *Plenaria* in articulo mortis conceditur, dummodo confessi ac Sacra Synaxi refecti, vel, si id nequiverint, saltem contriti, Sanctissimum Iesu nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint,

et mortem, tamquam peccati stipendium, de manu Domini patienter susceperint. Haec Indulgentia animabus in Purgatorio detentis applicari nequit. 6) Ii praeterea christifideles Indulgentiam plenariam alicui defuncto applicare possunt si accepto *Summario,* condicionibus Confessionis et Communionis satisfecerint et pro eiusdem defuncti anima devote oraverint. Si vero, anno Bullae Cruciatae durante, duplex *Summarium* sumunt, iterum *Plenariam Indulgentiam* eidem defuncto vel diverso applicare poterunt ».

« *Indultum quoad divina officia et sepulturam.* - 1) Qui *Summarium* habent, possunt, tempore interdicti, cui causam ipsi non dederint, nec per ipsos stet quominus amoveatur, sive in ecclesiis, in quibus divina officia eo tempore permittantur, sive in privatis oratoriis rite erectis, Missas et alia divina officia vel per seipsos celebrare, si fuerint sacerdotes, vel facere ut in sua ac familiarium, domesticorum et consanguineorum praesentia celebrentur; sed clausis ianuis, non pulsatis campanis, excommunicatis et specialiter interdictis exclusis; et, in oratorio privato, aliquot pro Sanctae Ecclesiae exaltatione precibus fusis. Itemque eisdem in locis sacram Eucharistiam et alia Sacramenta suscipere possunt. 2) Decedentium corpora, qui *Summarium* habeant, nisi forte excommunicationis vinculo per condemnatoriam vel declaratoriam sententiam innodati decesserint, eodem interdicti tempore, cum moderata funerali pompa sepeliri possunt. 3) Ecclesiastici omnes sive cleri saecularis, sive regularis, recitatis vesperis et completorio, matutinum cum laudibus officii diei sequentis pridie recitare immediate post meridiem libere possunt ».

« *Indultum quoad confessionem et votorum commutationem.* - 1) Conceditur ut omnes, etiam Regulares *utriusque sexus,* licet expressa et individua mentione digni et quovis efficaciore privilegio excepti, absolvi tantum in foro conscientiae possint, iniunctis de iure iniungendis, semel in vita seu extra mortis periculum, et semel, in mortis periculo intra annum concessionis, vel bis in utroque casu si duplex *Summarium* sumatur, a quovis confessario sibi libere electo inter adprobatos *(pro utroque sexu,* si de monialibus

et quibuslibet aliis mulieribus agatur) ab Ordinario loci, a peccatis et censuris cuiuscumque et quocumque modo, etiam speciali, non vero *specialissimo,* reservatis a iure vel ab homine, ita ut vi praesentis concessionis, de speciali gratia, sic absoluti deinde ad alium quemcumque Superiorem recurrere non teneantur. In hac concessione facultas quoque comprehenditur absolvendi a casu falsae denuntiationis de crimine sollicitationis, de quo in canone 894 iuris canonici Codicis; sed confessarius electus a tali crimine non absolvat, nisi ad normam canonis 2363 ipsius Codicis. Quattuor vero censurae *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservatae ad normam tantum canonum 2252 et 2257 memorati Codicis absolvi poterunt. 2) Conceditur praeterea ut confessarius electus, ut supra, in solo conscientiae foro, etiam extra sacramentalem confessionem, possit omnia vota privata, in quibus ius quaesitum tertio non sit, atque exceptis votis perfectis castitatis perpetuae et religionis, post completum decimum octavum aetatis annum emissis, in alia pietatis opera dispensando commutare, iisque adiungendo aliquod subsidium transmittendum ad harum Litterarum Apostolicarum exsecutorem, atque in fines a Sancta Sede statutos adhibendum. Praesens Indultum non valet, nisi quis cum hoc Summario simul Indulti divinorum officiorum et sepulturae *Summarium,* nec non Indulgentiarum *Summarium* sumat ».

« *Indultum quoad dispensationem ab irregularitate et ab impedimento affinitatis et criminis.* - 1) Exsecutor harum Litterarum Apostolicarum possit dispensare super irregularitate cum iis qui censuris ligati Missam celebraverint, vel alia divina Officia peregerint, non tamen in contemptum Clavium, et ex Ordinis non debiti exercitio ante susceptum Presbyteratum, nec non super irregularitate ex legitimorum natalium defectu, dummodo de adulterinis vel sacrilegis non agatur, ad effectum suscipiendi primam clericalem tonsuram^et sacros Ordines usque ad Presbyteratum inclusive, et super alia qualibet irregularitate ex delicto proveniente, exceptis irregularitatibus ex homicidio voluntario, etiam occulto, aut ex apostasia a Fide, aut ex haeresi, vel ex alio delicto scandalum in populum generante, provenientibus, et exceptis irregu-

laritatibus ad Sanctum Officium pertinentibus, imposita dispensatis consueta eleemosyna, in fines a Sancta Sede statutos impendenda, ceterisque iniunctis de iure iniungendis. 2) Possit idem Exsecutor harum Litterarum Apostolicarum dispensare ab impedimento *publicae honestatis in primo* gradu lineae rectae, nec non ab impedimento *publicae honestatis* in secundo gradu lineae rectae ex concubinatu publico vel notorio, aut ex matrimonio invalido, ad ineundum matrimonium, sive etiam ad initum matrimonium convalidandum, dummodo nullum subsit dubiam quod alteruter contrahentium possit esse proles ab altero genita; imposita dispensatio aliqua eleemosyna ad fines a Sancta Sede statutos impendenda».

Idem dispensare possit (haec tamen facultas non erit publicanda in Summario) in occulto criminis impedimento, neutro machinante, sive ut supra ad ineundum, sive ad initum matrimonium convalidandum, iniuncta eleemosyna ut superius indicatum est.

« *Indultum quoad beneficiorum convalidationes et quoad compositions.* - 1) Possit harum Litterarum Apostolicarum Exsecutor convalidationem concedere super titulo cuiuscumque ecclesiastici beneficii, si bona fide beneficiatus in illius possessionem immissus fuerit, excluso tamen casu quod collationis seu institutionis nullitas ex simonia proveniat. 2) Possit idem Exsecutor perceptos bona fide fructus remittere, in praecedenti casu, iniuncto tamen aliquo congruo subsidio ad finem a Sancta Sede statutum adhibendo. 3) Possit etiam Exsecutor ad congruam compositionem admittere bénéficiâtes omnes, qui ad restitutionem fructuum tenentur ob omissam Horarum canonicarum recitationem, vel ob neglectum aliud beneficii officium, exclusa tamen Missarum celebrandarum omissione. 4) Possit item Exsecutor admittere ad congruam compositionem omnes ob iniuste ablata, acquisita, quocumque modo retenta, quacumque causa, si tamen id in confidentiam Indulti factum non fuerit, et si adhibita debita diligentia incertus sit dominus vel reperiri nequeat. 5) In compositionis casu, ut in paragraphis tertio et quarto, quae solvan-

tur in finem a Sancta Sede adsignatum impendenda sunt. Ubi autem admodum grave sit aliquid solvere, Exsecutor plenam debiti remissionem facere possit. Ceterum, quovis in casu, decimam quantitatis non bene acquisitae partem solvere sufficit. Ac si agatur de non notabili quantitate, quae nempe summam centum pesetarum non excedat, *compositio* plenum suum sortitur effectum, ipso facto sumendi *Bullas compositionis,* quin opus sit ad quempiam recurrere ».

Nota bene. Nihil determinatur quoad quantitatem solvendam ratione compositionis, paragraphis 3) et 4) quia, cum in compositione respiciendum sit animarum bonum, et consequenter iudicium quantitatis solvendae a variis practicis circumstantiis pendeat, unde aliquando etiam, ut habetur paragrapho quinto totum sit simpliciter remittendum, praeter solutam pro *Summario* taxam, remittitur prudenti arbitrio, omnibus bene perpensis, determinatio quantitatis solvendae. Qua in re, ut patet ex dictis, scrupolose procedendum non est, et potius cum liberalitate quam cum rigore agendum est.

((Indultum quoad legem abstinentiae et ieiunii. - 1). Omnibus absolute quacumque die et refectione lacticinia, ova et pisces comedere licet. 2) Abstinentia a carne et a iure carnis servanda est tantum feriis sextis Quadragesimae, Quattuor Temporum, nec non tribus pervigiliis Pentecostes, Assumptionis B. Mariae Virginis in caelum, Nativitatis D. N. Iesu Christi. 3) Ieiunium servandum tantum erit feriis quarta et sexta, nec non sabbatis Quadragesimae, et tribus pervigiliis, praecedenti paragrapho secundo notatis. Pervigilium Nativitatis anticipatur ac remittitur ad sabbatum proxime praecedentium Quattuor Temporum. *Condiciones circa usum praecedentis Indulti.* Indulto paragrapho primo et secundo, integra manet lex ieiunii, seu unicae comestionis per diem, pro illis qui ieiunare tenentur secundum paragraphum tertium. Eodem Indulto non fruuntur,- nisi illi tantum qui sumpserint praesens *Summarium* et Indulgentiarum ac divinorum officiorum *Summaria* et solverint taxatam eleemosynam, quae in beneficium Seminariorum et

alios pios fines a Sancta Sede adsignatos applicanda est. Indultum hoc sumi potest *Summario* collectivo pro se et tota familia extensive ad quoslibet familiares, hospites etiam ad brevissimum tempus et commensales. Summarium istud collectivum eosdem omnino effectus habet si a matre familias sumitur. Pauperes *Summaria* praedicta sumere non tenentur, nec ullam eleemosynam largiri, ut indulto fruantur quoad legem abstinentiae et ieiunii. Tenentur vero si aliis Indultis frui velint. Omnino excluduntur ab Indulto eodem, quoad abstinentiae legem, Regulares, qui, ex speciali voto, esuriales cibos toto anno servare tenentur.

«*Indultum de privatis oratoriis.* - 1) Sacerdotibus conceditur facultas Missam celebrandi in quovis privato oratorio, canonice erecto atque adprobato ab ecclesiastica auctoritate, et quolibet die, excepto Maioris Hebdomadae ultimo triduo, quamvis aliae vel plures Missae ibidem ex Indulto celebrari queant et sine praeiudicio eiusdem Indulti. 2) Laicis permittitur, dummodo Ordinarii locorum id necessarium vel vere utile censeant, ut in quovis privato oratorio, ut supra, Missam in sua praesentia celebrandam curare possint per quemcumque rite probatum sacerdotem, eidemque sacratissimo Sacrificio adsistendo praecepto sacrum audiendi satisfacere queant ».

Nota bene. - Varia Indultorum, quae facta est, distinctio est tantum ad varia Indulta proprio in loco et ordinate exponenda. Exsecutor Litterarum Apostolicarum poterit ipse, prout melius iudicabit, inde varia extrahere et conficere *Summaria,* plura vel pauciora, pro suo prudenti arbitrio. Quapropter possunt omnia praecedentia Indulta simul colligi in *Summario Cruciatae,* excepto Indulto abstinentiae et ieiunii, quod separari ab aliis potest, illud substituendo *Indulto Quadragesimali* quod hactenus publicatum est.

Quae cum ita sint, volumus et mandamus ut Archiepiscopus Toletanus, utpote horum Indultorum Exsecutor eorundem Summaria typis edenda curet, eaque reliquis Ordinariis iuxta illorum postulationes distribuat. Propterea, Apostolica item Nostra auctoritate, concedimus ut idem Toletanus Archie-

piscopus Exsecutor has Nostras Litteras in vernaculam linguam convertere, illasque et quae in illis continentur, sive Summaria aut indultorum ac facultatum compendia in quibuslibet Hispanicae ditionis locis, viva voce, seu scriptis aut per typos impressis exemplis publicare atque enunciare queat. Christifideles vero ex utroque sexu, in Hispaniarum Regno et in locis civili ipsius regni gubernio subiectis degentes, ut privilegiis, favoribus et gratiis supra dictae Bullae Cruciatae participes fiant, enunciata Summaria accipere debebunt, et pro vario ipsorum gradu et condicione taxatam eleemosynam persolvere. Tam Archiepiscopus Exsecutor, in archidioecesi Toletana, quam in respectiva sua dioecesi unusquisque Praesul pro huiusmodi eleemosynis colligendis idoneos sibi adiutores nec non depositarios, ratiocinatores aliosque similes Officiales deputare, et cum opportunis facultatibus constituere poterunt; Archiepiscopo autem Exsecutori fas sit ea omnia peragere, quae ipsi pro faciliore praesentium Litterarum Apostolicarum exsecutione magis apta videantur.

Haec omnia et singula concedimus atque indulgemus, decernimus ac mandamus, non obstantibus Sanctae huius Sedis et Conciliorum quoque generalium constitutionibus et ordinationibus, ceterisque decretis qualibet forma editis, aliisque contrariis quibuslibet. Praesentium vero Litterarum Apostolicarum ad effectum quoad Indulgentias, praescriptionibus expresse derogamus quae in Motu proprio a rec. mem. Pio Papa X die vii m. Aprilis anno MDCCCCX, edito continentur. Volumus tandem ut harum Litterarum exemplis, sive transumptis, etiam per typos editis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae voluntati Nostrae his ostensis Litteris haberetur.

Datum Eomae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV m. Augusti, an. MDCCCCXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

P. CARD. GASPAREI, *a Secretis Status.*

EPISTOLA

AD R. P. D. HECTOREM FELICI, ARCHIEPISCOPUM TIT. C0RINTHD3NSEM, EUNDEMQUE NUNCIUM APOSTOLICUM APUD REMPUBLICAM CHILENSEM, QUEM DEPUTAT LEGATUM SUUM AD CONVENTUM EUCHARISTICUM EX UNIVERSA REPUBLICA SERENOPOLI HABENDUM.

PIUS PP. XI

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — In tanta ioiquitate rerum quibus afficiatur Ecclesia, in magnam quidem spem melioris aevi animus Noster erigitur cum passim cernimus per catholicum orbem in dies cultum augeri Sacramenti augusti, ac studio quasi inter se certare gentes ut publicis sollemnibusque honoribus hoc divini amoris mysterium prosequantur. Ac merito quidem: ubinam enim salutis viam vel opportuna solatia invenient omnes qui laborant et onerati sunt, nisi in sacrosancta Eucharistia, qua cum Deo homines iunguntur ipsoque, quasi futuram praecipientes beatitatem, quodammodo fruuntur[1]? Itaque facile intelliges, venerabilis frater, quam libenter Nos didicerimus, conventum eucharisticum, quartum quidem ex tota natione Chilensi, Serenopoli mox actum iri, iamque Episcopum illius dioecesis cum ceteris sacris pastoribus impensam dare operam ut omnia digne apparentur. Hanc Nos communem sollertiam dilaudantes, volumus equidem ut in re tanti ponderis nihil desideretur quod ad celebrationis istius splendorem animarumque fructum pertineat. Quapropter te, venerabilis frater, his litteris eligimus qui, personam Nostram gerens, nomine et auctoritate Nostra Serenensi Conventui praesis, aliasque caeremonias modereris; id fore plane confisi ut Chilenses fideles, qui frequentes certe Serenopolim convenient, avita fide roborati et caritatis igne succensi, alacrius in dies optabilia omnia urgere pergant ad catholicae civilisque rei utilitatem. Ad hanc rem, indulgentias, privilegia, indulta et dispensationes confirmamus quae in Apostolicis Litteris, die VII mensis Martii anno MDCCCCXXIV datis, concessimus. Interea, id precantes ut plene in ista Eepublica pax Christi optatissima in regno Christi triumphet, caelestium conciliatricem munerum ac paternae benevolentiae Nostrae testem, apostolicam benedictionem tibi, venerabilis frater, singulis Episcopis iisque omnibus qui coetibus intererunt amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xx mensis Iulii anno MDCCccxxvm, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. XI

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XI successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

7 Decembris 1928. — Cathedrali Ecclesiae Lyciensi praefecit R. P. D. Albertum Costa, hactenus Episcopum Melphiensem Rapollensem et (propter unionem *in personam)* Venusinum.

4 Ianuarii 1929. — Cathedrali Ecclesiae Roffensi in America, R. P. D. Ioannem Franciscum O'Hern, hactenus eiusdem dioecesis Administratorem Apostolicum.

— Cathedrali Ecclesiae Sacramentensi, R. D. Robertum Armstrong^ parochum ad S. Pauli in *Yalcima,* dioecesis Seattlensis.

7 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Sionensi, R. P. D. Raymundum Perez y Rodríguez, Pro-Cappellanum Maiorem Regis Catholici, ac Vicarium Castrensem Hispaniarum, hactenus Episcopum Pacensem.

11 Ianuarii. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Petrensi, Emum P. D. Aloisium tit. S. Georgii in Velabro S. R. E. Card. Sincero, qui eandem Ecclesiam dimisit post peractam episcopalem sui consecrationem, die 13 subsequenti.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

NOTIFICATIO

Si rende noto che il sacerdote Ludovico Lucantonio è stato privato dalla Sacra Congregazione dei Concilio, per gravi ragioni, non solo dei Beneficio da lui posseduto in Roma, ma anche dell'abito ecclesiastico.

Roma, 5 Gennaio 1929.

f Giuli o Vesc. tit. di Lampsaco, *Segretario,*

SACHA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

NOMINATIONES

Decreto Sacri Consilii de Propaganda Fide diei 22 Decembris 1928, E. D. Alfredus Lellis archidioeceseos Torontinensis renuntiatus est Praeses Consilii Centralis Pontificii Operis a Propagatione Fidei pro regione Canadensi occidentali.

Item decreto eiusdem Sacrae Congregationis diei 28 Decembris 1928 E. D. Taddaeus Zakrzewski adlectus est in Consilium Superius Generale eiusdem Pontificii Operis pro Polonia.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

MONAGEN. ET FRISINGEN.

CONFIRMATIONIS CULTUS AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI VEN. SERVAE DEI IRMENGARDI, ABBATISSAE ORD. S. BENEDICTI, BEATAE NUNCUPATAE.

SUPER DUBIO

An sententia lata ab Emo Domino Cardinali Archiepiscopo Monacensi super cultu seu casu excepto praefatae Servae Dei sit confirmanda?

Irmengardes iuxta antiquissimam traditionem circa annum 832 nata ex genitoribus Ludovico Teutonico Eege, Caroli Magni nepote, et Hemma eius uxore, Regina, non est confundenda cum Irmengarde prima uxore Ludovici nec cum Irmengarde, comitissa de Süchteln quae sancte vixit et post a. 1082 piissime obiit et in dioecesi Coloniensi cultu publico, ab Apostolica Sede approbato, die 4 Octobris religiose honoratur. Nostra autem Irmengardes Chiemensis nuncupatur ob rationes infra adducendas. In libro Confraternitatis Sangallensis, primo loco inscribuntur cum matre Regina Hemma quatuor eius filiae Hildegardes, Irmengardes, Berta, Gisela, cum quibus Dei famula primam aetatem recte honesteque peregit. Hildegardes et Berta, virginum coenobiis a patre acceptis, tamquam abbatissae, praefuerunt. Irmengardes, quae inter ceteras sorores et arnicas religione et pietate eminebat, saeculi pompis, illecebris et divitiis valedicens se totam divino servitio devovit. Quapropter a genitore petiit atque obtinuit prius

monasterium Buchawiense, postea monasterium seu abbatiam regalem Chiemensem simulque dotem ad illa restauranda. In hoc monasterio ipsa, virtutis et perfectionis forma, uti magistra et abbatissa, sibi sociavit multas virgines, unde meruit elogium Gerardi, abbatis Seeonensis, quod «ovile guum deduxit ad Agnum, Agno dans plures virgineas comites, sanctis eara Deo meritis, eximiis undique plena bonis, sponso sponsa dicata Deo ». Itaque Irmengarden duo fundavit seu instauravit monasteria eaque instruxit omni supellectili et bonorum copia ditavit ad divinum cultum augendum et ad momalium indigentias sublevandas. In monasterio Chiemensi tamquam in horto et viridario moram fixit et virginibus sodalibus omni bono opere praeluxit. Ieiuniis, vigiliis et orationibus simulque caritatis et misericordiae operibus in egenos et pauperes summum Deum propitium et benignum reddere satagebat. Scriptores, poetae atque .artifices, secundum proprias scientias et bonas artes, Irmengardis praeclaras virtutes et gloriosa gesta illustrarunt. Dei Famula in paucis vitae annis multa explevit tempora. Meritis plena, arcanam quandam Sponsi vocem audiens *Veni sponsa* ad caelestes divini Agni nuptias evolavit die 16 Iulii a. 866 in aetate triginta quatuor annorum. Servae Dei corpus in eiusdem monasterii ecclesia in arca marmorea honorifice depositum fuit. Chiemenses moniales fideliumque populus famulam Dei invocare et venerari coeperunt, eiusque cultus per plus quam undecim saecula perdurans usque in hodiernum diem floruit et floret. Ideo quaestio moveri licuit de cultu immemorabili famulae Dei seu de casu excepto a decretis Urbanianis. Cuius Causa ob varia impedimenta, ultimo propter immane bellum europaeum et subsequentes perturbationes, mansit suspensa, in Curia Archiepiscopali Monacensi deinceps resumpta et absoluta fuit cum sententia affirmativa et declaratoria Eminentissimi Archiepiscopi Ordinarii sub die 4 Octobris 1923. Acta processualia ad Sacram Rituum Congregationem transmissa fuerunt cum litteris datis die 2 Aprilis 1924. Instantibus autem Germaniae Episcopis, Fuldae congregatis, una cum coetu Episcoporum Bavariae, in civitate Frisingensi coadunato, R. P. Gabriel Locher, monachus O. S. B., Secretarius Rmi P. Abbatis Primatis et huius Causae legitimus Postulator, humillime petiit atque obtinuit a Ssmo Domino Nostro Pio Papa XI, per decretum S. R. C. diei 20 Octobris anni 1926, ut ista Causa cultus immemorabilis apud hanc Sacram Congregationem ageretur iuxta veterem iuris ordinem et modum, cum dispensatione a novissimis Apostolicae Sedis decisionibus. Hic innuere libet quod in actis processualibus impressis et Eminentissimorum Patrum iudicio subiectis plura continentur argumenta ab actoribus Causae exhibita ad probandum cultum publicum ecclesiasticum perseverantem usque in praesens Abbatissae Irmengardi praestitum, iuxta veterem

normam decretorum sa. me. Urbani Papae VIII. Inter cetera enumerantur et describuntur: elevatio, visitatio et translatio canonica reliquiarum cum solemnitate et processione; pietas, fiducia et concursus fidelium ad easdem reliquias et imagines venerandas; ipsae imagines depictae cum titulo Beatae, radiis lucentibus et diademate in capite, gestantis baculum abbatialem, a peritis iuratis probatae; corona precum in honorem Beatae, Festum celebratum die 17 Iulii cum Officio et Missa, et panegyrico; tabellae voti vae ad sepulcrum et altare pro beneficiis impJoratis et acceptis, epitaphium an. 1004 a Gerardo Abbate Seeonensi compositum, qui fuit praelatus insignis et S. Henrico Imperatori intimus familiaris. Itaque instante praelaudato adm. Rev. P. Gabriele Locher O. S. B., attentis litteris postulatoriis Emorum Patrum Cardinalium, Archiepiscoporum Monacen, et Frisingen., Colonien, et Episcopi Wratislaviensis, necnon Revmorum Archiepiscoporum et Episcoporum Bavariae et Germaniae; rogantibus etiam abbatissa et sanctimonialibus coenobii Chiemensis, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Franciscus Ehrle eiusdem Causae Eelator, in Ordinariis sacrorum rituum Congregationis comitiis, subsignata die ad Vaticanas aedes coactis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An sententia lata ab Emo Domino Cardinali Archiepiscopo Monacensi et Frisingensi super cultu seu casu excepto praefatae Servae Dei sit confirmandae* Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Carolo Salotti, Fidei promotore generali, omnibus accurate discussis ac perpensis rescribendum censuerunt: *Affirmative seu sententiam Emi Archiepiscopi Monacensis et Frisingensis esse confirmandam.* Die 18 Decembris 1928.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XI per R. P. D. Carolum Salotti, Fidei promotorem generalem, relatione, Sanctitas Sua rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habuit et probavit, die 19 eisdem mense et anno.

£g A. CAED. VICO, Ep. Portuen. et S. Eufinae,
S. B. C. Praefectus.

L. **83** S.

Angelus Mariani, *Secretariis.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Sabato 22 Dicembre 1928 la Santità di Nostro Signore ha ricevuto in solenne Udienza Sua Ecc. il Signor RODOLFO KOHLRUSS, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario d'Austria, per la presentazione delle lettere Credenziali.

SAGRA CONGREGAZIONE PER LA CHIESA ORIENTALE

NOTIFICATIO

Cum aedes Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali et Commissionis pro Russia nuperrime ampliatae fuerint, eadem servata sede, aditus ad eas erit in futurum ex via *Borgo Nuovo, 76.*

Quare litterae et alia ad Secretariam huius Sacrae Congregationis mittenda, hoc modo inscribantur : *Sacra Congregazione per la Chiesa Orientale - Borgo Nuovo, 76 - Roma (q. 113).*

Eadem directio servanda erit pro litteris mittendis ad «.Pont. Commissionem pro Russia».

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 6 Gennaio 1929, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con *Y* intervento degli Emi e Revmi Signori Cardinali e col voto dei Revmi Prelati e dei Consultori teologi, componenti la Sacra Congregazione dei Riti, si è tenuta la Congregazione *Preparatoria* per discutere il dubbio sopra due miracoli che si asseriscono da Dio operati per intercessione della Venerabile Serva di Dio Teresa Margherita Redi, del Sacro Cuore di Gesù, Religiosa professa dell'Ordine dei Carmelitani Scalzi, i quali miracoli vengono proposti per la sua beatificazione.

Martedì, 15 Gennaio 1929, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Emi e Revmi Signori Cardinali e col voto dei Revmi Prelati Officiali e dei Consultori teologi, componenti la Sacra Congregazione dei Riti, si è tenuta la Congregazione *Preparatoria* per discutere il dubbio se consti del martirio, della causa del martirio e dei segni o prodigi del Servo di Dio Der Gomìdas Keumergian, o Cosma da Carboniano, Sacerdote armeno, ucciso, come si asserisce, in odio alla Fede.

NOTA DELLE **CONGREGAZIONI** DEI **SACRI RITI**

DA TENERSI NBLL^NNO 1929

1. - *8 Gennaio.* Congregazione preparatoria sui miracoli della Ven. **Serva** di Dio Teresa Margherita Redi.
2. *r- 15* » Congregazione preparatoria sopra il martirio del Servo di Dio Cosma di Carboniano.
3. - *29* » Congregazione preparatoria sopra i miracoli del Ven. Servo di Dio Claudio de la Colombière.
4. - 5 *febbraio.* Congregazione antipreparatoria sopra i miracoli della Ven. Serva di Dio Elisabetta Bichier des Ages.
5. - *19* » **Congregazione generale.**
6. - *26* » Congregazione preparatoria sopra i miracoli del Ven. Servo di Dio Fr. Francesco da Camporosso.
7. - *5 Marzo.* **Congregazione generale.**
8. - *12* » Congregazione preparatoria sopra i miracoli dei Beato Teofilo da Corte.
9. - *9 Aprile.* **Congregazione generale.**
10. - *16* » Congregazione añtipreparatoria sopra il martirio del Ven. Servo di Dio Giorgio Haydock e compagni.
11. - 23 » **Congregazione generale.**
12. - *7 Maggio* **Congregazione generale.**
13. - *14* » Congregazione añtipreparatoria sopra il martirio del Ven. Servo di Dio Giovanni Ogilvie.
14. - *28* » **Congregazione generale.**
15. - *4 Giugno.* Congregazione ordinaria.
16. *-11* » Congregazione antipreparatoria sopra i miracoli del Beato Salvatore da Orta.
17. - *18* » Congregazione ordinaria particolare.
18. - *2 Luglio.* Congregazione preparatoria.
19. - *9* » Congregazione ordinaria.
20. - *23* » Congregazione preparatoria.
21. - *6 Agosto.* Congregazione antipreparatoria sopra i miracoli delia Ven. Serva di Dio Paola Frassinetti.
22. - *29 Ottobre.* Congregazione antipreparatoria sopra i miracoli del Ven. Servo di Dio Antonio Maria Claret.
23. - *12 Novembre.* **Congregazione generale.**
24. - *19* » Congregazione ordinaria particolare.
25. - *3 Dicembre.* Congregazione antipreparatoria.
26. - *17* » Congregazione ordinaria.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

24 Novembre 1928. Monsig. Colombano Dreyer, O. F. M., Arcivescovo tit. di Aduli, *Delegato Apostolico neW Indocina.*

29 » » Monsig. Edoardo Michaud, dei Padri Bianchi, *Vicario Apostolico di Tabora.*

17 Dicembre » *V* Emo Sig. Cardinale Camillo Laurenti, *Pro-Prefetto della Sacra Congregazione dei Piti.*

» » » L'Emo Sig. Cardinale Enrico Alessio Lepicier, *Prefetto della Sacra Congregazione dei Religiosi.*

3 Gennaio 1929. L'Emo Signor Cardinale Camillo Laurenti, *Protettore del Pontificio Istituto Polacco in Roma.*

Assistente al Soglio Pontificio :

10 Novembre 1928. Monsig. Vincenzo Alonso y Salgado, Vescovo di Cartagena."

Protonotarii Apostolici ad instar participantium:

19 Luglio 1928. Monsig. Nicola Fasolino, dell'archidiocesi di Buenos Aires.
» » » Monsig. Antonio Rocca, della medesima archidiocesi.
1 Dicembre » Monsig. Edmondo Kretz, della diocesi di Strasburgo.
19 » » Monsig. Giuseppe Consoli, della diocesi di Cefalù.
3 Gennaio 1929. Monsig. Pietro Borninski, della diocesi di Plock.
5 » » Monsig. Zefirino Lahaye, della diocesi di Nicolet.
» » » Monsig. Alessandro Hartmann, della diocesi di Misnia.

Prelati Domestici di S. S.:

2 Giugno 1928. Monsig. Arturo Cozzi, dell'archidiocesi di Benevento.
15 Ottobre » Monsig. Paolo Hiboux, della diocesi di Friburgo (Svizzera).
16 » » Monsig. Teodoro Mackowski, della diocesi di Danzica.
1 Dicembre » Monsig. Carlo Kolb, della diocesi di Strasburgo.
» » » Monsig. Ferdinando Vuillard, della medesima diocesi.
9 » » Monsig. Carlo Duchemin, della diocesi di Southwark (resid. Roma).
14 » » Monsig. Giuseppe Dean, dell'archidiocesi di Liverpool.
18 » » Monsig. Enrico Bertemati y Pareja, delParchid. di Siviglia.
22 » » Monsig. Giovanni Korotnoki, della diocesi di Eperjes dei Ruteni.

22 Dicembre 1928. Monsig. Nicola Rusznak, della medesima diocesi.
» » » Monsig.. Tommaso Bianchetta, dell'archidiocesi di Torino.
28 » » Monsig. Carlo Grosso (Roma).
5 Gennaio 1929. Monsig. Adamo Gerstmann, dell'archidiocesi di Leopoli dei Latini.
» » » Monsig. Stanislao Sokolowski, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Carlo Franco, dell'archidiocesi di Torino.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Placca dell'Ordine Piano:

22 Dicembre 1928. Al sig. comm. Francesco Saverio Seganti (Roma).

La Commenda dell'Ordine Plano :

14 Novembre 1928. Al sig. Adolfo Mayer (resid. Würzburg).

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

7 Novembre 1928. Al sig. Giuseppe Espasa y Escayola, della diocesi di Barcellona.
» » » Al sig. Giovanni Espasa y Escayola, della medesima diocesi.
22 » » Al sig. Eugenio Sipöcz, dell'archidiocesi di Strigonia.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

8\Novembre 1928. Al sig. Francesco Gay, dell'archidiocesi di Parigi.
30 » » Al sig. marchese Filippo Castagnola, della diocesi di Luni-Sarzana.
3 *Dicembre* » Al sig. Ernesto Moscatelli, della diocesi di Fabriano.
13 » » Al sig. Alessandro Schmidt, dell'archidiocesi di Strigonia.
5 Gennaio 1929. Al sig. Mattia Valtera, dell'archidiocesi di Praga.
8 » » Al sig. cav, Giovanni Steinbrener, della diocesi di Budèjovice.
» » » Al sig. cav. Ruperto Steinbrener, della medesima diocesi.
10 » » Al sig. cav. Clemente Brenninkmeyer, della diocesi di Münster.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe militare:

27 Novembre 1928. Al sig. alfiere Mario Carvalho Nunez, dell'archidiocesi di Lisbona.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

12 Settembre 1928. Al sig. Miecislao Teodoro wicz, dell'archidiocesi di Leopoli degli Armeni.
» » » Al sig. Mariano Kizsztofowicz, della medesima archidiocesi.
17 » » Al sig. Roberto Graham, della diocesi di Indianapolis.
» » » Al sig. Giovanni H. Fendrich, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Raimondo Graham, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Giuseppe Graham, della medesima diocesi.
11 Ottobre » Al sig. Stefano Piccardo, dell'archidiocesi di Genova.
13 Novembre » Al sig. rag. Giuseppe Terilli, della diocesi di Aquino.
» » » Al sig. Eugenio Dulery, dell'archidiocesi di Rouen.
23 » » Al sig. Ernesto Baldini (Roma).
3 Dicembre » Al sig. prof. Romualdo Castelli, della diocesi di Fabriano e Matelica.
4 » » Al sig. Luigi Iacobini, della diocesi di Albano.
15 » » Al sig. dott. Guglielmo Klein, della diocesi di Paderborn.
5 Gennaio 1929. Al sig. ing. Angelo Galbiati (Roma).
» » » Al sig. ing. Ivo Bonetti (Roma).
» » » Al sig. Emmanuele Musso (Roma).
5 » » Al sig. dott. Giuseppe Sklenaf, dell'archidiocesi di Praga.
8 » » Al sig. Giacomo Julia y Vernet, della diocesi di Barcellona.

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

1 Dicembre 1928. Al sig. Felice Zaleski (Polonia).

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

9 Dicembre 1928. Al sig. Nunzio Bernardo, della diocesi di Boiano-Campobasso.
12 » » Al sig. Roberto Berruti, dell'archidiocesi di Torino.
29 » » Al sig. Origene Tarmin, della diocesi di Uberaba.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

3 Novembre 1928. Al sig. Gioacchino Detoma, dell'archidiocesi di Torino.
» » » Al sig. Santino Galli, della medesima archidiocesi.
12 » » Al sig. Aldo Garlando, della medesima archidiocesi.
» » » Al sig. Giuseppe Aliberti, della medesima archidiocesi.
5 Gennaio 1929. Al sig. Giulio Ciocci (Roma).
» » » Al sig. Alessandro Contessa (Roma).
» » » Al sig. Paolo Berardi (Roma).

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S. :

14 Gennaio 1928. Monsig. Francesco De Assis Caruso, dell'archidiocesi di Ri® de Janeiro.
» » » **Monsig.** Antonio Girolamo Rodrigues, della medesima archidiocesi.
Monsig. Virgilio Lapenda, della medesima archidiocesi.
24 Novembre » Monsig. Giovanni Sabota, della diocesi di Scranton.
Monsig. Andrea Zychowicz, della medesima diocesi.
Monsig. Patrizio J. Murphy, della medesima diocesi.
Monsig. Carlo Goeckel, della medesima diocesi.
» » Monsig. Michele F. O'Rourke, della medesima diocesi.
» » Monsig. Pietro C. Winters, della medesima diocesi.
1 Dicembre Monsig. Angelo Di Tomaso, della diocesi di Amelia.
» » Monsig. Angelo Restelli, dell'archidiocesi di Milano.
» » Monsig. Giovanni Pasetti, della medesima archidiocesi.
Monsig. Luigi Moneta, della medesima archidiocesi.
Monsig. Attilio di Agostino CapacciO/li, dell'archidiocesi di Firenze.
9 » » Monsig. Michelangelo D'Amico, della diocesi di Acireale.
» » » Monsig. Mario D'Agata, della medesima diocesi.
13 » » Monsig. Serafino Gemelli, della diocesi di Novara.

NECROLOGIO

31 Ottobre 1928. Monsig. Francesco Melchiori, Arcivescovo di Durazzo.
14 Novembre » Monsig. Odorico Tc'eng, Vescovo tit. di Cotenna.
26 Dicembre » Monsig. Michele Crane, Vescovo tit. di Curio.
7 Gennaio 1929. L'Emo Sig. Card. EUGENIO TOSI, del Titolo dei SS. Silvestro e Martino, Arcivescovo di Milano.
10 » » Monsig. Giuseppe Pfluger, Arcivescovo tit. di Macre.

AHIIUS XXI - **Vol.** XXI **6 Februarii 1329** **Num. 2**

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE LITURGIA DEQUE CANTU GREGORIANO ET MUSICA SACRA COTIDIE MAGIS PROVEHENDIS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Divini cultus sanctitatem tuendi cum Ecclesia a Conditore Christo munus acceperit, eiusdem est profecto, salva quidem Sacrificii et sacramentorum substantia, ea praecipere - caerimonias nempe, ritus, formulas, preces, cantum - quibus ministerium illud augustum et publicum optime regatur, cuius peculiare nomen est *Liturgia,* quasi actio sacra praecellenter. Atque res utique sacra est liturgia; per eam enim ad Deum evehimur ipsique coniungimur, fidem nostram testamur nosque gravissimo ei obligamur officio ob accepta beneficia et auxilia, quibus perpetuo indigemus. Hinc intima quaedam necessitudo inter dogma et liturgiam sacram, itemque inter cultum christianum et populi sanctificationem. Quapropter Caelestinus I fidei canonem expressum •esse censebat in venerandis liturgiae formulis; ait enim: « *legem credendi lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum plebium praesules mandata sibimet legatione 'fungantur, apud divinam cle-*

mentiam humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscente postulant et precantur ».[1]

Quae communes supplicationes primum *opus Dei,* deinde *officium divinum* appellatae, quasi debitum cotidie Deo solvendum, noctu dieque olim fiebant, magna quidem christianorum frequentia. Ac mirum quantum iam inde ab ipsa antiquitate temporum ingenuae illae cantilenae, quae sacras preces actionemque liturgicam exornabant, ad fovendam in populo pietatem contulerunt. Namque in veteribus praesertim basilicis, ubi episcopus, clerus populusque divinas laudes alterne concinebant, non parum liturgici cantus eo valuere ut plurimi ex barbaris ad christianum civilemque cultum, historia teste, adducerentur. In templis catholicae rei oppugnatores altius sanctorum communionis dogma didicerunt; quamobrem Yalens imperator, arianus, prae divini mysterii maiestate, a S. Basilio peracti, stupore quodam insolito correptus, animo deficiebat; ac Mediolani S. Ambrosius ab haereticis arguebatur se turbas liturgicis cantibus fascinare, quibus quidem perculsus Augustinus consilium cepit Christi fidem amplectendi. In ecclesiis deinde,»ubi ex tota fere civitate chorus ingens fiebat, opifices, aedium f abri, pictores, Sculptores, litterarum ipsi studiosi, per liturgiam ea theologicarum rerum cognitione imbuebantur, quae hodie ex illius aetatis mediae monumentis tantopere elucet.

Ex his intelligitur cur Romani Pontifices tantam adhibuerint sollicitudinem in liturgia tutanda et custodienda; et quemadmodum tam multa erat eis cura in dogmate aptis verbis exprimendo, ita liturgiae sacrae leges ordinare, tueri et ab omni adulteratane praeservare studuérint. Itemque patet cur Sancti Patres liturgiam sacram (seu *supplicandi legem)* verbis scriptisque commentati sint; et Tridentinum Concilium voluerit eam esse christiano populo exponendam et explicandam.

Quod vero ad nostra haec tempora attinet, Pius X, abhinc annos xxv, in praescriptionibus illis *Motu Proprio* promulgan-

[1] ***Epist, ad episcopos Galliarum, Patrol. Lat.,*** L, 535.

dis, ' quae ad cantum gregorianum et musicam sacram pertinent, hoc in primis sibi proposuit ut scilicet christianum spiritum in populis excitaret et aleret, ea sapienter removendo quae templi sanctitudinem maiestatemque dedecerent. Etenim ob eam causam ad aedes sacras fideles conveniunt ut pietatem inde, tamquam ex praecipuo fonte, hauriant, veneranda Ecclesiae mysteria ac publicas sollemnesque preces actuose participando. Permagni igitur interest quidquid est liturgiae ornamentum normis quibusdam praeceptisque Ecclesiae contineri, ut artes reapse, velut par est, quasi ancillae nobilissimae divino cultui inserviant; quod quidem nedum in detrimentum, in maiorem potius dignitatem splendoremque ipsarum artium quae in sacris locis adhibentur certe cedet. Idque mirum sane in modum in musica sacra effectum est: ubicumque enim praescriptiones illae diligenter sunt in usum deductae, ibidem cum lectissimae artis venustates reviviscere, tum religiosi spiritus late florere coeperunt; ^ propterea quod populus christianus, liturgico sensu altius imbutus, et eucharisticum ritum et psalmodiam sacram et supplicationes publicas participare impensius consuevit. Quod Nos quidem ipsi tum iucunde experti sumus, cum, primo Pontificatus Nostri anno, ingens clericorum chorus ex omni natione liturgiam sollemnem, quam in Vaticana Basilica celebravimus, gregoriano cantu nobilitabit.

Iam vero dolendum hic est quibusdam in locis eas leges sapientissimas plene non fuisse in usum deductas; ideoque optatos fructus inde perceptos non esse. Namque probe novimus vel dictitasse aliquos se eis legibus non teneri quae tam sollemniter edictae fuerant; vel nonnullos, primum quidem iisdem paruisse, sed pedetentim ei musicae generi induisisse quod est omnino a templis arcendum; vel denique alicubi, cum praesertim saecularia sollemnia in memoriam celebrarentur musicorum illustrium, causam inde quaesitam esse quaedam opera in templo exsequendi quae, quamvis praeclara, cum sacri loci et liturgiae sanctitati non congruerent, in ecclesiis nequaquam erant adhibenda.

At tamen, quo clerus populusque eis legibus et praescriptionibus, quae sancte, inviolateque in Ecclesia universa servandae sunt, religiosius pareat, nonnulla beic adiicere placet, quae nempe hoc xxv annorum spatio experiendo didicimus. Idque eo libentius Nos facimus quod hoc anno non solam musicae sacrae restaurationis, quam diximus, recordatio, sed etiam memoria monachi illius Guidonis Arretini celebrata est; qui, cum circiter abhinc annos nongentos, Romani Pontificis iussu, in Urbem venisset, ingeniosum illud suum inventum protulit, quo liturgici cantus, iam inde ab antiquitate traditi, et facilius evulgarentur, et, ad Ecclesiae artisque ipsius utilitatem ac decus, integre servarentur in posterum. In Lateranis aedibus, ubi antea S. Gregorius Magnus, monodiae sacrae thesauro - hereditate quidem monumentoque Patrum - collecto, digesto et aucto, *Scholam* illam percelebrem, ad veram liturgicorum cantuum interpretationem perpetuandam, tam sapienter constituerat, Guido monachus experimentum egit mirifici sui inventi, coram romano clero ipsoque Pontifice Maximo; qui, rem eximie probando meritaque laude prosequendo, hoc effecit ut eadem innovatio longe lateque paulatim propagaretur, atque omne musicae artis genus magnum inde caperet incrementum.

Omnibus igitur Episcopis atque Ordinariis, quibus quidem, cum sint liturgiae custodes, de sacris artibus in ecclesiis cura esse debet, nonnulla hic Nos commendare volumus, quasi optatis respondentes, quae ex tot musicis congressionibus, praecipueque ex recentiore conventu, Romae habito, Nobis significarunt non pauci sacri Pastores ac studiosissimi rei huius praecones, quos omnes merita hic laude honestamus; eademque, ut infra, efficacioribus viis rationibusque propositis, ad effectum deduci iubemus.

I. Quicumque sacerdotio initiari cupiunt, non modo in Seminariis sed etiam in religiosorum domibus, iam inde a prima aetate cantu gregoriano et musica sacra imbuantur; propterea quod facilius tum ea perducunt, quae ad modulationes sonosque pertinent; et vocis vitia, si fortasse habeant, eradicare vel saltem

corrigere queunt, quibus quidem postea, adultiores aetate, mederi prorsus non possent. Ab ipsis primordiorum scholis institutio cantus et musicae incipienda est, ac deinde in gymnasio et lycaeo continuanda; ita enim qui sacros ordines suscepturi sunt, cum iam cantus periti sensim sine sensu facti sint, in theologicorum studiorum curriculo, sine ullo quidem labore ac difficultate, altiore illa disciplina institui poterunt quam verissime *aestheticam* dixeris monodiae gregorianae ac musicae artis, polyphoniae atque organi, quamque clerum pernoscere omnino decet.

II. Esto igitur in Seminariis ceterisque studiorum domiciliis, utrique clero recte conformando, brevis quidem sed frequens ac paene cotidiana cantus gregoriani et musicae sacrae lectio vel exercitatio; quae si liturgico spiritu peragatur, solatium potius quam onus, post se verior u m disciplinarum studium, alumnorum animis afferet. Auctior ita pleniorque utriusque cleri in liturgica musica institutio id certe efficiet ut ad dignitatem priscam splendoremque *chorale officium* restituatur, quod pars est divini cultus praecipua; itemque ut *scholae* et *capellae musicorum,* quas vocant, ad veterem gloriam revocentur.

III. Quicumque in *basilicis aedibusque cathedralibus, collegiatis* et *conventualibus religiosorum* cultum moderantur et exercent, iidem totis viribus contendant ut rite, id est ad Ecclesiae praescripta, *chorale officium* instauretur; neque id solum quod ad commune praeceptum spectat divini officii peragendi *digne* semper, *attente* ac *devote*, sed etiam quantum ad canendi artem attinet; in p saliendo enim, et iusta tonorum ratio curanda est una eum mediis suis numeris clausulisque ad sonum exquisitis, et congruens ad asteriscum mora, et plena denique concordia illa in psalmodicis versiculis hymnorumque strophis conclamandis. Quae si egregie efficiantur, omnes rite psallentes, cum suorum animorum in adorando Deo unitatem mirifice ostendant, tum, in moderata duarum chori partium vice, sempiternam illam Seraphim laudem, qui clamabant alter ad alterum: « *Sanctus, Sanctus, Sanctus* » aemulari videntur.

IV. Ne quis autem in posterum faciles excusationes prae-

texat ut ab officio Ecclesiae legibus parendi liberatum se existimet, ordines canonicorum omnes ac religiosae eaedem communitates de his rebus in statis coetibus agant ; et quemadmodum olim *cantor* erat seu *rector chori,* ita in posterum in canonicorum et religiosorum choris aliquis eligatur peritus, qui cum liturgiae cantusque choralis normas in usum deducendas curet, tum singulorum vel chori universi vitia emendet. Quo in genere praetereundum non est, ex veteri constantique Ecclesiae disciplina atque ex ipsis capitularibus constitutionibus quae adhunc vigent, quotquot ad chorale officium tenentur, eos omnes saltem cantum gregorianum rite pernoscere oportere. Cantus vero gregorianus, in ecclesiis omnibus cuiusvis ordinis adhibendus, is est qui ad veterum codicum fidem restitutus, ab Ecclesia in editione authentica, vaticanis typis, iam propositus est.

V. *Gapellas* etiam *musicorum* iis omnibus ad quos spectat commendatas hic volumus, utpote quae, decursu temporum, in antiquarum *scholarum* locum suffectae, eo pacto in basilicis maioribusque templis constitutae sint ut polyphonicam praecipue musicam ibidem efficerent. Quam quidem ad rem, merito. *polyphonia* sacra post gregorianum cantum altero loco haberi solet: ideoque vehementer Nos cupimus ut *capellae*huiusmodi, quemadmodum a saeculo XIV ad saeculum XVI floruerunt, ita hodie illic maxime renoventur ac revirescant ubi divini cultus frequentia et amplitudo maiorem cantorum numerum exquisitioremque eorum delectum postulant.

VI. *Scholae puerorum,* non modo apud maiora templa et cathedrales, sed etiam penes minores et paroeciales aedes excitentur,• pueri autem a *capellarum* magistris ad recte canendum instituantur ut ipsorum voces, iuxta veterem Ecclesiae morem, virorum choris sese adiungant, maxime cum in polyphonica musica, ut olim, adhibendae sint pro suprema voce, quae *cantus* appellari consuevit. Ex eorum numero, saeculo praesertim XVI, polyphoniae auctores peritissimi, uti est compertum, prodiere, quos inter omnium facile princeps Ioannes ille Petrus Aloisius Praenestinus.

VII. Quoniam vero didicimus tentari alicubi ut quoddam musicae genus resumatur, sacrorum officiorum perfunctioni haud omnino congruens, praesertim ob immoderatiorem instrumentorum usum, Nos quidem hic profitemur cantum cum symphonia coniunctum nullo modo ab Ecclesia tamquam perfectiorem musicae formam rebusque sacris aptiorem haberi; etenim magis quam instrumenta, vocem ipsam in sacris aedibus resonare decet: vocem nempe cleri, cantorum, populi. Neque est autem putandum incremento musicae artis Ecclesiam, obsistere, quod instrumento cuilibet humanam vocem anteponat; siquidem nullum instrumentum, quamvis eximium atque perfectum, in exprimendis animi sensibus humanam vocem superare potest, tum maxime cum ipse animus ea utitur ut preces et laudes ad omnipotentem Deum extollat.

VIII. Est quidem Ecclesiae proprium musicum instrumentum a maioribus traditum, *organum,* ut aiunt; quod, ob miram quandam granditatem maiestatemque, dignum habitum est ut cum liturgicis ritibus coniungeretur, sive cantum confitando, sive, silente choro, ad praescripta, harmonias suavissimas eliciendo. At vero in hoc etiam illa vitanda est sacri et profani permixtio, quae causa cum fabrorum qui organa conficiunt, tum modulatorum quorundam qui novissimae musicae portentis indulgent, huc demum evaderet ut de ipso ad quem destinatur fine mirificum hoc instrumentum deflectent. Equidem ad liturgiae normas Nosmet ipsi optamus ut quaecumque ad organum spectant nova semper incrementa capiant; sed temperare Nobis non possumus quin conqueramur quod, uti olim aliis musicae formis quas merito Ecclesia prohibuit, ita hodie novissimis sane formis tentetur ut in templum profani spiritus invehantur; quas quidem formas, si gliscere inciperent, facere non posset Ecclesia quin omnino damnaret. Personent in templis ii tantum organi concentus qui maiestatem loci referant ac rituum sanctitudinem redoleant; hoc enim pacto ars tum fabrorum in construendis organis, tum musicorum in eisdem adhibendis, reviрescet ad liturgiae sacrae efficax adiumentum.

IX. Quo autem actuosius fideles divinum cultum participent,

cantus gregorianus, in iis quae ad populum spectant, in usum populi restituatur. Ac revera pernecesse est ut fideles, non tamquam extranei vel muti spectatores, sed penitus liturgiae pulchritudine affecti, sic caerimoniis sacris intersint — tum etiam cum pompae seu processiones, quas vocant, instructo cleri ac sodalitatum agmine, aguntur — ut vocem suam sacerdotis vel scholae vocibus, ad praescriptas normas, alternent ; quod si auspicato contingat, iam non illud eveniet ut populus aut nequaquam, aut levi quodam demissoque murmure communibus precibus, liturgica vulgarive lingua propositis, vix respondeat.

X. In hoc utriusque cleri industria desudet, praeeuntibus quidem Episcopis et locorum Ordinariis, ut, per se vel per alios rei peritos, liturgicam musicamque populi institutionem curent, utpote cum doctrina christiana coniunctam. Quod quidem facilius efficietur scholas praecipue, pia sodalicia ceterasque consociationes liturgicis cantibus instruendo; religiosorum autem, sororum ac piarum feminarum communitates alacres sint ad hunc finem assequendum in variis institutis quae sibi ad educandum et erudiendum concredita sunt. Itemque valde ad hanc rem valituras esse confidimus eas societates quae in nonnullis regionibus, ecclesiasticis auctoritatibus obsequentes, musicam sacram ad Ecclesiae leges restaurare contendunt.

XI. Ad haec omnia, quae sperantur, adipiscenda peritis magistris iisdemque frequentissimis omnino opus est. Quo in genere, Scholis et Institutis illis, passim per catholicum orbem conditis, debitas laudes tribuimus; siquidem disciplinas huiusmodi diligenter docendo, praeceptores optimos idoneosque effingunt. Sed maxime memorare hoc loco ac dilaudare placet *Pontificiam Scholam musicae sacrae altius tradendae,* quae inde ab anno MCMX in Urbe a Pio X constituta est. Hanc Scholam, quam deinde proximus decessor Noster Benedictus XV studiose provexit novaque sede donavit, Nos quoque peculiari quodam favore prosequimur, tamquam pretiosa Nobis hereditate a duobus Pontificibus relictam, eandemque idcirco Ordinariis omnibus magnopere commendatam volumus.

Equidem probe novimus ea omnia, quae supra mandavimus, quantum studii postulant ac laboris. At vero quis ignorat quam multa opera quamque magno artifìcio confecta, nullis devicti difficultatibus, maiores nostri posteritati tradiderint, utpote qui pietatis studio ac liturgiae spiritu imbuti essent ? Neque id mirum: quidquid enim ab ipsa, quam Ecclesia vivit, interiore vita proficiscitur, mundi huius perfectissima quaeque transcendit. Difficultates coepti huius sanctissimi animos Ecclesiae Antistitum excitent atque erigant nedum infringant; qui voluntati Nostrae concorditer omnes constanterque obsequentes, operam navabunt Summo Episcopo episcopali suo munere dignissimam.

Haec edicimus, declaramus, sancimus, decernentes Apostolicam hanc Constitutionem firmam, validam et efficacem semper esse ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, contrariis quibusvis non obstantibus. Nulli igitur hominum liceat hanc Constitutionem a Nobis promulgatam infringere vel eidem temerario ausu contraire.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, in quinquagesimo sacerdotii Nostri natali, die xx mensis Decembris anno MOMXXvni, Pontificatus Nostri septimo.

FR. ANDREAS CARD. FRÜHWIRTH, GAMILLUS CARD. LAURENT!,
Cancellarius S. B. E. ***S. B. C. Pro Praefectus.***

Iosephus Wilpert, *Decanus Coll. Proton. Apostolicorum.*
Dominicus Spolverini, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco Plumbi

Beg. in Cancellaria Apostolica, vol. XXXIX, n. *45* - M. RIGGI.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

DUBIUM

CERCA MODUM SE GERENDI ORDINARIORUM ERGA CLERICOS QUOAD SOCIETATES QUAE « ROTARY CLUBS » INSCRIBUNTUR.

Ab hac Sacra Congregatione Consistoriali non pauci sacrorum Antistites, pro sua pastoralis officii religione, exquisierunt: *An Ordinarii permittere possint clericis ut nomen dent Societatibus, hodiernis temporibus constitutis, quibus titulus « Rotary Clubs », vel ut earumdem coetibus saltem intersint.*

Sacra autem haec Congregatio Consistorialis, re mature perpensa, respondendum censuit: *Non expedire.*

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 4 Februarii 1929.

C. CARD. PEROSI, *Secretarius.*

L. E i S.

f Fr. Raphael C, Archiep. Thessalonicen., *Adsessor.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XI successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

15 Ianuarii 1929. — Cathedrali Ecclesiae Hildeshiensi praefecit R. D. Nicolaum Bares, canonicum ecclesiae cathedralis Trevirensis ae ibidem rectorem Seminarii.

18 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Abellinensi, R. D. Franciscum Petronelli, canonicum curatum cathedralis Lyciensis.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

INSTRUCTIO

DE COMMUNIONE PLURIUM INFIRMORUM

Quo breviori et faciliori ratione sacra Communio pluribus infirmis ministrari valeat, Sacra Rituum Congregatio sequentem instructionem probari posse censuit; nimirum:

Quando sacra Communio distribuitur pluribus infirmis, qui in eadem domo, vel in eodem hospitali, sed in distinctis cubiculis degant, Sacerdos vel Diaconus ministrans, in primo tantum cubiculo recitet plurali numero omnes preces ante infirmorum Communionem dicendas iuxta Rituale Romanum, Tit. IV, cap. 4; in aliis autem cubiculis dicat tantummodo preces: *Miser eatur tui... Indulgentiam... Ecce Agnus Dei...,* semel *Domine non sum dignus... Accipe frater (soror)...* vel *Corpus Domini nostri Iesu Christi...;* et in ultimo cubiculo addat versum: *Dominus vobiscum,* cum suo responsorio et cum sequente oratione plurali numero dicenda: *Domine sancte...,* ibique, si qua particula consecrata superfuerit, benedictionem eucharisticam impertiatur, ac tandem reliquas preces praescriptas in Ecclesia de more persolvat.

Pacta postmodum de his omnibus Sanctissimo, Domino nostro Pio Papae XI per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro Praefectum relatione, Sanctitas Sua praefatam instructionem ratam habuit et confirmavit; eamque pro opportunitate adhibendam benigne concessit* Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9 Ianuarii 1929.

C. CARD. LAURENTI, *S. B. C. Pro Praefectus.*

Angelus Mariani, *Secretarius.*

II

OFFICIUM **ET** MISSA
PRO FESTO SACRATISSIMI CORDIS JESU
ET EJUS OCTAVA

INSERENDUM

US PROPRIO DE TEMPORE

INFRA HEBDOMADAM II POST OCTAVAM PENTECOSTES

FERIA Y

IN OCTAVA SSMI CORPORIS CHRISTI

Vesperae de sequenti.

FERIA YI

IN FESTO SACRATISSIMI CORDIS JESU

Duplex I classis cum Octava privilegiata III ordinis

IN I VESPERIS

Ant. 1. Suavi jugo tuo * dominare, Dómine, iii medio inimicorum tuorum.

Ps. 109. Dixit Dominus.

2. Misericors * et miserator Dominus: escam dedit timéntibus se.

Ps. 110. Confitebor tibi, Dómine.

3. Exortum est * in tenebris lumen rectis; misericors et miserator Dominus.

Ps. III. Beatus vir qui timet Dominum.

4. Quid retríbuam Dómino pro ómnibus quae retribuit mihi.

Ps. 115. Crédidi, propter quod locutus sum.

ö. Apud Dominum * propitiatio est et copiósa apud eum redemptio.

Pi?. *129.* De profundis clamavi ad te, Domine.

GapituUim . *Ephes. 3, 8-9*

Fratres, mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi; et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacraménti absconditi a saeculis in Deo. "

Hymnus

En ut superba criminum
Et saeva nostrorum cohors
Cor sauciávit innocens
Meréntis haud tale Dei!
Vibrántis hastam militis
Peccata nostra dirigunt,
Ferrúmque dira3 cúspidis
Mortale crimen ácuit.
Ex Corde scisso Ecclesia,
Christo jugáta, nascitur:
Hoc ostium arcss in latere est
Genti ad salutem positum.
Ex hoc perennis gratia,
Ceu septifórmis flúvius,
Stolas ut illic sórdidas
Lavémus Agni in sanguine.
Turpe est redire ad crimina,
Quae Cor beatum lacèrent:
Sed aemulémur cordibus
Flammas amoris indices.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui Corde fundis gratiam,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sécula. Amen.

Sic terminantur omnes Hymni per totam Octavam,

f. Tóllite jugum meum super vos et discite a me.

1$. Quia mitis sum et humilis Corde.

Ad Magnif. Ant. Ignem * veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?

Oratio

Deus qui nobis, in Corde Filii tui, nostris vulnerato peccatis, infinitos dilectionis thesauros misericorditer largiri dignáris; concede, quaesumus, ut illi devótum pietatis nostrae praestantes obsequium, dignae quoque satisfactionis exhibeamus officium. Per eumdem Dominum.

Nulla fit commemoratio, nisi Ss. Petri ei Pauli Apostolorum vel S. Joannis Baptistce si hac die occurrerint.

Completorium de Dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Cor Jesu amóre nostri vulnerátum * Venite, adoremus.

Ps. 94. Venite, exsultémus.

Hymnus

Auctor beáte saeculi,
Christe, Redemptor omnium,
Lumen Patris de lumine,
Deusque verus de Deo:

Amor coegit te tuus
Mortale corpus sumere,
Ut, novus Adam, rédderes
Quod vetus ille abs tulerat.

Ille amor almus ártifex
Teme marisque et siderum,
Errata patrum miserans
Et nostra rumpens vincula.

Non Corde discedat tuo
Vis illa amoris inclyti:
Hoc fonte gentes hauriant
Remissionis gratiam.

Percussum ad hoc est lancea
Passúmque ad hoc est vulnera,
Ut nos laváret sórdibus,
Unda fluènte et sanguine.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui Corde fundis gratiam,
Cum Patre et almo. Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

IN I NOCTURNO

Ant. Cogitationes * Cordis ejus in generatione et generationem.

Ps. 32. Exsultate, justi, in Domino.

Ant. Apud te * est fons vitae; torrènte voluptatis tuae potábis nos, Dómine.

Ps. 35. Dixit injustus ut delinquat in semetipso.

Ant. Homo pacis meae, qui edébat panes meos, magnificavit super me supplantatiónem.

Ps. 40. Beatus qui intelligit super egénum et pauperem.

V. Tóllite jugum meum super vos et discite a me.

3$. Quia mitis sum et humilis Corde.

De Hieremi a Propheta

Lectio I *Cap. 24, 5-7*

Haec dicit Dominus, Deus Israel: Cognóscam transmigratiónem Juda, quam emisi de loco isto in terram Chaldaeorum, in bonum. Et ponam oculos meos super eos ad placándum, et redúcam eos in terram hanc; et sedificábo eos, et non déstruam; et plantábo eos et non evéllam. Et dabo eis cor ut sciant me, quia ego sum Dominus; et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum, quia revertantur ad me in toto corde suo.

Fériam eis pactum sempiternum et non désinam eis benefácere et timorem meum dabo in corde eorum * Ut non recédant a me. *Y.* Et laetábor super eis cum bene eis fecero in toto Corde meo. Ut non.

Lectio II *Cap. 30, 18-24*

Haec dicit Dominus: Ecce ego convértam conversionem tabernaculórum Jacob, et tectis ejus miserébor, et aedificábitur civitas in excelso suo, et templum juxta ordinem suum fundábitur, et egrediatur de eis laus, voxque ludéntium. Et erit dux ejus ex eo, et princeps de medio ejus producetur; et applicábo eum et accedet ad me. Quis enim iste est qui applicet cor suum ut appropinquet mihi? ait Dominus. Et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum. Ecce turbo Domini, furor egrédiens, procélia mens; in capite impiorum conquiéscet. Non avértet iram indignatiónis Dominus, donec faciat et compleat cogitationem Cordis sui: in novissimo dierum intelligétis ea.

1$. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique * Tu véro homo unanimis qui simul mecum dulces capiébas cibos. *f.* Et si is qui me óderat super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero.

Lectio III *Cap. 31, 1-3, 31-33*

In tempore illo, dicit Dominus, ero Deus universis cognatiónibus Israel, et ipsi erunt mihi in populum. Haec dicit Dominus: Invenit gratiam in deserto populus qui remanserat a glàdio; vadet ad réquiem suam Israel. Longe Dominus apparuit mihi. Et in caritate perpétua diléxi te: ideo atfcráxi te, miserans. Ecce dies venient, dicit Dominus: et fériam domui Israel et domui Juda foedus novum: non secundum pactum, quod pépigi eum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de Terra iEgypti: pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod fériam cum domo Israel: post dies illos dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam: et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum.

1$. Cum essemus mortui peccatis, convivificávit nos Deus in Christo * propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos. V. Ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae. Propter. Gloria Patri. Propter.

IN II NOCTURNO

Ant. Rex omnis terrae * Deus; regnábit super Gentes.

Ps. 46. Omnes Gentes, plaudite manibus.

Ant. Dum anxiarétur * Cor meum, in petra exaltásti me.

Ps. 60. Exaudi, Deus, deprecatiónem meam.

Ant. Secundum multitudinem * dolorum meórum in Corde meo, consortiones tuae laetifìcavérunt animam meam.

Ps. 93. Deus ultiónum Dominus.

T. Ego dixi, Dómine, miserere mei.

1$. Sana animam meam quia peccavi tibi.

Lectio IV

Inter mira sacrae doctrinae pietatisque incrementa, quibus divinae Sapientiae consilia clarius in dies Ecclesiae manifestantur, vix. aliud magis conspicuum est quam triumphális progressio cultus Sacratissimi Cordis Jesu. Saepius quidem, priorum decursu temporum, Patres, Doctores, Sancti, Redemptoris nostri amorem celebrarent: vulnus in latere Christi apertum omnium gratiarum arcanum dixerunt fontem. At inde a medio aevo, cum teneriόre quadam erga Sanctissimam Salvatoris Humanitatem religione fideles affici coepti sunt, animae contemplativae per plagam illam ad ipsum Cor, amóre hominum vulnerátum, penetrare fere solebant. Atque ex eo tempore haec contemplatio sanctissimis quibusque ita familiaris evasit, ut neque regio neque ordo religiosus sit, in quibus non insignia, hac aetate, ejus reperiantur testimonia. Proximis demum saeculis, eoque potissimum tempore quo haeretici, sub falsae pietatis titulo, a Sanctissima Eucharistia Christianos deterrére conabantur, cultus Sacratissimo Cordi publice exhiberi coeptus est, ópera imprimis sancti Joannis Eudes, qui auctor liturgici cultus Sacrorum Cordium Jesu et Mariae haud immérito nuncupatur.

I#. Prope est Dominus ómnibus invocántibus eum * Omnibus invocántibus eum in veritate. 1$. Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors. Omnibus.

Lectio V

Verum, ad cultum Sacratissimi Cordis Jesu plene perfectéque constituendum, eundemque per totum orbem propagándum, Deus ipse sibi instrumentum elegit humillimam ex órdine Visitationis virginem, sanctam

Margaritam Mariam Alacoque, cui, a prima quidem aetate jam in Eucharistiae Sacramentum amóre flagranti, Christus Dominus saepenumero apparens, divini Cordis sui et divitias et optata significare dignatus est. Quarum apparitionum celebérrima illa est, qua ei ante Eucharistiam oranti Jesus conspiciéndum se dedit, Sacratissimum Cor ostendit et, conquestus quod, pro immènsa sua caritate, nihil nisi ingratórum hominum contumelias reciperet, ipsi praecepit ut novum festum, feria sexta post octavam Corporis Christi, instituendum curaret, quo Cor suum honore débito ederetur, atque injuriae sibi in Sacraménto amoris a peccatoribus illatae dignis expiaréntur obsequiis. Quot autem quantasque Dei fámula in Christi mandatis exsequendis experta sit difficultates, nemo est qui ignoret; sed ab ipso Dómino confirmata, atque a religiosis animae suae moderatoribus, qui incredibili quodam ardóre ad hunc cultum promovendum laborarunt, strènue adjúta, munere sibi caélitus commisso fideliter fungi ad mortem usque non destitit.

3$/. Confíteor tibi Pater, Dómine caeli et terrae, quia abscondisti haec a ¿tapiéntibus et prudentibus * Et revelásti ea parvulis. T. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Et revelásti.

Lectio VI

Anno tandem millesimo septingentésimo sexagésimo quinto, Clemens Decimus tertius Pontifex Maximus officium et missam in honorem Sacratissimo. Cordis Jesu approbavit; Pius vero Nonus festum ad universam Ecclesiam extendit. Exinde, cultus Sacratissimi Cordis, quasi flumen exundans, prolatis impedimentis ómnibus, per totum se orbem effudit et, novo illucescénte século, jubilaéo indicto, Leo Decimus tertius humanum genus universum Sacratissimo Cordi devótum voluit. Quae consecratio, in émnibus quidem catholici orbis ecclesiis, sollemni ritu peracta, ingens attulit devotionis hujus incrementum, et ad eam non solum populos, rerum etiam singulares familias adduxit, quae Divino Cordi innumerabiles se devovent, regióque ejus imperio subjíciunt. Dénique, Pius Undecimus .Pontifex Maximus, quo plenius festi sollemnitas populi christiani devotioni tam late patenti responderet, Sacratissimi Cordis Jesu festum ad ritum duplicem primae classis cum octava evexit; ac praeterea, ut violata jura Christi summi Regis ac Domini amantissimi resarciréntur, populorúmque peccata defleréntur, eodem festo die piaculárem precationem in ómnibus christiani orbis templis quotannis recitándam mandavit.

3$. Omnes gentes quascumque fecisti venient * Et adorábunt coram te, Dómine. *J.* Et glorificábunt nomen tuum quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia. Et adorábunt. Gloria Patri. Et adorábunt.

IN III NOCTURNO

Ant. Qui diligitis Dominum, * confìtémini memoriae sanctificationis ejus.

Ps. 96. Dominus regnávit, exsúltet terra.

Ant. Viderunt * omnes termini terrae salutare Dei nostri.

Ps. 97. Cantate Dómino canticum novum.

Ant. Psallam tibi * in nationibus, quia magna est super caelos misericordia tua.

Ps. 107. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.

f. Memoriam fecit mirabilium suorum miserator Dominus.

J$. Escam dedit timéntibus se.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem

Lectio VII *Cap. 19, 31-37*

In illo tempore: Judaéi, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, erat enim magnus dies ille sábbati, rogaverunt Pilátum ut frangeréntur eorum crura et tollerentur. Et reliqua.

Homilia sancti Bonaventurae episcopi

Liber de ligno vitae, num. 30

Ut de latere Christi dormiéntis in cruce formarétur Ecclesia, et Scriptura impleretur quae dicit: Videbunt in quem transfixérunt, divina est ordinatione indultum ut unus militum lancea latus illud sacrum aperiendo perioderei, quatenus, sanguine cum aqua manante, pretium effunderetur nostrae salutis, quod a fonte, scilicet Cordis arcano profúsum, vim daret sacramentis Ecclesiae ad vitam gratiae conferendam, essetque jam in Christo viventibus póculum fontis vivi, salientis in vitam aeternam. Surge igitur, ánima amica Christi, vigilare non cesses, ibi os appóne, ut háurias aquas de fontibus salvatoris.

1^. Ego si exaltatus fuero a terra * Omnia traham ad meipsum, y. Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus. Omnia.

De vite mystica

Lectio VIII *Cap. 3*

Quia semel venimus ad Cor Domini Jesu dulcissimi, et bonum est nos hic esse, non facile evellámur ab eo. O quam bonum et jucúndum habitare in Corde hoc. Bonus thesaurus, pretiosa margarita Cor tuum optime

Jesu,. quam fosso agro corporis tui invenimus. Quis hanc margaritam abjiciat? Quin potius, dabo omnes margaritas, cogitationes et affectiónes meas commutábo et coníparábo illam mihi, jactans omnem cogitatum meum in Cor boni Jesu, et sine fallàcia illud me enútriet. Hoc igitur tuo et meo Corde, dulcissime Jesu, invento, orábo te Deum meum: admitte in sacrarium exauditiónis preces meas: immo me totum trahe in Cor tuum.

1$. Simus ergo imitatores Dei* Et ambulémus in dilectione. *Y.* Sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis. Et ambulémus. Gloria Patri. Et ambulémus.

Lectio IX

Ad hoc enim perforátum est latus tuum, ut nobis pateat introitus. Ad hoc vulnerátum est Cor tuum, ut in illo ab exterioribus turbatiónibus absoluti habitare possimus. Nihilominus et propterea vulnerátum est, ut per vulnus visibile, vulnus amoris invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius posset ostendi, nisi quod non solum corpus, verum etiam ipsum Cor lancea vulneràri permisit? Carnale ergo vulnus, vulnus spirituale ostendit. Quis illud Cor tam vulnerátum non diligat! quis tam amántem non rédamet? quis tam castum non amplectatur? Nos igitur adhuc in carne manentes, quantum possumus, amántem redamémus, amplectámur vulnerátum nostrum, cujus impii agrícolas fodérunt manus et pedes, latus et Cor; oremusque ut cor nostrum, adhuc durum et impoénitens, amoris sui vinculo constringere et jáculo vulnerare dignetur.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES ET PER HORAS

Ant. 1. Unus militum * lancea latus ejus aperuit et continuo exivit sanguis et aqua.

Psalmi de Dominica 1 loco.

2. Stans Jesus * clamábat dicens: Si quis sitit veniat ad me et bibat.

3. In caritate perpétua * dilexit nos Deus, ideo, exaltatus a terra, attráxit nos ad Cor suum, miserans.

4. Venite ad me * omnes qui laborátis et onerati estis èt ego reficiam vos.

ö. Fui * praebe mihi cor tuum et oculi tui custodiant vias meas.

Capitulum *Ephes., 3, 8-9*

Fratres, mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi; et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacraménti absconditi a saeculis in Deo.

Hymnus

Cor, arca legem continens
Non servitutis veteris,
Sed gratias, sed veniae,
Sed et misericordiae.
Cor, sanctuarium novi
Intemerátum foederis,
Templum vetusto sanctius,
Verumque scisso utilius.
Te vulnerátum caritas
Ictu patenti voluit,
Amoris invisibilis
Ut veneramur vulnera.
Hoc sub amoris symbolo
Passus cruènta et mystica,
Utrumque sacrificium
Christus sacerdos obtulit.
Quis non amántem rédamet?
Quis non redemptus diligat,
Et Corde in isto seligat
./Eterna tabernácula?
Jesu, tibi sit gloria,
Qui Corde fundis gratiam
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

f. Hauriétis aquas in gaudio.
1$. De fontibus Salvatoris.

Ad Benedictus Ant. Pacta sunt * enim haec ut Scriptura impleretur quae dicit: Videbunt in quem transfixérunt.

Oratio

Deus qui nobis, in Corde Filii tui, nostris vulnerato peccatis, infinitos dilectionis thesauros misericorditer largiri dignáris; concede, quaesumus, ut illi devótum pietatis nostrae praestantes obsequium, dignae quoque satisfactionis exhibeamus officium. Per eumdem Dominum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis; et ad eam in Besponsorio brevi dicitur Versus: Qui Corde fundis gratiam, *per totam Octavam.*

AD TERTIAM

Capitulum Fratres, mihi omnium *ut supra.*

3$. *br.* Tóllite jugum meum super vos * et discite a me. Tóllite. *y.* Quia mitis sum et humilis Corde. Et discite. Gloria Patri. Tóllite.

T. Ego dixi: Domine, miserere mei.

3$. Sana animam meam quia peccavi tibi.

AD SEXTAM

Capitulum *Ephes, 3, 14-17*

Hujus rei gratia flecto génua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut det vobis secundum divitias gloriae suae virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem: Christum habitare per fidem in cordibus vestris.

3$. *br.* Ego dixi, Dómine * miserere mei. Ego dixi. *Y.* Sana animam meam quia peccavi tibi. Miserere mei. Gloria Patri. Ego dixi.

T. Memoriam fecit mirabilium suorum miserator Dominus.

3$. Escam dedit timéntibus se.

AD NONAM

Capitulum *Ephes, 3, 17-19*

In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo et longitúdo, et sublimitas et profundum; scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleámini in omnem plenitudinem Dei.

R. *br.* Memoriam fecit mirabilium suorum * Miserator Dominus. Me' móriam. *J.* Escam dedit timéntibus se. Miserator. Gloria Patri. Memoriam.

y. Hauriétis aquas in gaudio.

3$. De fontibus Salvatoris.

IN II VESPERIS

Antiphona} et Capitulum de Laudibus. Psalmi ut in I Vesperis Festi Ssmi Corporis Christi.

Hymnus En ut supèrba criminum.

Y. Hauriétis aquas in gaudio.

1$. De fontibus Salvatoris.

Ad Magnificat Ant. Ad Jésum autem * cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non f r egerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit et continuo exivit sanguis et aqua.

Completorium de Dominica.

Infra octavam et in die Octavee Officium fit ut in Festo, prceter Lectiones, quœ pro singulis diebus as signantur propriae.

Si infra Octavam celebretur Officium, quod Lectiones I Nocturni sumat de Scriptura occurrente, hce dicuntur cum Besponsoriis de Festo.

AD MISSAM

Introitus *Ps. 32, 11 et 19*

Cogitationes Cordis ejus in generatione etj generationem: ut eruat a morte animas eorum et alat eos in fame. *Ps. ibid. 1.* Exsultate justi in Dómino, rectos decet collaudatio. *Y-* Gloria Patri.

Oratio

Deus qui nobis, in Corde Filii tui, nostris vulnerato peccatis, infinitos dilectionis thesauros misericorditer largiri digneris; concede, quaesumus, ut illi devótum pietatis nostrae praestantes obsequium, dignae quoque satisfactionis exhibeamus officium. Per eumdem Dominum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apóstoli ad Ephesios
Ephes. 3, 8-19

Fratres mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi: et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacraménti absconditi a saeculis in Deo qui omnia creavit: ut innotescat principátibus et potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei: secundum prasfinitiónem saeculorum quam fecit in Christo Jesu Domino nostro, in quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem ejus. Hu jus "rei gratia flecto génua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur: ut det vobis secundum divitias gloriae suae, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem: Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in caritate radicati et fundati: ut possitis comprehendere, cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, et longitúdo, et sublimitas et profundum: scire etiam supereminentem scientias caritatem Christi, ut impleámini in omnem plenitudinem Dei.

Graduale. Ps. 24, 8-9. Dulcis et rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via. *T.* Diriget mansuetos in judicio, docebit mites vias suas.

Alleluja, alleluja. *Matth. 11, 29.* Tóllite jugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis Corde, et invenietis réquiem animabus vestris. Alleluja.

Iri Missis Votivis post Septuagesimam, omissis Alleluja *et Versu sequenti, dicitur:*

Tractus. Ps. 102, 8-10. Misericors et miserator Dominus, longánimis et multum misericors. V. Non in perpetuum irascétur, neque in aeternum comminábitur. *y.* Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuat nobis.

Tempore autem Paschali, omissis Graduali et Tractu, dicitur:

Alleluja, alleluja. *Matth. 11, 29 et 28.* Tóllite jugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis Corde, et invenietis requiem animabus vestris. Alleluja. *T.* Venite ad me omnes qui laborátis et onerati estis et ego reficiam vos. Alleluja.

£g Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem

Joann. 19, 31-37

In illo tempore: Judaéi, quoniam Parasceve eratj ut non remanerent in cruce corpora sabbato, erat enim magnus dies ille sábbati, rogaverunt Pilátum ut frangeréntur eorum crura et tollerentur. Venerunt ergo milites, et primi quidem fregérunt crura et alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregérunt ejus crura: sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit testimonium perhibuit: et verum est testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit, ut et vos credátis. Facta sunt enim haec ut Scriptura impleretur: Os non comminuétis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfìxérunt. Credo.

Offertorium. Ps. 68, 21. Impropérium expectávit Cor meum et misériam, et sustinui qui simul mecum contristarétur et non fuit; consolántem me quaesivi et non inveni.

Tempore vero Paschali, in Missis votivis, sic mutatur Offertorium:

Offertorium. Ps. 39, 7-9. Holocaustum et pro peccato non postulasti; tunc dixi: Ecce vénio. In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui et legem tuam in medio Cordis mei. Alleluja.

Secreta

Réspice, quaesumus, Dómine, ad ineffábilem Cordis dilecti Filii tui caritatem: ut quod offérimus sit tibi munus acceptum et nostrorum expiátio delictorum. Per eumdem Dominum.

Praefatio

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, aetérne Deus: qui Unigenitum tuum in cruce pendentem lancea militis transfigi voluisti, ut

apertum Cor, divinae largitatis sacrarium, torrentes nobis fúnderet miseratiónis et gratiae, et quod amóre nostri flagrare nunquam destitit, piis esset requies et poenitentibus pateret salutis refugium. Et ideo...

Communio. Joann. 19, 34. Unus militum lancea latus ejus aperuit, efe continuo exivit sanguis et aqua.

Tempore autem Paschali, in Missis votivis, sic mutatur Communio:

Communio. Joann. 7, 37. Si quis sitit veniat ad me et bibat. Alleluja, Alleluja.

Postcommunio

Prábeant nobis, Dómine Jesu, divinum tua sancta fervorem; quo dulcissima Cordis tui suavitate percepta, discamus terréna despicere, et amare caelestia: Qui vivis.

SABBATO

DE II DIE INFRA OCTAVAM SACRATISSIMI CORDIS JESU

Semiduplex

AD MATUTINUM

Omnia ut in die festo, prœter sequentia.

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. Responsoria de feste.

IN II NOCTURNO

Ex litteris Encyclicis Pii Papae XI

Miserentissimus Redemptor

Lectio IV

Inter cetera infinitae Redemptoris nostri benignitatis documenta, illud potissimum elucet, quod, defervescente christifidelium caritate, ipsa Dei caritas ad honorándum peculiari cultu proposita est, ejusque bonitatis divitiae late patefáctae sunt per eam religionis formam qua Sacratissimum Cor Jesu colitur, « in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi ». Nam, ut quondam humanae genti e Noetica arca exeúnti, amici foederis signum illucéscere Deus voluit « arcum apparéntem in núbibus », sic turbulentissimis recentioris aevi temporibus, cum vaférrima omnium serperet haeresis illa janseniána, amóri in Deum pietatique inimica, quas Deum non tam diligéndum ut patrem quam extimescéndum ut implacábilem judicem praedicabat, benignissimus Jesus Cor suum Sacratissimum, quasi pacis et caritatis vexillum elatum gentibus ostendit, haud dubiam porténdens in certamine victoriam.

1$. Prope est Dominus omnibus invocántibus eum * Omnibus invocántibus eum in veritate. ***f.*** Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors. Omnibus.

Lectio V

Siquidem appòsite felicis recordationis decessor Noster Leo XIII, in: Litteris Encyclicis « Annum Sacrum », tantam cultus Sacratissimi Cordis Jesu opportunitatem admiratus, edicere non dubitavit: «Cum Ecclesia per próxima originibus témpora caesáreo jugo premerétur, conspécta sublime adolescènti imperatóri crux, amplissimae victoriae, quae mox est consecuta, auspex simul atque efïéctrix. En alterum hodie oblatum oculis auspicatissimum divinissimúmque signum: videlicet Cor Jesu Sacratissimum, superimpósita cruce, splendidissimo candore inter flammas elúcens. In eo omnes collocandae spes; ex eo hominum petenda atque exspectánda salus ».

ï$. Confíteor tibi Pater, Dómine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapiéntibus et prudentibus * Et revelásti ea parvulis. Y- Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Et.

Lectio VI

Ac jure id quidem; in illo enim auspicatissimo signo atque in ea, quae exinde consequitur, pietatis forma nonne totius religionis summa atque adeo perfectioris vitae norma continetur, quippe quae et ad Christum Dominum penitus cognoscendum mentes conducat expeditius et ad eundem vehementius diligéndum pressiusque imitandum ánimos inflectat efñcáeius"? Nemo igitur miretur, hanc probatissimam religionis formam decessores Nostros continenter et a calumniatórum criminationibus vindicasse et summis laudibus extulisse et vehementi provexisse studio, prout temporum rerumque rationes postularent. Dei autem adspirante numine factum est ut pia christifidelium erga Sacratissimum Cor Jesu voluntas majora in dies incrementa caperet.

1$. Omnes gentes quascumque fecisti venient * Et adorábunt coram te, Dómine. Y- Et glorificábunt nomen tuum, quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia. Et adorábunt. Gloria Patri. Et adorábunt.

IN III NOCTURNO

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem

Lectio VII *Cap. 19, 31-37*

In illo tempore: Juditi, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in «ruce corpora sabbato, erat enim magnus dies ille sábbati, rogaverunt Pilátum, ut frangeréntur eorum crura et tollerentur. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysóstomi

Homilia 85, alias 84 in Joannem, num. S

Viden' quam fortis sit veritas? Per Judaeórum studia impletur prophetia. Alia quoque praedictio finem accipit. Venientes enim milites aliorum fregérunt crura, Christi non item. Attamen hi, in gratiam Judaeórum, ejus latus lancea perforant, - et mortuo corpori contuméliam inferunt. O sceléstum et exsecrándum facinus! Sed ne turbéris, ne dejiciáris, dilecte. Nam quae mala illi voluntate faciebant, veritatem propugnabant; prophetia namque erat: Videbunt in quem transfìxérunt. Neque hoc tantum; sed etiam iis qui infideles futuri erant, hoc facinus demonstratióni fuit, ut Thomae et ipsi similibus. Ad haec etiam mysterium ineffàbile consummabátur. Exívit enim sanguis et aqua. Non sine causa vel casu hi fontes manarunt, sed quia ex hoc utroque Ecclesia constituta est.

B/. Si exaltatus fuero a terra * Omnia traham ad meipsum. T". Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus. Omnia.

Lectio VIII

Hoc sciunt initiati, qui per aquam regenerantur, ac per sanguinem et «carnem nutriantur. Hinc initium mysteria sumunt, ut, cum ad treméndum póculum accésseris, sic venias ac si ex hoc latere potaturus esses. Et qui vidit testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus. Hoc est: Non ab aliis audivi, sed ipse praesens vidi, et verum est testimonium. Mérito sane. Contuméliam narrat, non magnum quid et mirabile, ut possis contra suspicari; verum ille, haereticorum ora eómprimens et futura praenuntians mysteria, atque contentum in ipsis thesaurum considerans, minutátim recenset et quae gesta sunt. Impleta est autem prophetia illa: Os ejus non comminuent. Etiamsi enim hoc de Judaeórum agno dictum sit, tamen propter veritatem figura praecessit, et in hoc magis completum est. Ideo prophétam in médium adducit.

1$. Simus ergo imitatores Dei * Et ambulémus in dilectione. T". Sicut •et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis. Et ambulémus. •Gloria Patri. Et ambulémus.

Lectio IX

Cum sese testem afferens ubique non videretur fide dignum haberi, adducit Móysen, ut innuat hoc non casu factum esse, sed jam ohm scripto fuisse praenuntiatum. Hoc illud dictum est: Os ejus non comminuétur. Bursúmque ex seipso Prophetae fidem facit. Haec dixi, inquit, ut discátis magnam esse affinitatem inter figuram et veritatem. Viden' quantam curam

adhibeat, ut credatur illud quod turpe et ignominiósum videtur? Nam corpus a milite contumèlia affici, longe pejus erat quam crucifigi. Attamen et haec dixi, inquit, et cum magna diligentia dixi, ut credátis. Nemo itaque fidem neget, neque prae pudóre nostris noceat. Nam quae maxime contu» meliósa videntur, haec sunt bonorum nostrorum honestissima.

Te Deum laudamus.

DOMINICA

INFRA OCTAVAM SACRATISSIMI CORDIS JESU

QUIE EST III POST PENTECOSTEN

Semiduplex

Omnia dicuntur ut in Festo, -praeter sequentia:

IN I VESPERIS

Capitulum *1 Petri S, 6-7*

Carissimi humiliámini sub potènti manu Dei, ut vos exáltet in tempore visitationis; omnem sollicitudinem vestram projiciéntes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.

Ad Magnificat Ant. Cognoverunt omnes * a Dan usque Bersabée, quod fidelis Samuel propheta esset Domini.

Oratio

Protector in te sperántium, Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum; multiplica super nos misericordiam tuam; ut, te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittámus aetérna. Per Dominum.

Et fit Commemoratio Octavae. Ant. Ad Jésum, *Y.* ïïauriétis.

Completorium de Dominica.

AD MATUTINUM

In I'Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. Responsoria de Festo.

IN II NOCTURNO

Ex litteris Encyclicis Pii papae XI

Lectio IV

At certe inter cetera illa, quae proprie ad Sacratissimi Cordis cultum pertinent, pia eminet ac memoranda est consecratio, qua, nos nostraque omnia aeternae Numinis caritati accepta referentes, divino Jesu Cordi devovémus. Verum, aliud accedat oportet, honestae satisfactionis, inquimus, seu

reparationis, quam dicunt, officium Sacratissimo Cordi Jesu praestandum. Nam, si illud est in consecratione primum ac praecipuum ut amóri Creatoris creaturae amor rependatur, alterum sponte hinc sequitur, ut eidem increato Amóri, si quando aut oblivióne neglectus, aut offensa violatus sit, illatae quoquo modo injúriae compensari debeant: quod quidem debitum reparationem vulgato nomine vocamus.

1$. Prope est Dominus omnibus invocántibus eum * Omnibus invocántibus eum in veritate, *"f.* Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors. Omnibus.

Lectio V

Quodsi ad utramque rem iisdem prorsus rationibus impellimur, reparandi tamen expiandique officio ob validiórem quendam iustitiae et amoris, titulum tenemur: iustitiae quidem, ut irrogata Deo nostris flagitiis expiétur offensa et violatus ordo paenitentia redintegrétur; amoris vero, ut Christo patienti ac «saturato oppróbriis» compatiámur eique nonnihil solacii pro tenuitate nostra afferamus. Peccatores enim cum simus omnes, multisque onerati culpis, non eo solo cultu Deus noster nobis est honorándus, quo vel ejus summam Maiestatem debitis obsequiis adoremus, vel ejus supremum dominium precando agnoscamus, vel ejus infinitam largitatem gratiarum actionibus laudemus; sed praeterea Deó justo vindici satisfaciámus oportet « pro innumerabilibus peccatis et offensiónibus et negligéntiis » nostris-Consecrationi igitur, qua Deo devovémur et sancti Deo vocamur, ea sanctitate ac firmitate quae, ut docet Angelicus, consecrationis est propria, addenda est expiátio, qua penitus peccata exstinguantur, ne forte indignitatem nostram impudéntem revérberet summae justitiae sanctitas, munusque nostrum potius arceat invisum quam gratum suscipiat.

3$. Confíteor tibi Pater, Dómine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus * Et revelásti ea parvulis, ***f.*** Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Et revelásti.

Lectio VI

Hoc autem expiatoriis officium humano generi universo incumbit, quippe quod, ut christiana docemur fide, post Adae miserandum casum, hereditaria labe infectum, concupiscentiis obnoxium et misèrrime depravatimi, in perniciem detrudéndum fuisset sempiternam. Id quidem supèrbi hac nostra aetate sapientes, veterem Pelágii. errorem secuti, inficiántür, nativam quandam virtutem humanae naturae jactantes quae suapte vi ad altiora usque progrediatur; sed falsa haec humanae supérbiae comménta réjicit Apostolus, illud nos admonens: «natura eramus filii irae ». Et san«

jam ab initio communis illius expiatiónis debitum quasi agno vére homines et Deo sacrificiis vel publicis placando, naturali quodam sensu ducti, operam dare coeperunt.

1$. Omnes gentes quascumque fecisti venient * Et adorábunt coram te, Dómine, *f.* Et glorincábunt nomen tuum, quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia. Et adorábunt. Gloria Patri. Et adorábunt.

IN III NOCTURNO

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam

Lectio VII *Cap. 15, 1-10*

In illo tempore: Erant appropinquántes ad Jesum publicam et peccatores, ut audirent illum. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papae

Homilia 34 in Evang., n. 2-3

Audistis in lectione evangélica, fratres mei, quia peccatores et publicam accesserunt ad Redemptorem nostrum; et non solum ad. colloquendum, sed etiam ad convescóndum recepti sunt. Quod videntes pharisaei dedignáti sunt. Ex qua re colligite quia vera' justitia compassionem habet, falsa justitia dedignatiónem. Quamvis et jusfci soleant recte peccatoribus dedignári: sed aliud est quod agitur typho supérbiae, aliud quod zelo disciplinae.

1$. Ego si exaltatus fuero a terra * Omnia traham ad meipsum. *f.* Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus. Omnia.

Lectio VIII

Dedignántur etenim, sed non dedignántes; despérant, sed non desperantes; persecutionem cómmovent, sed amantes: quia etsi foris increpatiónes per disciplinam exággerant, intus tamen dulcédinem per caritatem servant. Praeponant sibi in ánimo ipsos plerumque quos córrigunt: meliores existimant eos quoque quos júdicant. Quod videlicet agentes, et per disciplinam subditos, et per humilitatem custodiunt semetipsos.

1$. Simus ergo imitatores Dei * Et ambulémus in dilectione. T. Sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum ¡pro nobis. Et ambulémus. Gloria Patri. Et ambulémus.

Lectio IX

At contra, hi qui de falsa justitia superbire solent, ceteros quosque despiciunt, nulla infirmántibus misericordia condescéndunt, et quo se peccatores esse non credunt, eo deterius peccatores fiunt. De quorum profecto número

pharisaei exstiterant, qui dijudicántes Dominum quod peccatores susciperet, arénti corde ipsum fontem misericordiae reprehendébant. Sed quia aegri erant, ita ut aegros se esse nescirent, quatenus quod erant agnóscerent, caelestis eos medicus blandís foméntis curat, benignum paradigma óbjicit, et iri eorum corde vúlneris tumórem premit.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES

Capitulum Carissimi humiliámini, *ut in I Vesperis.*

Ad Bened. Ant. Quis ex vobis * homo qui habet centum oves et, si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto et vadit ad illam quae perierat, donec inveniat eam? Alleluja.

Oratio Protector *ut in I Vesperis.*

M -fit Commemoratio Octavee: Ant. Facta sunt. T. Hauriétis.

Ad Primam Psalmi ut in Festis, ei ad absolutionem Capituli Lectio-brevis Deus autem omnis gratiae, *ut infra ad Nonam.*

AD TERTIAM

Capitulum Carissimi humiliámini, *ut in I Vesperis.*

Oratio Protector, *ut in I Vesperis.*

AD SEXTAM

Capitulum *1 Petr. 5, 8-9*

Sobrii estete et vigilate, quia adversarius vester diäbolus tanquam leo rugiens circuit quaerens quem dévoret, cui resistite fortes in fide, scientes eamdem passionem ei, quae in mundo est, vestrae fraternitati fieri.

Oratio Protector, *ut in I Vesperis.*

AD NONAM

Capitulum *1 Petr. ô, 10-11*

Deus autem omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit solidabitque. Ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

Oratio, Protector, *ut in I Vesperis.*

IN II VESPERIS

Capitulum Carissimi humih'ámini, *ut in I Vesperis.*

Ad Magnif. Ant. Quae mulier * habens drachmas decem, et si perdiderit drachmam unam, nonne accéndit lucérnam et evérrit domum et quaerit diligenter donec inveniat?

Oratio Protector, *ut in I Vesperis.*

Et fit Commemoratio sequentis diei infra Octavam: Ant. Ignem, *Y.* Tóllite. *Si autem sequenti die faciendum non sit officium de Octava, dicitur Ant.* Ad Jesum, *Y-* Hauriétis.

FERIA II

DE DIE IV INFRA OCTAVAM SACRATISSIMI CORDIS JESU

Semiduplex

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. Responsoria de Festo»

IN II NOCTURNO

* Ex litteris Encyclicis ~Pii Papae XI

Lectio IV

At nulla creata vis hominum sceléribus expiándis erat satis, nisi humanam naturam Dei Filius reparandam assumpsisset. Quod quidem ipse hominum Salvator sacri Psaltis ore nuntiavit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptas ti mihi: holocautómata pro peccato non tibi placuerunt: tunc dixi: Ecce vénio. Et reapse vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit; vulnerátus est propter iniquitates nostras et peccata nostra ipse pértulit in corpore suo super lignum; delens quod adversus nos erat chirographum decréti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio affigens illud'cruci, ut peccatis mortui justitiae vivámus. Quamquam véro copiósa Christi redemptio abunde nobis omnia delicta donavit, ob miram tamen illam divinae Sapientiae dispensationem, qua in carne nostra adimplenda sunt quae desunt passionum Christi pro corpore ejus quod est Ecclesia, etiam laudibus et satisfactiónibus, quas Christus in nomine peccatorum Deo persolvit, nostras quoque laudes et satisfactiones adjicere possumus, immo etiam debemus.

3$. Prope est Dominus omnibus invocántibus eum * Omnibus invocántibus eum in veritate. V. Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors. Omnibus.

Lectio V

At semper meminerimus oportet, totam expiatiónis virtutem ab uno Christi cruènto sacrificio pendere, quod sine temporis intermissióne in nostris altaribus incruènto modo renovatur; siquidem una eademque est Hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa; quamobrem cum hoc augustissimo Eucharistico sacrificio et ministrorum et aliorum fidelium immolati© eonjúngi debet, ut ipsi quoque hostias viventes, sanctas, Deo placéntes

sese exhibeant. Quin immo, sanctus Cyprianus aíñrmáre non dubitat sacrificium dominicum legitima sanctificatione non celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passióni. Quapropter nos monet Apostolus, ut mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, atque cum Christo consepúlti et compiantati similitùdini mortis ejus, non modo carnem nostram crucifigámus cum vitiis et concupiscentiis, rugientes ejus quae in mundo est concupiscentiae corruptiónem, sed et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris et, aetérni ejus sacerdotii partícipes effecti, offeremus dona et sacrificia pro peccatis.

3$. Confíteor tibi Pater, Dómine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus * Et revelásti ea parvulis. T- Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Et revelásti.

Lectio VI

Neque enim arcani hujus sacerdotii et satisfaciendi sacrificandique muneris participatione ii soli fruuntur, quibus Pontifex noster ' Christus Jesus administris utitur ad oblationem mundam divino Nomini ab ortu solis usque ad occasum omni loco offerendam; sed etiam christianorum gens universa, ab Apostolorum Principe genus electum, regale sacerdotium jure appellata, debet cum pro se, tum pro toto humano genere offerre pro peccatis, haud aliter propemodum quam sacerdos omnis ac pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum.

1$. Omnes gentes quascumque fecisti venient * Et adorábunt coram te, Dómine, ***f.*** Et glórificábunt nomen tuum quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia. Et adorábunt. Gloria Patri, Et adorábunt.

IN III NOCTURNO

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem

Lectio VII *Cap. 19, 31-37*

In illo tempore: Judaéi, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, erat enim magnus dies ille sábbati, rogaverunt Pilátum, Ut fraugeréntur eorum crura et tollerentur. Et reliqua.

Homilia sancti Laurentii Justiniáni Episcopi

De triumphali Christi agone, cap. 21

Ad Jesum igitur cum venissent, illumque iam mortuum conspexissent, ipsius minime crura fregérunt, verum astantium unus, vibrata lancea, latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Grande prorsus et inauditum prodigium, ut de examinato corpore sanguis exiret et aqua. Verumtamen, máximum, in re hac gesta, nobis voluit Dei sapientia com-

mendace sacramentum, sui videlicet, et Ecclesias unitatem. Hujus enim spiritualis cópulas figura processit, quando de latere Adas dormiéntis una ex costis ipsius subtracta narratur, atque de eadem Eva cunctorum parens formata est, quas typum gerebat Ecclesias. Significabat tunc Spiritus Sanctus, verum et spiritualem Adam esse futurum, qui Paracléti virtute plasmátus, dum dormirei in cruce, de ipsius latere, profitentibus aqua et sanguine, speciósa sponsa sine ruga et macula, formarétur Ecclesia.

1$. Ego si exaltatus fuero a terra * Omnia traham ad meipsum, y. Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus. Omnia.

Lectio VIII

Hasc quippe sunt sacramenta ecclesiastica per quas totum corpus Ecclesias abluitur atque sanctificatur. In lavacro utique aquas regenerationis, quod Christi morte sacrátur, ab originali contagione mundetur. In Redemptoris vero sanguine nedum ab omni culpa purgatur, verum etiam regni caelestis illi aperitur introitus. Ambo hasc in unum effectum conveniunt nec unum sine altero valet ad salutem prodésse: non enim absque baptismi sacraménto et peccatorum remissióne, potest quis futuras beatitudinis hereditatem percipere. Hoc ubique in orbe terrarum sancta mater confitetur Ecclesia, et multiplicibus Scripturarum divinarum testimoniis roboratur. Insuper et qui vidit de Christo aquam emanare et sanguinem, testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus. Nempe iste est Joannes Apostolus et Evangelista, qui praecipuo amóre dilectus est a Domino.

~E$. Simus ergo imitatores Dei * Et ambulémus in dilectione. *T-* Sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis. Et ambulémus. Gloria Patri. Et ambulémus.

Lectio IX

Profecto hasc facta sunt ut Scriptura impleretur quas ait: Os non comminuétis ex eo. A Domino quippe Móysi fuerat imperatum ne in sacrificii phase, in celebratione immolati agni, ullum comminuerétur os. In Dómino autem Jesu iniiocentissimo agno, figuras veritas est compléta. Nequáquam crura illius sunt fracta, quemadmodum duorum nequam cum eo pendéntium; sed tantum illius latus apertum, quatenus alia Scriptura perficeretur quas dicit: Videbunt in quem transfìxérunt. Porro vúlnerum cicatrices in suo voluit Dominus corpore retinere, ut, sicut electis incentivum devotionis, ita et réprobis irrefragàbile fieret testimonium damnationis. Ita omnia consummata in Christo, longe ante Prophetárum oraculis promulgata fuere, quatenus catholica fides tam pro se quam adversus haereticorum munirétur errores.

Te Deum laudamus.

FERIA III

DE DIE V INFRA OCTAVAM SACRATISSIMI CORDIS JESU

Semiduplex

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente Responsoria de Festo

IN II NOCTURNO

Ex litteris Encyclicis Pii Papae XI

Lectio IV

Quo autem perfectius oblatio nostra nostramque sacrificium sacrificio dominico responderit, idest amorem nostri cupiditatésque nostras immolavérimus.et carnem crucifixérimus crucifixióne ea mystica, de qua loquitur Apostolus, eo uberiores propitiatiónis atque expiatiónis pro nobis aliisque percipiamus fructus. Mirifica enim viget fidelium omnium cum Christo necessitudo, qualis inter caput et cetera corporis membra intercedit, itemque arcana illa, quam fide catholica profitemur, Sanctorum communione, cum singuli homines tum populi non modo conjunguntur inter se, sed etiam cum eodem qui. est caput Christus, ex quo totum corpus compáctum et connexum per omnem juncturam subministratiónis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri augmentum corporis sui facit in aedificationem sui in caritate. Quod quidem Mediator ipse Dei et hominum Christus Jesus, morti proximus, a Patre postulárat: Ego in eis et tu in me ut sint consummati in unum.

3$. Prope est Dominus ómnibus invocántibus eum * Omnibus invocántibus eum in veritate. T. Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors. Omnibus.

Lectio V

Quemadmodum igitur unionem cum Christo profitetur ac firmat consecratio, ita expiátio eamdem unionem, et culpas detergendo ínchoat, et Christi passiónes participando perficit, et victimas pro fratribus offerendo consummat. Atque id sane miserentis Jesu consilium fuit, cum Cor nobis suum, insignia passionis praeferens ac flammas amoris ostentans, patere voluit, scilicet ut hinc infinitam peccati malitiam connectantes, illinc Reparatóris caritatem infinitam admirati, et peccatum vehementius detestarémur et caritatis ardentius vicem redderémus. Et vere expiatiónis potissimum seu reparationis spiritus primas semper potiorésque partes habuit

in cultu Sacratissimo Cordi Jesu exhibendo, nihilque eo congruentius origini, indoli, virtuti, industriis quae huic religionis formae sunt propriae, üt rerum memoria et usus, sacra item liturgia atque Summorum Pontificum acta confirmant.

3$. Confíteor tibi Pater, Dómine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus * Et revelásti ea parvulis, y. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Et revelásti.

Lectio VI

Siquidem cum se conspiciéndum Margaritae Mariae exhiberet Christus, caritatis suae inanitatem praedicans, simul, maeréntis instar, tot tantasque sibi inustas ab ingrátis hominibus injurias in haec verba conquestus est, quae utinam in piorum animis insidérent nullaque unquam oblivióne deleréntur: « En Cor Illud, inquit, quod tantopere homines amavit beneficiis-, que omnibus cumulavit, quodque amóri suo infinito non tantum redditam gratiam nullam invenit, at contra, oblivionem, neglectum, contumelias, easque ab iis etiam illatas nonnunquam, qui amoris peculiaris débito officioque tenerentur ».

3$. Omnes gentes quascumque fecisti venient * Et adorábunt coram te, Dómine. T. Et glorificábunt nomen tuum quoniam magnus es tu, et ***ié¿*** ciens mirabilia. Et adorábunt. Gloria Patri. Et adorábunt.

IN III NOCTURNO

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem

Lectio VII *Cap. 19, 31-37*

In illo tempore: Judasi, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, erat enim magnus dies ille sábbati, rogaverunt Pilátum, ut frangeréntur eorum crura et tollerentur. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardini Senensis

Quadragesimale de Christiana Religione. Sermo 5

Joannes subdit: Unus militum lancea latus ejus aperuit et continuo exivit sanguis et aqua. O amor qui omnia liquas! quomodo pro redemptione nostra reliquisti dilectórem nostrum? Nam, ut undique inundáret amoris dilùvium, super nos ruptae sunt abyssi magnae; scilicet, penetrália Cordis Jesu, quibus, ad intima progrediens, dira lancea non pepercit.

Sanguis exivit et aqua. Sanguis in redemptionem, sed etiam in ablutionem aqua deflúxit; unde formata est Ecclesia ex latere Christi, ut aetérne unicam atque dilectam a Christo se discat, et ut recognoscat quam displicuit culpa pro qua sanguis divinus ex homine Deo vivo et mortuo ita deflúxit. Non enim parva quantitate constámus, si pro nobis sanguis divinus effunditur.

1$. Ego si exaltatus fuero a terra * Omnia traham ad meipsum. T. Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus. Omnia.

lectio VIII

Aqua ad litteram non cum sanguine indistíncta deflúxit. Neque enim potuisset ab insipiéntibus comprehendi, si mixta cum sanguine defluxisset. Et forte totus sanguis deflúxit ex illo divino corpore in signum totius amoris effusi, post quem humor áqueus egressus est. Quod quidem est alto mysterio factum, ut prius egrederétur ex eodem corpore redimens pretium, deinde aqua in qua multitudo populorum redempta significatur. Sunt enim aquas multas, populi multi; tamen qui ad christianam fidem pertinent unus fidelis populus sunt, ut non sint aquas, sed aqua quas manavit ex latere Christi, sicut prima Corinthiórum capite décimo Apostolus ait: Unus panis, et unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane et de uno cálice participamus. Et iterum ad Ephesios, capite quarto, inquit: Unus Deus, una fides, unum baptisma.

3$. Simus ergo imitatores Dei * Et ambulémus in dilectione. T. Sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis. Et ambulémus, Gloria Patri. Et ambulémus.

Lectio IX

Notánter tamen advertendum est quod latus Christi apertum dicitur, non vulnerátum; quoniam proprie vulnus praeterquam in vivo corpore fieri nequit. Ait enim Evangelista Joannes: Unus militum lancea latus ejus aperuit; ut, apèrto latere, cognoscámus dilectionem Cordis sui usque ad mortem, et ad illum inefíábilem amorem ejus ingrediamur quo ille ad nos processit. Accedamus ergo ad Cor ejus, Cor altum, Cor secretum, Cor omnia cogitare, Cor omnia sciens, Cor diligens, immo amóre ardens; et apertam portam intelligámus saltem in amoris vehementia; cordiformes ingrediamur ad secretum ab aeterno absconditum, nunc vero in morte quasi apèrto latere revelatum; quoniam apértio láteris asterai templi apertionem demonstrat, ubi omnium exsistentium consummata est felicitas aetérna.

Te Deum laudamus.

FERIA IV

DE VI DIE INFRA OCTAVAM SACRATISSIMI CORDIS JESU

Semiduplex

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. Responsoria de Festo.

IN II NOCTURNO

Ex litteris Encyclicis Pii Papae XI

Lectio IV

At enim beáte regnántem Christum in caelis qui piaculares ritus consolari queant? Scilicet « da amántem et sentit quod dico » repónimus, Augustini verbis usi, quae in hunc locum aptissime cadunt. Dei enim amantissimus quisque, si praeteriti temporis spatium respiciat, videt meditando intuetúrque Christum pro homine laborantem, doléntem, durissima quaeque perpetiéntem, « propter nos homines et propter nostram salutem » tristitia, angoribus, oppróbriis paene confectum, immo « attritum propter scélera nostra » ac suo nos livóre sanantem. Atque haec omnia eo verius piorum meditántur animi, quod peccata hominum ac flagitia quovis tempore perpetrata in causa fuerunt cur Dei Filius morti traderetur, eademque nunc etiam mortem ipsam per se essent Christo illatúra, iisdem cum doloribus maeroribúsque conjúnctam, quippe singula passionem Domini, suo quodam modo renovare censeantur: « Rursus crucifigéntes sibimetipsis Filium Dei et osténtui habentes ».

1$. Prope est Dominus omnibus invocántibus eum * Omnibus invocán-(ibus eum in veritate, ***f.*** Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors. Omnibus.

Lectio V

Quodsi propter peccata quoque nostra, quae futura quidem erant at praevisa, ánima Christi tristis facta est usque ad mortem, haud dubium quin solacii nonnihil jam tum ceperit etiam e nostra item praevisa, reparatione, cum « apparuit illi Angelus de caelo » ut Cor ejus taedio et angoribus oppréssum consolarétur. Atque ita Cor illud sacratissimum, quod **Migra**torum hominum peccatis continenter sanciatur, etiam nunc mira quidem sed vera ratione solàri possumus ac debemus, quandoquidem, ut in sacra quoque liturgia legitur, ex ore Psaltis, Christus ipse se ab amicis suis derelictum conqueritur: « Impropérium exspectávit Cor meum et misériam, et sustinui qui simul contristarétur et non fuit, et qui consolarétur et non inveni ».

3$. Confíteor tibi Pater, Dómine esali et terras, quia abscondisti hase a sapientibus et prudentibus * Et revelásti ea parvulis, ***f.*** Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Et revelásti.

Lectio VI

Accedit quod passio Christi expiátrix renovatur et quodammodo continuatur et adimpletur in corpore suo mystico, quod est Ecclesia. Etenim, ut rursus sancti Augustini verbis utamur, « passus est Christus quidquid pati debuerat; jam de mensura passionum nihil deest. Ergo impletas sunt passiónes, sed in capite; restábant adhuc Christi passiónes in corpore ». Quod quidem Dominus ipse Jesus declarare dignatus est, cum ad Saulum « adhuc spirántem minárum et caecus in discipulos » loquens: « Ego sum, inquit, Jesus quem tu persequens », haud obscure significans, commotis in Ecclesiam insectatiónibus, ipsum divinum oppugnári ac vexári Ecclesias Caput. Jure igitur meritoque Christus in corpore suo mystico adhuc patiens, nos expiatiónis suas socios habere exoptat, idque etiam ipsa nostra cum eo necessitudo postulat; nam cum simus « corpus Christi et membra de membro », quidquid patitur caput, omnia cum eo membra patiantur oportet.

3$. Omnes gentes quascumque fecisti venient * Et adorábunt coram te Dómine, ***f.*** Et glorificábunt nomen tuum quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia. Et adorábunt. Gloria Patri. Et adorábunt.

IN III NOCTURNO

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem

Lectio VII *Cap. 19, 31-37*

In ilio tempore: Judasi, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, erat enim magnus dies ille sábbati, rogaverunt Pilátum, ut frangeréntur eorum crura et tollerentur. Et reliqua.

Homilía sancti Petri Canisii presbyteri.

Exhortationes domesticae. Med. 6-7.

Diligenter tecum ánimo versa, quam inefïabilis fuerit illa caritas qua Deus summus, in maximis Cordis angustiis et totius mundi oppróbriis, pro te vilíssimo vermículo illam crucis acerbissimum mortem perpessus fuerit. Advérte ut summam Christus Seryátor suis liberalitatem ómnibus exhibuit. Aliquando enim in medio populi stans, ita clamábat: Si quis sitit veniat ad me et bibat: paratum se ostendens ómnibus omnium necessitatibus subvenire. Considerato ut libéralissime tibi Cordis sui pretiosum

sanguinem propinávit, quando, sacro latere apèrto, quidquid reliquum erat in corpore sanguinis profúdit.

1$. Ego si exaltatus fuero a terra * Omnia traham ad meipsum. *f.* Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus. Omnia.

Lectio VIII

In Evang. dom. 1 post Pascha

Quare, ne prorsus ingrátus sim, hos perennes fontes donorum ac bonorum omnium mihi ob oculos saepe proponam, cum de illis dulcissima exstet promissio: Háurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris et dicetis in die illa: Confìtémini Domino. Ad haec ipsa ter beata petrae non diruéndae forámina confúgiam ; in illis meum nidum firmissimum ponam, nihil habens antiquius, praeterquam ut in meis angoribus atque periculis vulnerum Domini memorando respirem.

1$. Simus ergo imitatores Dei * Et ambulémus in dilectione, *f.* Sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis. Et ambulémus. Gloria Patri. Et ambulémus.

Lectio IX

Medii. 6

Et tu in omni tentatione fuge diligenter in amabile Christi Cor, ejusque bonitatem et caritatem tibi propone, et cum illa confer tuam vilitátem, malitiam, infidelitatem, arrogántiam. Quanta enim caritas Christi omnes ad se convocántis: Venite ad me omnes qui laborátis et onerati estis, et ego reficiam vos, et sic paratum se offert et cupit, amóre nostri, omnium et singulorum onera sustinere! Unde magna cum fiducia in caritatis ejus abyssum prójice peccata tua et mox te invenies exonerátum.

Te Deum laudamus.

FERIA V

DE VII DIE INFRA OCTAVAM SACRATISSIMI CORDIS JESU

Semiduplew

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. Responsoria de Festo.

IN II NOCTURNO

Ex litteris Encyclicis Pii Papae XI

Lectio IV

Quantopere autem hujúsmodi expiatiónis seu reparationis necessitas hac nostra potissimum aetate urgeat, nemini non manifestum erit, qui, ut initio diximus, hunc mundum in maligno positum, oculis animoque perlu-

stráverit. Undique enim geméntium ad Nos populorum clamor adscéndlt, quorum príncipes vel rectores vere adstiterunt et convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Ecclesiam ejus. At etiam dolendum, quod inter ipsos fideles, sanguine Agni immaculáti in baptismo ablutus, gratiáque locupletatas, tot inveniantur cujúsvis ordinis homines, qui incredibili rerum divinarum ignorantia laborantes et falsis doctrinis infecti, vitiis irretitam, procul a domo Patris, vitam traducant, quam nec verae fidei lumen collustrat, nec spes futurae beatitatis deléctat, nec ardor reiicit fovétque caritatis, ut sedére in tenebris et in umbra mortis vere videantur.

3$. Prope est Dominus omnibus invocántibus eum * Omnibus invocántibus eum in veritate. T. Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors. Omnium.

Lectio V

Hisce vero malis veluti in cumulum accedit cum eorum ignavia atque socórdia, qui, dormitántium et fugiéntium instar discipulorum, mitantes in fide, Christum angoribus opprésssum vel Sátanae satellitibus circumvéntum misere derelinquunt, tum eorum perfidia, qui, Judae proditóris exemplum secuti, aut temere et sacrilege de altari libant, aut ad hostium castra transfugiunt. Atque ita vel invitum subit cogitatio animum, jam propius adventáre témpora de quibus Dominus Noster vaticinátus est: Et quoniam abundavit iniquitas, refrigéscet caritas multorum. Quae quidem omnia quotquot pie commentati erunt fideles, facere non poterunt, quin, Christi perdolentis incènsi caritate, vehementióre studio suas aliorumque culpas expient, Christi honorem resárciant, aeternámque provehant animarum salutem.

ï^. Confíteor tibi Pater, Dómine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus * Et revelásti ea parvulis, y. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Et revelásti.

Lectio VI

Et sane illud Apóstoli: Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia, aliquo pacto ad hanc quoque aetatem nostram describéndam accommodare licet: nam, aucta admodum perversitáte hominum, mirifice item, Spiritu Sancto afflante, numerus fidelium utriusque sexus augetur, qui alacriore ánimo pro tot illatis injúriis divino Cordi satisfacere student, immo etiam se ipsos Christo victimas offerre non dubitant. Etenim quae usque adhuc memoravimus si quis secum ánimo reputet amanter eademque veluti in medúllis defixa habeat, fieri profecto non potest quin is non tam ab omni peccato tamquam summo malo abhórreat atque abstineat, quam se totum

Dei Voluntati permittat, et laesum divinae Majestátis honorem, cum continenter orando, tum afflictatiónibus sponte susceptis aerumnlsque, si quae inciderint, patienter tolerátis, tum tota demum vita hoc expiatiónis studio exigenda, resarcire contendat.

Omnes gentes quascumque fecisti venient * Et adorábunt coram te, Dómine. y. Et glorificábunt nomen tuum' quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia. Et adorábunt. Gloria Patri. Et adorábunt.

IN III NOCTURNO

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem

Lectio VII *Cap. 19, 31-37*

In illo tempore: Judaéi, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, erat enim magnus dies ille sábbati, rogaverunt Pilátum, ut frangeréntur eorum crura et tollerentur. Et reliqua.

Homilia sancti Cyrilli Episcopi Alexandrini

Com. in Joan. lib. 12, cap. 19.

Non haec ait beatus Evangelista, quasi pietatem ullam efferátis et crudélibus Judaéis tribuat, sed ut ostendat stulte eos et imperite excoláre eúlicem, et camélum deglutire, sicut a Christo dictum est. Gravissima enim et immánia scélera pro nihilo ducere comperiúntur: mínima vero et exilia, caute admodum ac sollicite observant, suam utrobíque pandantes inscitiam. Quod in promptu est ostendere. Ecce enim Christo interfecto sábbati honorem magni faciunt, et incredibili audàcia, violato legis auctore, pietatem erga legem prae se ferunt.

1$. Ego si exaltatus fuero a terra * Omnia traham ad meipsum, y. Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus. Omnia.

Lectio VIII

Magnum autem illius praecipue sábbati diem colere simulant, qui magnae diei Dominum interemérunt, et gratiam se solis dignam flagitant, ut eorum nempe crura frangantur, intolerabili dolóre acerbiórem morte, ipsa perniciem prope jam mortuis molientes. Venerunt ergo milites, et primi quidem fregérunt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo. Judaeórum petitioni milites obsecuti, qui simili crudelitátis furóre laborabant, duorum quidem latronum, quippe qui vivi adhuc reperti essent, crura confrmgunt. Sed, cum Jesum inclinasse caput comperissent, et jam exspirásse putarent, frustra ejus crura confringi existimant, sed, cum adhuc mortuum esse nonnihil diffidérent, lancea latus ejus perfódiunt, unde

eruor aqua mixtus scatúriit, quod eulógiae mysticae et sancti baptismatis imago quaedam erat atque primitias.

3^. Simus ergo imitatores Dei * Et ambulémus in dilectione. V. Sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis. Et ambulémus. Gloria Patri, Et ambulémus.

Lectio IX

Ex iis autem quae contigerunt, sapientissimus Evangelista confirmat auditoribus eum esse Christum, qui per sanctas olim praedictus est Scripturas; consentanea enim divinis de eo oraculis evenérunt. Nec enim os. ejus contractum est, et militum lancea transfixus est, secundum Scriptiiras. Spectatórem vero ejus rei ait exstitisse discipulum ipsum qui testimonium perhibet de his, et scire se vera testari, seipsum his verbis, non alium dénotans.

Te Deum laudamus.

Vesperas de sequenti die octava.

FERIA VI

IN OCTAVA SACRATISSIMI CORDIS JESU

Duplex majus

Omnia ut in die festo, praeter sequentia:

in I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. Responsoria de Festo.

•*i*

IN II NOCTURNO

Sermo sancti Bernardi Abbatis

Lectio IV *Sermo 61 in Cantica Canticorum, nn. 3-5*

Revéra ubi tuta firmaque infirmis securitas et requies, nisi in vulneribus Salvatoris? Tanto illic securior hábito, quanto ille potentior est ad salvandum. Premit mundus, premit corpus, diábolus insidiatur: non cado; fundatus enim sum supra firmam petram. Peccavi peccatum grande: turbábitur conscientia, sed non perturbantur, quoniam vulnerum Domini recordábor. Nempe vulnerátus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte solvatur? Si ergo in mentem venerit tam potens tamque efficax medicaméntum, nulla jam possum morbi malignitáte terréri.

1$. Prope est Dominus ómnibus invocántibus eum * Omnibus invocántibus eum in veritate. *T.* Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors. Omnibus.

Lectio V

Ego vero fidenter quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini, quoniam misericordiae áífluunt; nec desunt forámina, per quae affluant. Fodérunt manus ejus et pedes, latusque lancea foravérunt; et per has rimas licet mihi súgere mel de petra, oleúmque de saxo durissimo; id est gustare et videre quoniam suavis est Dominus. Cogitábat cogitationes pacis, et ego nesciebant. Quis enim cognovit sensum Domini'? aut quis consiliarius ejus fuit? At clavis réserans, clavus pénetrans factus est mihi ut videam voluntatem Domini. Quidni videam per foramen? Clamat clavus, clamat vulnus, quod vere Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi.

3$?. Confíteor tibi Pater, Dómine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus * Et revelásti ea parvulis. T. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Et revelásti.

Lectio VI

Ferrum pertransiit animam ejus, et appropinquávit Cor illius, ut non jam non sciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum Cordis per forámina corporis; patet magnum illud pietatis sacramentum, patent viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Quidni viscera per vulnera pateant? In quo enim clarius quam in vulneribus tuis eluxisset, quod tu, Dómine, suavis et mitis, et multae misericordiae? Majorem enim miseratiónem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro addictis morti et damnatis. Meum proinde meritum, miserátio Domini. Non plane sum mèriti inops, quamdiu ille miserationum non fuerit. Et si misericordiae Domini ab aeterno et usque in aeternum, ego quoque misericordias Domini in aeternum cantábo.

3$.' Omnes gentes quascumque fecisti venient * Et adorábunt coram te, Dómine, ***f.*** Et glorificábunt nomen tuum quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia. Et adorábunt. Gloria Patri. Et adorábunt.

IN III NOCTURNO

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem

Lectio VII *Cap. 19, 31-37*

In illo tempore: Judaéi, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, erat enim magnus dies ille sábbati, rogaverunt Pilátum, ut frangeréntur eorum crura et tollerentur. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi

Tractatus 120 in Joannem, nn. 2-3

Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, • non fregérunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Tignanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: latus ejus percússit, aut vulnerávit, aut quid aliud, sed aperuit, ut illic quodammodo vitae ostium panderétur, unde Sacramenta Ecclesias manaverunt, sine quibus ad vitam, qua vera vita est, non miratur. Ille sanguis in remissionem f usus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat póculum, haec et lavacrum praestat et potum. Hoc praanuntiábat quod Noë in latere arcae ostium facere jussus est, qua intrarent animalia quae non erant dilùvio peritura, quibus praefigurabátur Ecclesia.

Ego si exaltatus fuero a terra * Omnia traham ad meipsum. ***f.*** Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus. Omnia.

Lectio VIII

Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormiéntis, et appellata est vita matérque vivorum. Magnum quippe significavit bonum, ante magnum praevaricatiónis malum. Hic secundus Adam, inclinato capite, in cruce dormivit, ut inde formarétur ejus conjux, quae de latere dormiéntis effluxit. O mors unde mortui reviviscunt! Quid isto sanguine mundius? Quid vulnere isto salubrius'? Et qui vidit, inquit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus; et ille scit quia vera dicit, ut et vos credátis. Non dixit: Ut et vos sciatis, sed ut credátis. Scit enim qui vidit, cujus credat testimonio qui non vidit. Magis autem ad fidem pertinet crédere quam videre.

I?. Simus ergo imitatores Dei * Et ambulémus in dilectione. T- Sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis. Et ambulémus. Gloria Patri. Et ambulémus.

Lectio IX

Duo testimonia de Scripturis reddidit singulis rebus quas factas fuisse narrávit. Nam quia dixerat: Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregérunt ejus crura, ad hoc pertinet testimonium: Os non comminuétis ex eo: quod praeceptum erat eis qui celebrare Pascha jussi sunt ovis immolatióne in veteri lege, quae Dominicae Passionis umbra praecesserat; unde Pascha nostrum immolátus est Christus; de quo et Isaias Propheta prsedixerat: Sicut ovis ad immolándum ductus est. Item quia

subjunxerat dicens: Sed unus militum lancea latus ejus aperuit, ad noe pertinet alterum testimonium: Videbunt in quem transfìxérunt, ubi promissus est Christus, in ea qua crucifixus est carne venturus.

Te Deum laudamus.

URBIS ET ORBIS

DECRETUM

Quo plenius Sacratissimi Cordis Iesu Festi sollemnitas devotioni populi christiani responderet, Ssmus D. N. Pius Papa XI, litteris suis Encyclicis « Miserentissimus Redemptor », die VIII mensis Maii anno MDCCCCXXvm datis, dictum festum ad ritum duplicem primae classis, cum octava privilegiata tertii ordinis, evexit, ipsum praeterea primarium declaravit et feriatis festis aequiparandum esse decrevit. Concinnatum autem a speciali Commissione, de mandato quidem eiusdem Ssmi Domini, integrum officium cum missa Sacra Rituum Congregatio approbandum censuit. Itaque facta per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationis Pro Praefectum Sanctissimo Patri relatione in Audientia habita die 29 Ianuarii 1929, Sanctitas Sua praefatum officium cum missa proprium, prouti in .superiori prostat exemplo, approbare dignata est, illudque, in universa Ecclesia, ab utroque Clèro et a quibuslibet recitationi Officii divini, iuxta Romanum ritum, adstrictis adhiberi iussit; servatis rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die mense et anno quibus supra.

C. Card. LATJBENTI, *S. B. G. Pro Praefectus.*

L. © S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

I

Causae in Tribunali Sacrae Romanae Rotae actae anno 1928, quarum definitiva sententia editur tantum in parte dispositiva:

I. N. N. - SACRAE ORDINATIONIS.

Turnus Rotalis: A. Jullien, *Ponens,* F. Guglielmi, H. Quattroeolo.

Vinculi Defensor: I. Trezzi.

Advocatus: I. P. Certo.

Dubia: 1) « An constet de nullitate sacrae ordinationis in casu, et quatenus negative, 2) An actor contraxerit onera status sacerdotalis, sin minus, 3.) An actor gravi metu coactus, sacros ordines receperit, eosque numquam ratos habuerit, ita ut redigendus sit ad laicalem statum sine coelibatus et horarum canonicarum obligationibus, ad normam can. 214 ».

Sententia diei 13 Ianuarii: Ad i) « Negative ». Ad 2) «Affirmative». Ad 3) « Negative ad primam partem, seu non constare de gravi metu in casu; quoad secundam et tertiam partem, provisum in prima parte ».

II. S. MARCI ET BISINIANEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metu.*

Turnus Rotalis: F. Parrillo, *Ponens,* I. Florczak, U. Mannucci.

V inc. Defens. Substitutus: C. Conte.

Advocatus: I. P. Certo.

Dubium: « An constet de matrimonii nullitate in casu ».

Sententia diei 20 Ianuarii: « Negative ».

III. N. N. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite criminis ex adulterio et promissione matrimonii.*

Turnus Rotalis: M. Massimi, *Dec,* I. Grazioli, *Ponens,* F. Parrillo.

V inc., Defens. Substitutus: C. Conte.

Advocatus: A. D'Alessandri.

Dubium: « An constet de matrimonii nullitate in casu ».

Sententia diei 25 Ianuarii: « Affirmative ».

IV. BONONIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus et clandestinitatis.*

Turnus Rotalis: U. Mannucci, *Ponens,* A. Jullien, H. Quattrocolo.

Vinculi Defensor: I. Trezzi.

• *Advocatus:* V. Sacconi.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii in casu ».

Sententia diei 30 Ianuarii: «Affirmative».

V. MECHLINIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite defectus consensus.*

e *Turnus Rotalis:* F. Guglielmi, *Ponens,* H. Quattrocolo, F. Morano.

Vinculi Defensor: I. Trezzi.

Advocati: N. Ferrata, V. Sacconi.

Dubium: «An sententia Rotalis diei 9 Iulii 1927 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

Sententia diei 11 Februarii: « Affirmative ad primam partem, negative ad alteram, seu constare de matrimonii nullitate ».

VI. TORNACEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite dementiae.*

Turnus Rotalis: I. Grazioli, F. Parrillo, *Ponens,* I. Florczak.

Vinc. Defens. Substitutus: C. Conte.

Advocatus: F. Bersani.

Dubium: « An sententia Eotalis diei 8 Aprilis 1924 sit confirmanda- vel infirmanda in casu ».

Sententia diei 16 Februarii: « Affirmative ad primam partem, negative ad alteram, seu non constare de nullitate matrimonii ».

VII. LUBLINEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: I. Florczak, *Ponens,* IT. Mannucci, A, Jullien.

Vinc. Defensoris Substitutus: C. Conte.

Advocatus: I. P. Certo.

Dubium: « An constet de matrimonii nullitate in casu ».

Sententia diei 6 Martii: « Affirmative ».

VIII. STRIGONIEN.-NULLITATIS MATRIMONIIS *capite defectus consensus ob intentionem contra bonum Sacramenti.*

Turnus Rotalis: F. Guglielmi, *Ponens,* H. Quattrocolo, F. Morano.

Vinc. Defens. Substitutus: C. Conte.

Advocatus: I. P. Certo.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii in casu ».

Sententia diei 14 Martii: « Negative ».

IX. PARISIEN.-NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Botalis: I. Grazioli, P. Parrillo, *Bonens,* I. Florczak.

V inc. Defens. Substitutus: C. Conte.

Advocatus: N. Ferrata.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 1 Iulii 1927 sit confirmanda vel infirmanda in casu ».

Sententia diei 16 Martii: « Affirmative ad primam partem, negative ad alteram, seu constare de matrimonii nullitate in casu ».

X. TORNACEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite simulati consensus^*

Turnus Rotalis: F. Parrillo, *Ponens,* I. Florczak, G. Heard.

Vinculi Defensor: I. Trezzi.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: D. Lazzarato.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 1 Iunii 1927 sit confirmanda vel infirmanda in casu ».

Sententia diei 4 Aprilis: « Affirmative ad primam partem, negative ad alteram, seu non constare de nullitate matrimonii in casu ».

XI. N. N. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite conditionis appositae contra bonum prolis.*

Turnus Rotalis: H. Quattrocolo, *Ponens.* F. Morano, A. Wynen.

Vine. Defens. deputatus: I. Stella.

Advocatus: N. Patrizi.

Dubium: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».

Sententia diei 16 Aprilis: « Negative ».

XII. N. N. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite criminis.*

Turnus Rotalis: I. Grazioli, *Ponens,* F. Parrillo, H. Quattrocolo.

V inc. Defens. Substitutus: C. Conte.

Advocatus: V. Sacconi.

Dubium: « An constet de matrimonii nullitate in casu ».

Sententia diei 16 Aprilis: « Negative ».

XIII. N. N. - ONERUM SACRAE ORDINATIONIS.

Turnus Rotalis: I. Florczak, *Ponens,* U. Mannucci, A. Jullien.

Vinc. Defensor: I. Trezzi.

Advocatus ex mandato gratuiti ***patrocinare.*** Giusino.

Dubium: « An constet de nullitate susceptionis onerum sacrae ordinationi adnexorum, in casu ».

Sententia diei 16 Aprilis: « Negative ».

XIV. ATREBATEN. - COMPETENTIAE.

Turnus Botalis: I. Florczak, *Ponens,* IT. Mannucci, A. Jullien.

Promotor Iustitiae: F. Bracci.

Advocatus: V. Sacconi.

Dubia: 1) « An constet de re iudicata in casu; et quatenus affirmative, 2) An concedenda sit restitutio in integrum, in casu; quatenus vero negative ad I, vel affirmative ad II, 3) An Tribunal Curiae sit competens in casu ».

Sententia diei 27 Aprilis: « Ad 1) Affirmative; ad alterum negative; ad 3) provisum in secundo ».

XV. LEODIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex intentione contra bonum sacramenti.*

Turnus Rotalis: A. Jullien, *Ponens,* F. Guglielmi, H. Quattrocolo.

Vinculi Defensor: I. Trezzi.

Advocatus: A. D'Alessandri.

Dubium : « An constet de nullitate matrimonii in casu ».

Sententia diei 28 Aprilis: « Negative ».

XVI. N. N. - IURIUM SUPER INCIDENTALIBUS.

Turnus Rotalis: F. Parrillo, *Ponens,* I. Florczak, U. Mannucci.

Promotor Iustitiae; F. Bracci.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: D. Lazzarato.

Dubia: 1) - « An Sac. X. ius habeat appellationem prosequendi, adversus sententiam Trib. secundi gradus diei 2 Dec. 1926, non obstante renunciatione suis iuribus facta a Eev. Y. in casu». Et quatenus affirmative: 2) « An beneficium gratuiti patrocinii eidem Sac. X. concessum adhuc sustineri debeat, in casu; 3) « An suspensio adversus Sac. X. lata die 29 Iulii 1926 haberi debeat ut attentatum lite pendente, in casu ».

Sententia diei 7 Maii.: « Ad 1) affirmative; ad 2 et 3) negative ».

XVII. WESTMONASTERIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: F. Guglielmi, *Ponens,* H. Quattrocolo, F. Morano.

Vinc. Defensor deputatus: I. Stella.

Advocatus: H. Benvignati.

» » » Al sig. cav. Leonardo Frenguelli (Roma).
21 » » Al sig. Paolo Couderc De Saint-Chamant, dell'archidiocesi di Parigi.

La Commenda dell'Ordirne di S. Silvestro Papa:

19 Dicembre 1928. Al sig. Modesto Boschi, della diocesi di Colle Val d'Elsa.
7 Febbraio 1929. Al sig. Guglielmo Klebanowski, della diocesi di Paderborn.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

4 Dicembre 1928. Al sig. Ovidio Ferroni, dell'archidiocesi di Fermo.
6 » » Al sig. Giovanni Marcello Vitrotto, dell'archidiocesi -di Torino.
» » » Al sig. Mario Casaro, della medesima archidiocesi.
» » » Al sig. Giovanni Pacheco Teixeira Rebelo de Carvalho, dell'archidiocesi di Braga.

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S. :

15 Gennaio 1929. Monsig. Spirito M. Chiappetta (Roma).
25 » » Monsig. Antonio Bartos, dell'archidiocesi di Olomouc.
» » » Monsig. Tommaso Huder, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Francesco Jemelka, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Francesco Kuntal, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Bartolomeo Andriola, dell'archidiocesi di Bari.
» » » Monsig. Vito Giuseppe Tricarico, della medesima archidiocesi.
28 » » Monsig. Virgilio Grandi, della diocesi di Trento.

Cameriere Segreto di Spada e Cappa Soprannumerario di S. S.:

23 Gennaio 1929. Il Sig. conte Raoul de Diesbach de Belleroche, dell'arebidiocesi di Parigi.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S. :

25 Gennaio 1929. Monsig. Otocaro Tauber, dell'archidiocesi di Olomouc.
» » » Monsig. Benedetto Barth, dell'archidiocesi di Colocza.
» » » Monsig. Antonio Fürster, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Stefano Szedsay, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Michele Veres, della medesima archidiocesi.

Cappellani Segreti d'Onore di S. S.:

25 Gennaio 1929. Monsig. Giuseppe Koszterszitz, dell'archidiocesi di Colocza.
» » » Monsig. Carlo Unterréiner, della medesima archidiocesi.

NECROLOGIO

18 Dicembre 1928. Monsig. Giovanni Claudio Bouchut, Vescovo tit. di Panemotico.
16 Gennaio 1929. Monsig. Giovanni Batt. Thomas, Vescovo di Langres,
2 Febbraio » Monsig. Pietro Marty, Vescovo di Montauban.
11 » Monsig. Giovanni Aelen, Arcivescovo tit. di Nicopoli in Epiro.
17 » Monsig, Giovanni Gamberoni, Arcivescovo di Vercelli.
20 » Monsig Francesco Giacci, Vescovo tit. di Filomelio.
25 » » L' Emo Sig. Cardinale ANTONIO VICO, Vescovo di Porto e S. Rufina, Prefetto della Sacra Congregazione dei Riti.

Aanus XXI - Vol. XXI 5 Aprilis **1929** **Nn». 4**

AÍTAIPO^

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

EPISTOLA APOSTOLICA

AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS REIPUBLICAE CECHOSLOVACAE : DE MILLENARIA CELEBRITATE SANCTI WENCESLAI DUCIS, MARTYRIS.

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Caritatem decet sollicitudinemque communis Patris, uti patet, laeta vel tristia filiorum participare, iuxta illud Apostoli « gaudere cum gaudentibus, Aere cum flentibus ». Iamvero, etsi Nos, vehementer de salute populi vestri solliciti, numquam destitimus in secundis adversisque rebus vobis adesse, peculiaris tamen atque praeclara nunc incidit causa cur vobiscum Deo grates agamus, ac vobis populoque vestro universo vehementius gratulemur. Siquidem sollemnem eius diei memoriam vos celebraturi estis, quo abhinc annos **M** Sanctus Wenceslaus, clarissimus ille Bohemiae Dux idemque Patronus vester praesentissima, fraterno scelere martyr occubuit Veteris Boleslaviae, in urbe scilicet olim magni nominis, nunc autem mirifico Yirginis Matris cultu et Wenceslai. martyrio multo clariore. Horum sollemnium Nobis placet laetitiam splendoremque hisce Litteris augere; imprimisque, optimum illud dilapidare consilium, quo vos memoriam tam sollemniter agitis illius viri qui tantum fuit

eum gentis vestrae tum ipsius rei catholicae firmamentum ac decus.

Wenceslaus, cum a parentibus aviae Ludmillae, feminae quidem piissimae, traditus esset ut rite educaretur probeque instrueretur fidei sanctae praeceptis, ab ipsa pueritia christianae virtutis laude elucere coepit. Budecium deinde, prope Pragam, ubi « *in honorem Principis Apostolorum B. Petri consecrata inerat ecclesia* »[1] missus est, ut latinis quoque litteris erudiretur. Patre vita functo, paulo post, quamvis adulescentiae annos vix excessisset, dux Bohemiae electus, ab ipso principatus initio declaravit sese « *soli Deo sincero animo servire cupere* » .[2] Forti animo publicarum rerum disciplinam restituit, discordiis finem imposuit, iustitiam restauravit. Bono patriae totus deditus, eam ab hoste defendit eiusque unitati ac prosperitati consuluit; sed Princeps ut erat mitissimus et semper « *de nanciscenda pace sollicitus* »[3] haec omnia « *potius sine magna aliorum clade, sine multo insontium sanguine* » ,[4] pacificis viis rationibusque assequi contendit. Itaque populum « pietate magis quam imperio regebat » .[5] Publice sese principem, privatim fere monachum exhibens, sub pretiosis vestibus cilicium ferebat, et « summo studio virginitatem per omnem vitam servavit illibatam».[6] Quid autem de ipsius religione dicamus erga Sacramentum augustum, si ei adhuc puerulo « *nihil gratius quam sacris interesse mysteriis et sacrificantibus ministrare* »[7] fuit; si idem princeps « *panem et vinum ad sacrificia Missarum proprio labore et manibus excolebat* f »[8]

Huc accedit quod maxima sane laude ab omnibus celebrantur beneficentia eius ac liberalitas. « *Brat namque circa indigentes*

[1] CHRIST ANNUS DE SCALA, *Vita S. Wenceslai,* **c. 1. n. 1.**

[2] **Ibidem, c. 1, n. 8.**

[3] **Ibidem, c. 1, n. 9.**

[4] IOANNES OLOMUCENSIS, *Passio, translatio et miracula S. Wenceslai,* 1. o

[5] *Brev. Rom.*

[6] **Ibidem.**

[7] S. B ALBINUS, *Epitome Mst. rerum Bohem.,* 1. 1, e. 4.

[8] CAROLUS IV, *S. Wenceslai vita,* **n. 3.**

valde compatiens, solatium miser orum, gaudium pauperum, pater orphanorum, defensor viduarum, liberator captivorum et omnium maerentium pius consolator ».[1] Quas eximias virtutes omnes ex uno eodemque fonte Auxisse, ex invicta scilicet actuosaque fide, quis pro manifesto non habebit? Catholicam hanc fidem is non modo constanter tenuit atque publice fortiterque professus est, sed etiam strenue defendit sollerter que propagavit. Quare, vix imperii gubernacula adeptus, omnes curas et cogitationes in id contulit ut religionis damna repararet; exsulibus revocatis clericis, relictas ecclesias sacris ritibus reddidit, exustas refecit, novas aedificavit, quas inter aedem in castro Pragensi, S. Martyri Vito dicatam, in sedem postea cathedralem et metropolitanam evectam, quae hoc ipso iubilaei anno refecta rursus cultui sollemni ritu aperietur. Ad christianos mores quod attinet, magnae ei curae erat ut ubique iidem fiorerent; homines autem « *a doctrina seu tramite recto deviare cupientes* »,[2] quamvis dux alioquin eminentissimus, severe corripiebat. Sed inde iam maiorum invidia et odium contra eum exoriebantur; quibus ipse frater eius B oleslau s aurem praebens, germanum suum, per occasionem annui festi SS. Cosmae et Damiani, Veteris-Boleslaviae, ubi quidem eorum titulo Deo dicata erat ecclesia, convivio exceptum ac deinde ante ostium templi precantem, adhibitis infandi sceleris sociis ministrisque interemit, in morte ipsa non minus animi fortitudine quam mirabili erga fratricidam. caritate conspicuum.

Quae tam egregia Patroni vestri sanctissimi facta, perlibentes equidem commemoramus; neque id sane ut de iis, quae vos probe nostis, doceamini, sed quo magis liqueat quanto iure summis eum honoribus veneremini quamque merito, nullo non tempore, fideles omnes magnis laudibus invictum Märtyrern prosecuti sint. Scitis enim quae et quanta huius fuerit Ducis Martyris gloria, statim atque ad caelestia regna evolavit; non solum Veteris-Boleslaviae, sacro eius sanguine nobilitatae, et

[1] **Propr. archid. Pragensis: Lect. infra Oct. S. Wenceslai.**

[2] CKRISTANNUS, op. cit., c. 2, n. 17.

Pragae, quo sanctum corpus post-triennium, ipso Boleslao fratre iubente, translatum est; sed in aliis etiam extra patriae fines regionibus. Undique enim reliquiae Servi Dei expetitae sunt, ac pluribus locis aedes sacrae in eius honorem sunt excitatae. Ut alia vero omittamus, Romae quoque, non solum in ipsa S. Petri basilica inde a saeculo xiv altare ei dedicatum, et, veteri basilica destructa, aliud marmoreum altare suffectum est, « *cum nullus prope alius regum sanctorum altare in ea basilica habeat* », sed festum S. Wenceslai hic quotannis in praesentia omnium cardinalium colebatur.[1] Ad quem sancti Ducis cultum dilatandum non parum sane crebra miracula contulere, itemque beneficia non pauca quae a bohemicis rerum scriptoribus memoriae tradita sunt. Wenceslai nomen, quem iam saeculo x Romanus Pontifex Ioannes XIII *sanctum* appellavit, in Sacramentario eiusdem temporis et in Breviariis pluribus, lingua palaeoslavica confectis, inscriptum erat; inde vero a saeculo xn in latinis etiam Breviariis aderat, passimque festum eius celebrabatur. Quod festum tandem decessor Noster f. r. Clemens X anno MDCLXX ad Ecclesiam universam extendit, et Benedictus XIII anno MDCCXXIX ad altiorem ritum evexit.

Quod si tam longe lateque Dux martyr colebatur, mirum non est si peculiari quadam pietate eum semper gens vestra prosecuta sit; ac re vera dici potest nullum umquam apud vos fuisse virum, cuius tam alte memoria in Bohemorum animis insculpta esset, quemque, ut Wenceslaum sanctissimum, tantopere vos veneraremini. Quis enim ignorat, sepulcro eius praecipuum semper asyli ius tributum esse, et sacram eius effigiem cum apud familias omnes honore haberi, tum in numinis, in sigillis publicis vexillisque pie exprimi consuevisse? Lancea eius in proelia ferebatur; gladii eius ictu dignitas et equester titulus concedebatur; innumerabiles demum scriptores sexcentaque omnis artis documenta eum concelebrant. Sanctus Wenceslaus a vobis omnibus tamquam exemplar praecellens, potentissimusque patronus

[1] B. B ALBINUS, *Miscellanea Mst. regni Bohemiae,* 1. 4, p. 1.

semper habitus est; ad eumque idcirco fidenter confugere soliti estis in angustiis quibuslibet, in bellis, in rebus adversis, perantiquis eis concentibus supplicando « *ne perire sinat vos, neque posteros vestros* ». Quin immo tam intime omnia vestra cum S. Wenceslai persona et cultu connexa habebantur, ut quaecumque vobis cariora essent et coniunctiora *8. Weneeslai hereditatem* nominaretis: imprimisque avitam fidem, linguam, cultiorem vitae usum, regalem coronam universamque terram vestram; cuius terrae vos eum recte quidem *heredem* (seu herum) appellatis, quasi scilicet Dux sanctissimus, aeterna iam beatitate fruens, non modo praesentissima ope vos tueatur, sed vere dominus adhuc sit patriae vestrae, quam olim tot beneficiis cumulavit. Fuit enim Wenceslaus non solum catholicae fidei defensor, sed etiam Bohemiae pater, utpote qui eam et ad humaniorem vitam induxit, et integram ab hostibus servavit et ad unitatem prosperitatemque evexit. Ex his sequitur ut etiam civili apud vos cultu Dux martyr eniteat, ac merito haec sollemnia ab iis quoque civibus, qui a catholica religione alieni sunt, celebrentur.

At vero Weneeslai gloria in sancta eius vita tota consistit: quandoquidem ob eam dumtaxat, non autem ob politicas rationes, ut temere nonnulli dictitant, interfectus est. Nemini enim historiae peritissimo dubium est scelestos homines ob eam causam mortem tanto viro intulisse quod vehementer sane oderant sanctam eius vitam, quam, utpote *monasterialem,* Ducis indignam esse censebant; itemque quod egregias virtutes in sancto Principe moleste ferebant, caritatem praesertim, castitatem et mansuetudinem; eo magis quia eius in propaganda Christi fide ardens studium et in vitiis exstirpandis severitas eorum livorem conflaverant, qui, avitae superstitioni pertinaciter adhaerendo, pravis moribus a gentilitate probatis renuntiare nolebant. Fuit igitur Wenceslaus verissime Dei Martyr, testis nempe christianae fidei, qui « *opere ostendit se omnia praesentia contemnere ut ad futura et invisibilis bona* » perveniret. [1]

[1] **Cfr.** S. Th. 2a 2*e, q. 124, **art.** 4.

Wenceslaum, tamquam Sanctum Dei martyreni, una cum Ecclesia universa, homines coluere ex natione vestra clarissimi; quos inter, S. Adalbertus, Pragensis Episcopus ac deinde in Borussia Martyr, qui non modo cum sancto Duce « *ex eodem tramite lineam propaginis traxit* », [1] sed etiam eximius fuit eiusdem cultor; Beata Agnes, quae, priusquam religiosa vota nuncupasset, cotidie Pragae reliquias Martyris venerabatur; illustris rex vester Carolus, idemque imperator huius nominis IV, qui « *specialem habens devotionem ad 8. Wenceslaum, protectorem et adiutorem suum praecipuum* », [2] in eius honorem sacrarium gemmis ornavit, sepulcrum excoluit, caput auro circumdari iussit, vitam huius sui in throno decessoris conscripsit; Arnestus Pardubicensis, primus in Pragensi sede archiepiscopus, cuius consilio nova eaque splendida corona sacellum S. Martyris donatum fuit; denique S. Ioannes Nepomucenus, invictus sacerdotalis officii martyr, quem ante mortem crudelissimam peregrinatimi esse Veterem-Boleslaviam ferunt.

Quamquam igitur omnes Reipublicae istius cives, cuiuscumque sunt religionis vel stirpis, merito nunc tam gloriosi Ducis, quatenus heros est patriae vestrae ac tot beneficiorum auctor, memoriam agunt, tamen catholicorum omnium praecipue est, nationis cuiusque, hanc celebrare recordationem propterea quod sanctus imprimis is est Martyr Ecclesiae catholicae, omnium quidem nationum matris. Iamvero ne vacua sane fructu commemoratio ista defluat, id fore confidimus ut, bonorum omnium foederatis viribus, fides istic augeatur, christianae vitae usus magis floreat, atque, fide aucta, religio tota, Wenceslao auspice ac patrono, plane revirescat.

Ac laetamur quod illa rei catholicae condicio, quam paucis abhinc annis decessor Noster Benedictus XV, in epistola ad Archiepiscopum Pragensem, die III mensis Ianuarii anno MDCCCCXX data, ingravescere coepisse dolebat, nunc cotidie magis in melius mutetur. Etenim haud Nos latet non paucos inter vos esse ex

[1] CHRISTANNUS, ***Vita S. Wenceslai,*** **Praefatio.**

[2] BENESSIUS KRABICE, ***Chronicon,*** **ad an.** 1358.

sacro ordine homines qui sollerter in vinea Domini adlaborant, et conventus eucharisticos nonnullos istic actos esse, cum magna cleri populique frequentia. Probe autem scimus pias ad S. Ignatii mentem exercitationes in bonum omnium cuiusvis ordinis hominum plurifariam tradi; itemque viros plures, apostolico ardore plenos, impensam vobis navare operam ut in magnis urbibus et nova templa condantur et animarum saluti, tam necessario tempore, consulatur. Ad quod catholicae rei incrementum non parum quidem conferunt tum seduli viri illi qui sancta Ecclesiae iura in vita publica defendunt, tum qui Apostolicae Sedi cum Civitate ista feliciter intercedunt officiorum cursus necessitudinesque. Ex quo patet Wenceslaum Sanctum *hereditatem* suam non dereliquisse neque vos sivisse perire.

Quamvis sit igitur cur Deo debitas agamus grates, ipsi tamen probe scitis non pauca adhuc desiderari quibus religio catholica apud vos in splendorem pristinum restituatur. Etenim nobiscum vos doletis operariorum paucitatem in vinea Domini, hoc potissimum tempore quo sacerdotes tam multi, iique evangelico spiritu flagrantes et a disciplinis sacris omni numero instructi, prorsus necessarii sunt. Omnibus igitur instandum est ut digni adulescentes sacerdotii viam ineant; quod frustra quidem sperari liceat nisi recta omnino sit christiana institutio sive quae in convictu domestico sive quae in scholis publicis traditur. Quapropter ne desistatis, venerabiles fratres, catholicos parentes impense monere tum de gravissimo quo tenentur officio filios suos pie educandi, tum de nativo iure vel catholicas scholas libere quidem condendi vel exigendi pro viribus ut in publicis etiam scholis catholicorum puerorum fides ne periclitetur quin immo ipsorum animi christiano more efifingantur. Praeterea, mirum quantum frequens angelorum panis libatio iuvenes ad ministerium, sacrum invitat; quamobrem ii coetus actuose propagentur qui, ut mariales congregationes, crebrum fovent SS. Eucharistiae usum;; nec minus curandum ut permulti eis adulescentibus associentur qui, *équités a S. Wenceslao* vulgo nuncupati, pollicentur se, vestigia Patroni sui sequentes, saepius ad eucharisticam men-

sam accessurus esse. Multum autem interest iuvenes in sortem Domini vocatos in Seminariis rite excoli, opportunis normis Sacrae Congregationis de Seminariis et de Studiorum Universitatibus religiose servatis. Quam quidem ad rem *Collegium Nepomucenum,* quod Nos in Urbe excitari iussimus, cuiusque novae aedes proxime, Deo favente, dedicabuntur, iterum commendamus bonis omnibus; quos praeterea meminisse volumus quantopere Seminarium illud S. Wenceslai, Pragae a. MDLIX a Societate Iesu conditum, ad religionis incrementum contulerit. De iis vero subsidiis quae, ad hanc rem provehendam, vobis praeeuntibus, rei publicae moderatores, clerus populusque iam contulerunt, et grates ex animo persolvimus et Deum enixe precamur ut largitores singulos peculiari gratiarum copia remuneretur.

Clerus ita numero ac virtute auctior non modo fidem apud vos fovere ac roborare contendet, sed etiam, apostolico studio calens, sanctorumque Methodii et Adalberta vestigiis insistens, modis omnibus enitetur ut dissidentes Slavi finitimarum regionum ad Ecclesiae matris unitatem, ut est optatissimum, revocentur. Quo in campo actuose iam sollerterque vos adlaborasse novimus tum per opportunos conventus, tum per sodales *ab apostolatu SS. Cyrilli et Methodii,* tum denique per Veiehradense Institutum SS. Cyrilli et Methodii et Seminarium Mtriense missionalibus instituendis. Ne igitur cessetis tam salutare opus urgere; quod tamen ut prospere eveniat, religionem catholicam ita istic florere oportet ut dissidentes apud vos quoque perspiciant et agnoscant signa illa certissima quae veram Christi Ecclesiam demonstrant : mirabilem scilicet unitatem, catholicae fidei usquequaque dilatandae ardorem, sanctitatem eximiam et arctissimam cum Apostolica Sede coniunctionem.

Ex his omnibus portendi licet frugifera admodum ista in S. Wenceslai memoriam sollemnia fore, dummodo vestrates praeclara Patroni sui exempla imitari studuerint. Haec enim eiusmodi sunt ut, cum omnibus, pro sua cuiusque condicione, congruant, ea singuli utiliter sequi possint. Itaque discant a iustissimo Duce

qui rei publicae praesunt iustitiam mansuete fortiter que administrare, sibique persuasum habeant tantum abesse ut religio catholica prosperitate publicae adversetur, ut potius, principiis eius innixa, ipsa humana societas vigeat ac floreat. Discant cives a benefico Principe patriae caritatem veri nominis; omnique discordia seposita, concordi animorum consensu, ad commune bonum contendant; cumque ipse tam pie ab avia sua Ludmilla educatus sit, agnoscant parentes omnesque educatores quanta vis insit in christiana institutione ut feliciter iuventus in salutis viam dirigatur. Eum denique et sacerdotes in Sacramento augusto ardentissime colendo, et adulescentes in castimonia servanda, et divites in miseris omne genus adiuvandis, tamquam exemplum ad imitandum sibi proponant. Omnes postremo vestigiis eius qui sanguinem pro Christo fundere non dubitavit quique documentis non paucis suam in Beati Petri Cathedram pietatem comprobavit, pie animoseque insistant, cum in cupiditatibus frenandis doloribusque christiana virtute ferendis, tum in Apostolica Sede constanti amore prosequenda.

Atque utinam patria vestra, quasi familia ingens, una S. Weneeslai fide eniteat ac roboretur; ita enim, ipso Patrono et auspice, per concordem operam potestatis utriusque, religiosae nempe ac civilis, priscam gloriam prosperitatemque feliciter assequatur.

Caelestium interea munerum praenuntia ac paternae benevolentiae Nostrae testis apostolica sit benedictio, quam vobis, **Tenerabiles** fratres, singulisque gregibus unicuique vestrum concreditis effuso animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die iv mensis Martii anno MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. XI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

ANTOFAGASTENSIS

SUPPRESSIONIS ET ERECTIONIS

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Supremi apostolatus munus, Nobis imperscrutabili Dei consilio commissum, exigit ut aeternae christifidelium saluti et catholici nominis incremento sedulo a Nobis consulatur. Ad hoc vero assequendum non parum proficit recta catholici orbis circmnscriptio, quae temporum rerumque adiunctis quam aptius respondeat. Cum itaque venerabilis frater Aloisius Silva Lezaeta, Episcopus titularis Olenensis et Vicarius Apostolicus Antofagastensis, supplices Nobis preces porrexerit ut in ecclesiastici regiminis et fidei christianae propagationis bonum, in dioecesim erigatur vicariatus apostolicus Antofagastensis, quippe qui ab anno millesimo nongentesimo duodecimo, quo erectus fuit, usque adhuc tantum religiosum ac civilem progressum assecutus sit, ut tamquam missionis locus minime in praesens considerari possit: Nos, hisce mature perpensis ac praehabito voto Sacrae Congregationis Christiano Nomini propagando praepositae, nec non audito et suffragante venerabili fratre Nostro Hectore Felici, Archiepiscopo Corintiensi, Apostolico Nuntio in Chilena Republica, oblatis precibus libenter annuendum censuimus. Quapropter de Apostolicae potestatis plenitudine, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit aut eorum qui **Sua** interesse praesumant consensu, suppresso vicariatu apostolico Antofagastensi, novam erigere dioecesim statuimus ac decrevimus, ac eam praesentibus Litteris erigimus et constituimus, ipsamque eodem nomine *Antofagastensem* nuncupari, iisdemque finibus circumscribi, quibus vicariatus ipse erat nuncupatus et circumscriptus, volumus ac mandamus. Hanc autem novam dioecesim Antofagastensem suffraganeam volumus archidioecesis S. Iacobi de Chile, atque sedem et cathedram episcopalem in urbe Antofagastensi constituimus, quam proinde ad civitatis episcopalis gradum et honorem extollimus cum omnibus iuribus ac privilegiis quibus ceterae civitates episcopales iure communi fruuntur, et ecclesiam principem in eadem urbe Antofagastensi **ad**

cathedralis ecclesiae fastigium evehimus. Insuper praefatum venerabilem fratrem.Aloisium Silva Lezaeta, Episcopum titularem Olenensem et actualem Vicarium Apostolicum, de Apostolicae potestatis plenitudine a vinculo Ecclesiae Olenensis absolventes, ad hanc novam dioecesim eligimus eique in Episcopum praefìcimus et Pastorem. - Quum autem temporum adiuncta non sinant quominus cathedrale canonicorum Capitulum modo erigatur, indulgemus ut huiusmodi Capituli loco dioecesani consultores ad tramitem Codicis iuris canonici constituantur. Volumus insuper ac mandamus ut quam primum neri poterit saltem parvum Seminarium dioecesanum, iuxta Codicis praescripta et normas a Sacra Congregatione de Seminariis traditas vel tradendas instituatur; interim vero alumni facultatis philosophicae et theologicae ad S. Iacobi de Chile Seminarium mittantur, donec aliter decernatur. Item iubemus ut, iuxta ea quae in Concilio Plenario Americae Latinae Romae anno millesimo octingentesimo octogesimo nono celebrato decreta sunt, etiam ab hac nova dioecesi eiusque sumptibus bini delecti iuvenes, aut unus saltem, non intermissa vice ad Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum de Urbe mittantur, in quo in spem Ecclesiae instituantur. Quod autem attinet ad huius dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii capitularis, sede vacante, electionem, ad clericorum, iura et onera, aliaque huiusmodi, rite servari iubemus quae sacri canones praescribunt. Episcopalem dotem huius novae dioecesis constituent bona et reditus Ecclesiae, si quae sint, Curiae emolumenta et ceterae oblationes, quae a fidelibus, in quorum bonum ipsa erecta est, praeberi solent, praeter ea quae iam ad hoc sunt collecta et a civili gubernio adsignari possunt.

Ad haec autem omnia exsecutioni mandanda praefatum venerabilem fratrem Hectorem Felici, Nostrum in Chilena Republica Nuntium deputamus, necessarias et opportunas facultates ipsi tribuentes, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, nec non omnes dirimendi controversias, si quae in exsecutionis actu oriturae sint, ac onus eidem imponimus ad Sacram Congregationem Consistorialem, intra sex menses a praesentibus Litteris datis, authenticum exemplar mittendi peractae exsecutionis.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum interest, vel qui sua interesse praesumant, audit! non fuerint ac praemissis non consenserint, etiam si expressa, specifica et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio licet substantiali et inexcogitato defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse; sed eas, tanquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque

plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos -spectat inviolabiliter observari debere, et si secus super bis a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et; fore volumus et decernimus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si originaliter exhibitae vel ostensae forent. Non obstantibus, qua" tenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis: specialibus, vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et quibusvis aliis Eomanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum dispositionibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nemini autem quae hisce Litteris suppressionis, erectionis, evectionis, concessionis, statuti, mandati, derogationis et voluntatis Nostrae a Nobis decreta sunt infringere vel eis contraire liceat. Si quis autem ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo octavo, die tertia mensis Februarii, Pontificatus Nostri anno sexto.

>R. ANDREAS CARD. FRÜHWIRTH,
Cancellarius S. B. E.

^ BASILIUS CARD. POMPILJ,
Episcopus Veliternen.

iulius Campori, *Protonotarius Apostolicus.*
Hector Castelli, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco *ifr* **Plumbi**

Reg. in Cane. Ap., vol. XXXVII, n. 57. - **M. Riggi.**

II

NEO-PAMPILONENSIS, DE SOCORRO ET DE SAN GIL, ET SANCTAE MARTHAE

ERECTIONIS PRAEFECTURAE APOSTOLICAE « FLUMINIS MAGDALENAE »

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Dominici gregis regimini non parum prodest recta orbis catholici circumscriptio, quam, ut temporum locorumque adiunctis aptius respondeat, omni studio curare debemus. Cum itaque in republica Columbiana in America meridionali amplissima territorii pars, quae extenditur praeter oras inferiores Magdalenae fluminis, quaeque abhinc aliquot annos commissa est Patrum Societatis Iesu curis, pertinens ad tres distinctas dioeceses, idest Neo-Pampilonensem, de Socorro et de San Gil, et S. Marthae, peculiari indigeat cura ut incolae uberiores spirituales fructus suscipiant, opportunum duximus istam territorii partem a praedictis dioecesibus seiungere et in apostolicam praefecturam erigere. Quare Nos, auditis Neo-Pampilonensi, de Socorro et de San Gil, et S. Marthae Episcopis, ac suffragante venerabili fratre Paulo Giobbe, Archiepiscopo titulari Ptolemaidensi in Thebaide, Nuntio Nostro apud Columbianam rempublicam, certa scientia, suppleto, quatenus opus sit, quorum interest vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, de Apostolicae potestatis plenitudine, territorium intra fines inferius describendus inclusum a dioecesibus Neo-Pampilonensi, de Socorro et de San Gil, et S. Marthae seiungimus ac separamus, et in praefecturam apostolicam, a Magdalena flumine « Fluminis Magdalenae » appellandam, erigimus, et constituimus, ipsiusque Praefecti Apostolici residentiam in civitate *Porto Wilches* fore decernimus. Fines vero quibus erecta praefectura circumscribetur hi erunt: ad occidentem Magdalenae flumen, ab ostio fluminis *Cesar* in conspectu urbis *M Banco* {ad septentrionalem partem) usque ad lacunam *Garrapata* (ad meridiem). Ad septentrionem dioecesis Sanctae Marthae, ab ostio fluminis *Cesar* in ripa quae contra urbem *M Banco* est, et secus decursum ipsius fluminis *Cesar* usque ad eius scaturiginem, inde vero, recto limite, usque ad Reipublicae Venezuelanae fines.[1] Ad orientem, ab iisdem

finibus reipublicae Venezuelanae, et deinde iuxta illos, usque ad tangendos montes qui *Sierra Motilones* nuncupantur; inde ipsorum montium seriem seu catenani[2] usque ad urbem *Pueblo Nuevo,* quae extra Missionis terminos remanere debet;[3] et ab ista urbe,[4] limite recto, usque ad locum ubi flumina *Caño Negro* et *Lebrija* in unum confluunt. Pergitur inde ad meridiem versus, secundum flumina *Lebrija* et *Cañaverales,* usque ad huius postremi fluminis confluentem cum flumine *Quebrada Cutibatd.* Becto limite istinc proceditur usque ad locum ubi flumen *Sucio* influit in flumen *Sogamoso* ad fines dioecesis de Socorro; pergitur inde recta linea a confluente isto usque ad attingendum flumen *Oponcito* in eo loco scilicet, qui *Puerto Infantes* nuncupatur, istinc autem, semper recto limite, et vergendo ad meridionalem occidentalem plagam, usque ad antiquum *Puerto Carare,* qui dicitur nunc *Puerto Aquilejo.* Ad meridiem: ab ipso *Puerto Carare* seu *Puerto Aquilejo* usque ad lacunam *Garrapata* in ripa fluminis Magdalena. Hanc novam Fluminis Magdalenae praefecturam curae et regimini Patrum Societatis Iesu tradimus et committimus, eamque Sacrae Congregationis de Propaganda Fide iurisdictioni subiicimus eiusque Praefectis Apostolicis pro tempore omnia concedimus iura et privilegia, quibus ceteri Praefecti Apostolici gaudent ac pollent, et cum omnibus oneribus et obligationibus iisdem adnexis.

Rebus itaque ut supra dispositis, ad eadem omnia exsecutioni mandanda deputamus venerabilem fratrem Paulum Giobbe, Archiepiscopum titularem Ptolemaidensem in Thebaide, Apostolicum Nuntium in Columbiana Republica, cum facultatibus necessariis et opportunis, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum, atque dirimendi controversias quae in exsecutionis actu oriri possunt, tacto insuper eidem onere ad Sacram Congregationem Consistorialem transmittendi intra sex menses a praesentibus Litteris acceptis, authenticum exemplar peractae exsecutionis. Mandamus insuper ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si exhibitae vel ostensae forent. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nemini ergo has Litteras dismembrationis, erectionis, statuti, mandati, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel eis contraire liceat. Si quis vero, temerario ausu, hoc attentare praesumpserit,

indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Eomae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo octavo, die secunda mensis Aprilis, Pontificatus Nostri anno septimo.

FR. ANDREAS CARD. FRÜHW1RTH, *S. E. E. Cancellarius.*

CAROLUS CARD. PEROSÍ, *S. Congr. Consistorialis Secretarius.*

iosephus Wilpert, *Decanus Göll. Proton. Apostolicorum.*
Dominicus Spolverini, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco *ïfc* Plumbi

Beg. in Cane. Ap. vol. XXXVIII, *n.* ***7.* - M. Riggi.**

Decreto diei 15 Augusti 1928 quo Literas Apostolicas *Dominici gregis* superius relatas exsecutioni mandavit, R. P. D. Paulus Giobbe, Archiep. tit. Ptolemaiden. in Thebaide, Nuntius Apostolicus in Columbiana Republica, Apostolica auctoritate has quae sequuntur additiones ac mutationes quoad fines in Literis Apostolicis noviter erectae praefecturae *Fluminis Magdalenae* adsignatos, statuit ac decrevit, perinde valituras ac si in textu ipsius Bullae suis locis ipsae essent relatae ac insertae.

[1] ***Ade.:*** **(per limites vicariatus apostolici Goajiren.).**

[2] ***Ada.:*** **(secundum limites regionis vulgo de *Santander del Norte* nuncupatae).**

[3] ***Add. :*** **aeque ac paroeciae de *Agnachica,* de *Brotaré* et *Carmen.***

[4] *Mut.:* **Loco verborum «et ab ista urbe» legatur: «ab urbe Pueblo Nuevo».**

in

LUNENSIS-, SEU SPEDIENSIS, SARZANENSIS ET BRUGNATENSIS

ERECTIONIS ET AGGREGATIONIS

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Universi dominici gregis cura, Romano Pontifici ab aeterno Pastorum Principe commissa, postulat ut ab Apostolica Sede ea omnia praestentur, quae ad animarum bonum et emolumentum magis conferre videantur, atque praecipue, loci alicuius dignitate praestante cunctisque paratis ad honoris gradum rite sustinendum necessariis, novae episcopales sedes constituantur, sirei sacrae administratio promptior uberiorque reddenda id alicubi exigat. Iam vero intra fines dioecesis Sarzanensis exstat civitas Spedia, seu *La Spezia,* quae ad oras Tyrrheni maris cum sedeat, ita incolarum copia aucta est, tantamque in dies adepta est potestatem, ut merito Apostolicae Sedi digna videatur, quae episcopalis cathedrae splendore decoretur, eo vel magis cum ad oppida totius regionis latam undique f acillimamque iam habeat viam. Quod quam gratum et iucundum Spediensi clero populoque sit futurum testantur oblationes, tum a magistratibus et optimatibus, tum a privatis civibus exhibitae ad ea suppeditanda quae ad episcopalem sedem erigendam requiruntur. Ad haec autem quam maxime accedit quod in spirituale totius civitatis incrementum verget vigilantis Pastoris praesentia, qui ingruentia fidei pericula validius arcere, et Religionis rationibus firmius prospicere poterit. Nos propterea, omnibus accurate perpensis, auditis venerabili fratre Dalmatio Minoretti, Archiepiscopo Metropolitano lanuensi, atque dilecto filio Ioanne Costantini, Administratore Apostolico vacantium dioecesium Lunensis - Sarzanensis et Brugnatensis, de consulto venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis consistorialibus praepositorum, suppleto, quatenus opus sit, quorum interest, vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, de Apostolicae potestatis plenitudine urbem Spediam una cum paroeciis infra enumerandis, earumque respectivis territoriis, e dioecesi Sarzanensi dividimus ac separamus, et ex ea novam dioecesim erigimus, erectamque declaramus quo sequitur modo. In primis igitur nova haec dioecesis his constabit paroeciis: S. Mariae in caelum Assumptae, S. Mariae *della Scorza,* S. Mariae ad Nives, S. Ioannis Baptistae, S. Maria« Auxiliatricis, S. Petri Apostoli, S. Ioannis Baptistae in loco *Migliarina,* S. Michaelis Archangeli, S. Bernardi, omnibus in urbe; S. Bartholomaei in

oppido *Pitelli,* S. Rochi *in S. Venerio,* S. Iacobi Apostoli in *Isola,* S. Stephani Protomartyris in *Marinasco,* S. Martini in *Biassa,* S. Andreae in *Fabiano,* S. Viti in *Marola,* S. Mariae « del Pianto » in *Cadimare,* S. Catharinae in *Canipiglia.* Dioeceseos hisce finibus definitae sedem episcopalem Spediae constituimus, quam idcirco ad civitatis episcopalis gradum et honorem evehimus una cum omnibus iuribus ac .privilegiis, quibus ceterae episcopales civitates ex iure fruuntur. Ecclesia in hac urbe exstruenda ac Iesu Christo Eegi dicanda, cum primum perfecta fuerit, Cathedra erit Episcopi, cum omnibus iuribus ac privilegiis, quae ecclesiis cathedralibus sunt propria. Interea vero pro ecclesia cathedrali habeatur et retineatur ecclesia paroecialis sub titulo S. Mariae in caelum Assumptae. Hanc autem dioecesim noviter erectam constituimus surfraganeam metropolitanae Ecclesiae Ianuensis, eamque perpetuo una cum dioecesibus iam unitis Lunensi-Sarzanensi et Brugnatensi aeque principaliter unimus, sub hac appellatione: Lunensis-, seu Spediensis, Sarzanensis et Brugnatensis, ita ut omnes et singulae huiusmodi Ecclesiae iurisdictioni, regimini atque administrationi subsint unius Antistitis, qui proinde Episcopus Lunensis-, seu Spediensis, Sarzanensis et Brugnatensis nominabitur, quique canonicam possessionem trium dioecesium seorsim accipiet, praefatae appellationis ordine servato, et reditus percipiet episcopalibus mensis Sarzanensi et Brugnatensi adsignatos. Ad tres autem simul regendas dioeceses, Spediae una curia episcopalis constituetur, in qua ipsa urbe habitualem residentiam habebit Episcopus, qui tamen pro lubitu suo tum in urbe Sarzanensi, tum in urbe Brugnatensi, cum sibi placuerit, degere poterit. Hac posita trium istarum dioecesium unione, decernimus ut Episcopus beneficia unius dioecesis sacerdotibus aliarum dioecesium promiscue conferre possit. Volumus insuper ut Sarzanae et Brugnati maneant Capitula cathedralia, et Spediae quam prirrium Capitulum cathedrale erigatur. Idcirco quandocumque a iure statutum est ut Episcopus votum Capituli exquirat, si agatur de negotiis quae unam tantum e tribus dioecesibus respiciunt, a proprio eiusdem dioecesis Capitulo votum exquiretur; si vero ad tres dioeceses simul attinent, trium Capitulorum seorsim votum habeatur. Quotiescumque demum communem episcopalem sedem vacare contigerit, tribus Capitulis una convocatis in urbe Spedia, praeside digniore e Capitulo Spediensi, ius erit Vicarium Capitularem communem pro tribus dioecesibus, ad sacrorum canonum praescripta, eligere.

Rebus itaque ut supra dispositis, ad eadem omnia exsecutioni mandanda deputamus venerabilem fratrem Dalmatium Minoretti, Archiepiscopum Ianuensem, cui propterea necessarias et opportunas facultates tribuimus etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur alium virum in officio vel

ecclesiastica dignitate constitutum, ac definitive pronuntianda de quavis difficultate vel oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura, iuiuncto insuper eidem onere ad Sacram Congregationem Consistorialem intra sex menses, a subsignata die computandos, authenticum exemplar transmittendi peractae exsecutionis. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum interest vel qui sua interesse praesumant, auditi non fuerint ac praemissis non consenserint, etiam si expressa,^specifica et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio licet substantiali et inexcogitato defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse; sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus et decernimus.

Volumus denique ut harum Litterarum transumptis etiam impressis manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si originaliter exhibitae vel ostensae forent. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum Praedecessorum Npstrorum dispositionibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nemini autem hanc paginam Nostram seiunctionis, erectionis, evectionis, unionis, mandati, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero, ausu temerario, hoc attentari praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum Eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo nono, die decima secunda mensis Ianuarii, in festo Sacrae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph, Pontificatus Nostri anno septimo.

FR. ANDREAS CARD. PRÜHWIRTH,
S. R. E. Cancellarius.

CAROLUS CARD. PEROSI,
S. Congr. Consistorialis Secretarius.

Ioannes Zani Câprelli, *Protonotarius Apostolicus.*
Dominicus Spolverini, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco >& Plumbi

Beg. in Cane. Ap., vol. XXXIX, n. 41. - **M. Kiggi.**

LITTERAE APOSTOLICAE

•I

TITULO ET HONORIBUS BASILICAE MINORIS AUGETUR CATHEDRALIS ECCLESIA LARINENSIS.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Cathedrale templum Larinense, Deo sacrum in honorem Deiparae Virginis sideribus receptae, neminem latet iure meritoque enumerari posse inter potiora totius provinciae sanctuaria. Unanimi consensione rerum gestarum scriptores asserunt Larini primis Ecclesiae temporibus nuntiatum fuisse Evangelium; priscis enim saeculis posita est Larini sedes episcopalis, quae sanctis doctisque antistitibus iugiter enituit. Constat anno reparatae salutis DLVI Pelagium Papam primum, rec. mem. praedecessorem Nostrum, per suas litteras Iusto Episcopo Larinensi iurisdictionem commisisse super omnia monasteria et territoria Samnii et Lucaniae: nec non in Concilio anno DCCCCLXIX habito, Larinensem urbem electam fuisse, securum quasi propugnaculum adversus Graecorum byzantinorum in cursus. Cathedrale autem templum formam basilicalem praeseferens, vetustate ac structura praenobile, tanto artis operum decore renidet, ut dignum habitum sit quod inter nationalia monumenta enumeraretur. Haec animo repetentes, cum capitulares canonici atque archipresbyteri et parochi civitatis ac dioecesis Larinensis enixas Nobis preces humiliter adhibuerint, ut, auspicata occasione primi anniversarii celebrationis Eucharistici coetus, cathedrale ipsum templum ad Basilicae minoris dignitatem evehere de Apostolica benignitate velimus, hisque precibus accedat suffragium amplissimum tam Episcopi Ordinarii, quam praesidis municipii, atque praepositi honorarii Larinensis civitatis monumentis inspiciendis, optatis his concedendum ultro libenterque existimavimus. Quae cum ita sint, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Eomanae Ecclesiae Cardinalibus Sacrorum Rituum Congregationi praepositis, omnibusque rei momentis diligenter perpensis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, perpetuumque in modum, insignem ecclesiam cathedralem Larinensem Virgini Deiparae in caelum Assumptae sacram titulo Basilicae minoris cum privilegiis atque honorificentiis, iuxta decreta et morem,adhibendis, condecoramus.

Haec volumus, edicimus decernentes praesentes Litteras firmas, validas, atque efficaces iugiter exstare ac permanere: suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xm mensis Iulii anno MDCCCcxxvm, Pontificatus Nostri septimo.

P. CARD. GASP ARRI, *a Secretis Status.*

II

EX DISMEMBRATIONE DIOECESIS VIZAGAPATAMENSIS ERIGITUR MISSIO INDEPENDENS DE CUTTACK.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Apostolatus officium, quo divinitus fungimur in terris, Nos monet ut ea sollicito paterno que studio decernere maturemus, quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere ac feliciter eventura videatur. Iamvero cum venerabilis frater Petrus Eossillon, Episcopus Vizagapatamensis, Nos enixe flagitaverit, ut nonnullos ab ipsa sua dioecesi districtus disiungere velimus, ut exinde independens erigatur Missio, eidemque petitioni grave accedat suffragium venerabilis fratris Eduardi Mooney, Delegati Apostolici in Indiis Orientalibus: Nos, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Eomanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagationis Fidei praepositis, omnibusque momentis attente perpensis, supra memorati Episcopi votis assentiendum esse existimavimus. Quae cum ita sint, motu proprio atque ex certa scientia ac matura deliberatione, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, districtus civiles de *Ganjam* et de *Orissa* meridionali, a *Boro Noi* et *Bahuda* usque ad *Mahanadi* flumen, et a sinu Bengalae usque ad *Raul* et *Tel,* a dioecesi Vizagapatamensi disiungimus sive separamus atque ex eorumdem districtuum territorio, sic per Nos dismembrato, independentem Missionem efformamus, cui nomen facimus de *Çuttack* et quam curis concredimus sacerdotum Congregationis Missionis religiosae provinciae Matritensis.

Haec volumus, edicimus decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere: suosque plenos atque inte-

gros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritum que ex nunc et inane fieri si quidquam, secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvm mensis Iulii anno MDCCCCXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

III

AD TERRITORIA PALAESTINAE, TRANSJORDANIAE ET INSULAE CYPRI EXTENDITUR IURISDICTIO DELEGATI APOSTOLICI AEGYPTI.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Romani Pontifices, qui, utpote Beati Petri successores, supremam in Ecclesia potestatem exercent, vigili iugiter studio in locorum, qui longinqui atque a Romano centro dissiti sint, necessitates parandas tuendasque incumbunt. Id igitur Nos quoque, in hanc Petri Cathedram, Dei gratia, evecti, ut felici ac prospero Ecclesiae regimini prospiciamus, quantum in Domino possumus, peragere satagimus. Quapropter cum varias ob rationes peropportunum videatur Palaestinae, Transjordaniae et insulae Cypri territoria, quae hucusque ad Delegationem Apostolicam Syriae pertinebant, ad res catholicas inibi provehendas, a praefata Syriae Delegatione separare, ut eadem in posterum Delegati Apostolici Aegypti iurisdictioni subiiciantur: Nos, omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. Ecclesiae Cardinalibus, qui pro Ecclesia Orientali negotiis praepositi sunt, audito quoque hodierno Syriae Delegato Apostolico Nostro, haec, quae infra scripta sunt, decernenda censuimus. Nimirum ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, Palaestinam, Transjordaniam et Cypri insulam a Delegatione Apostolica Syriae separamus, easdemque sub potestatem subiicimus Apostolici pro tempore exsistentis Delegati Aegypti, qui ex nunc Delegatus etiam Apostolicus Ierusalem et Palaestinae, Trans jordaniae et Cypri nuncupabitur. Propterea volumus ut ipse novus Delegatus suo huiusmodi in praefatis regionibus munere fungatur, omnibus et singulis utens potestatibus et

facultatibus, quae huic muneri sunt propriae, atque advigilet in cuiusque ritus Ecclesiarum statum, in eisdem regionibus exsistentibus; Nos vero et hanc Sanctam Sedem de eodem statu certiores reddat.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Eomae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris^ die xi mensis Martii anno MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri octavo.

P. CARD. GASPARE,!, *a Secretis Status.*

ACTA SS. CONGREGATIONUM-

SACKA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XI successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

8 Februarii 1929. — Cathedralibus Ecclesiis invicem perpetuo unitis Lunensi,- seu Spediensi, Sarzanensi et Brugnatensi, praefecit R. D. loannem Costantini, Canonicum theologum Patriarchalis Ecclesiae S. Marci Venetiarum, hactenus Administratorem Apostolicum dioecesium Lunen.-Sarzanensis et Brugnatensis.

22 Februarii. — Abbatiae *nullius* Ssmae Trinitatis Caven., R. D. Ildephonsum Rea, Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti.

28 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Surensi, R. D. Stephanum Hasz, e dioecesi Taurinensi, quem deputavit Ordinarium Castrensem in Hungaria.

17 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Semtensi, R. D. Gregorium Rozman, iuris canonici Magistrum in Facultate theologica Universitatis Labacensis, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis R. P. D. Antonii Bonaventurae Jeglic, Episcopi Labacensis.

18 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Sululensi R. P. Angelum M. Paulum Hiral, Ordinis Fratrum Minorum, quem constituit Vicarium Apostolicum Canalis Suesii.

— Titulari episcopali Ecclesiae Panemotichitanae, R. P. Venceslaum Kinold, Ordinis Fratrum Minorum, quem constituit primum Vicarium Apostolicum de Sapporo.

— Titulari episcopali Ecclesiae Vazaritanae, R. P. Burcardum Huwiler, e Missionariis Africae, quem constituit primum Vicarium Apostolicum de Bukoba.

— Titulari episcopali Ecclesiae Zattarensi, R. P. Antonium Oomen, e Missionariis Africae, quem constituit primum Vicarium Apostolicum de Mwanza.

- *5 Aprilis.* — Titulari episcopali Ecclesiae Trisipensi, R. D. Stephanum Bryer, Canonicum Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis, Rectorem Seminarii archiepiscopalis, quem constituit Auxiliarem Emi ac Rmi P. D. Iustiniani Georgii Serédi, Archiepiscopi Strigoniensis.

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

DECRETUM

DE SPIRITUALI ADMINISTRATIONE ORDINARIATUUM GRAECO-RUTHENORUM IN FOEDERATIS CIVITATIBUS AMERICAE SEPTENTRIONALIS.

Cum data fuerit Episcopo graeco -rutheno Statuum Foederatorum armo 1912 plena et ordinaria iurisdictio in clerum et populum universum graeco-rutheni ritus in Foederatis Civitatibus Americae septentrionalis, sive permanenter, sive ad tempus commorantes, et cum dein per decretum S. Congregationis pro Ecclesia Orientali sub die 8 Maii 1924 duo Ordinariatus graeco-rutheni ritus constituti sint, alter pro fidelibus oriundis e Galitia cum sede Philadelphiae Pa., alter vero pro fidelibus oriundis ex Podocarpatia Russa, necnon pro fidelibus graeco-rutheni ritus provenientibus ex Hungaria et Jugoslavia, cum sede Homestead Pa.; Eminentissimis ac Reverendissimus Patribus Cardmalibus S. Congregationi pro Ecclesia Orientali praepositis, in plenariis comitiis die 4 Ianuam huius anni habitis, opportunas leges a S. Ö. de Propaganda Fide pro Negotiis rituum orientalium latas die 17 Augusti 1914, eo modo qui sequitur visum est noviter aptare, easdemque praesenti decreto iterum ferre, circa spiritualem administrationem duorum Ordinariatuum graeco-rutheni ritus in praedicta regione.

CAPUT I

De Episcopis graeco-rutheni ritus

Art. 1. - Nominatio Episcoporum graeco-rutheni ritus pro regione Statuum Foederatorum Americae septentrionalis Apostolicae Sedi reservata est.

Art. 2. - Episcopi graeco-rutheni ritus eorumque legitimi successores in Statibus Foederatis Americae septentrionalis sub immediata huius Apostolicae Sedis iurisdictione ac potestate manebunt, plenamque iurisdictionem ordinariam in omnes fideles graeco-rutheni ritus, permanenter vel ad tempus in Foederatis Civitatibus Americae septentrionalis commorantes, respective,'iuxta diversitatem originis supra memoratam, exercebunt, sub

dependentia tamen E. P. D. Delegati Apostolici Washingtonensis pro tempore.

Art. 3. - Eisdem ins ac potestas competit regendi ac gubernandi gregem suum ac leges et statuta condendi in iis quae iuri communi non adversantur. Praecipuum vero eorum munus erit invigilare ut tum doctrina et boni mores, tum ritus et disciplina huic Ecclesiae propria sancte et integre custodiantur. Eorum igitur erit uniformitatem caeremoniarum in variis devotionibus necnon in tradendis Sacramentis usitatarum secundum rubricas librorum liturgicorum approbatorum, introducere et eiusdem unitatis strictam observantiam a sacerdotibus suis expostulare.

Art. 4. - Ordinarii paroecias et missiones suae curae concreditas saepe visitare tenentur, ita ut saltem singulis quinquenniis ipsi, vel per se, vel, si fuerint legitime impediti, per Vicarium Generalem, aut alium specialiter delegatum sacerdotem, lustrent, ut gregem suum apprime cognoscant, eaque omnia quae ad spirituale eius bonum attinent, melius provideant.

Art. 5. - In canonica visitatione paroeciarum inquirant Episcopi ah parochi omnia paroecialia munera, praesertim visitationem infirmorum, puerorum instructionem, verbi Dei praedicationem, in dominicis et festis, diligenter absolvant; videant insuper omnes libros baptismatum, matrimoniorum ac mortuorum; inventariumque bonorum ecclesiasticorum ex ultimo biennio: ac rationes ab unoquoque rectore missionis expostulent, id est introspiciant ac probent libros proventuum et expensarum cuiuslibet Ecclesiae, statum materialem eiusdem, debita, etc. Hac praesertim occasione diligenter advigilent, ne abusus in disciplinam ecclesiasticam irrepant, praecipue circa administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, cultum Dei et Sanctorum, praedicationem verbi divini, implementum piarum voluntatum; serioque curent ut puritas fidei et morum in clero et populo conservetur, ut fidelibus, praecipue pueris et rudibus, pabulum doctrinae christianae praebeatur, ut in scholis puerorum aciuvenum institutio secundum catholicae religionis principia tradatur. Si compererint irrepsisse abusus, eos prudenter, sed fortiter compescant, adhibitis etiam, si opus sit, poenis canonicis.

Art. 6. - Ut autem securitati bonorum temporalium ecclesiarum, coemeteriorum, scholarum et omnium eorum quae ad Ecclesiam pertinent, summa cum diligentia prospiciatur, curent Ordinarii *a)* ne Eector Consiliumve administrationis nomine ac iure proprio retineant, pro quorum adquisitione fideles quovis modo subsidia contulerunt; *b)* satagant, audito in per-. tractandis negotiis virorum peritorum ac consultorum suorum consilio, eas tituli possessionis formas adhibere, omnesque prescriptiones servare, quae legibus singulorum Statuum respondeant, quaeque ecclesiasticorum

bonorum administrationi, conservationi ac plenae in posterum transmissioni faveant; *c)* normas quas iudicaverint de bonis ecclesiasticis administrandis opportunas, statuant.

Art. 7. - Annua sustentatio utriusque Episcopi consistet in praestationibus ad instar cathedratici, quae iuxta aequitatem ab Episcopo, audita voce suorum consultorum, determinabuntur, quasque singulae ecclesiae Ruthenorum Ordinariatuum solvere tenentur. Rectores ecclesiarum respondere tenentur de exacta solutione harum praestationum et aliarum ab Episcopo eiusque consultoribus determinandarum, pro Seminario, orphanotrophio, missionibus, etc.

Art. 8. - Sicut in initio huius decreti declaratur, Ordinarius pro fidelibus oriundis ex Galicia sedem suam habeat Philadelphiae Pa., alter vero Homestead Pa.; pro commoditate tamen et utilitate tum cleri, tum curiarum duorum Ordinariatuum, sacerdos ruthenus domicilium habere poterit TsTeo-Eboraci, qui munere fungens Vicarii vel delegati Ordinariorum, assistentiam praebebit fidelibus ruthenis, peculiariter autem sacerdotibus illis qui vel Americam attingunt vel ex ea proficiscuntur, sed sub dependentia et voto Ordinariorum.

Art. 9. - Episcopi singulis quinquenniis plenam et accuratam relationem de statu personali, morali ac materiali missionum proprii ritus exhibeant Delegato Apostolico, qui eam transmittet ad. S. Congregationem pro Ecclesia Orientali atque singulis saltem decenniis, ad sacra Apostolorum limina accedant, ut obsequium et oboedientiam - suam Pontifici Summo praestent, eique rationem reddant de pastoralis muneris implemento, deque omnibus quae ad Ecclesiae suae statum et cleri populique mores ac disciplinam, animarumque sibi concreditarum salutem pertinent.

Art. 10. - Controversiae, si quae exoriantur inter Episcopum graeco-rutheni ritus et Episcopos latini ritus Statuum Foederatorum, deferantur ad. S. C. pro Ecclesia Orientali.

CAPUT II

De Clero graeco-nitheno

Art. 11. - Cum necesse sit ut habeantur sacerdotes integrae vitae, zelo ac prudentia praediti, in scientiis sacris eruditi et politicis factionibus alieni, curent Ordinarii, ut data opportunitate, saltem pro utroque Ordinariatu erigatur Seminarium minus et maius, pro clericis ritus graeci-rutheni educandis. Interim vero clerici isti frequentent Seminarium latinum ab Ordinario designatum, atque unum alterumve habeant sacerdotem sui ritus, qui eos ritus liturgiamque propriam bene ac diligenter edoceant. Ad sub-

veniendum clericorum educationis expensis, tum rectores ecclesiarum, tum ipsae ecclesiae ritus graeco-rutheni in Statibus Foederatis Americae septentrionalis contribuant. Enixe Ordinarii commendent clero fidelibusque pium opus vocationum ecclesiasticarum, curentque ut sacerdotes, praesertim parochi, pueros, qui indicia praebent ecclesiasticae vocationis, a saeculi contagiis arceant, ad pietatem informent, primis litterarum studiis imbuant, (Mvinaeque in eis vocationis germen foveant.

Art. 12.- Antequam habeatur numerus sufficiens presbyterorum graeco-ruthenorum, qui in Statibus Foederatis educati fuerint, si providenda occurrat de suo rectore aliqua missio Ruthenorum vel vacans vel noviter erecta, Ordinarii postulent sacerdotes ab Episcopis ritus graeco-rutheni Galitiae vel Hungariae vel Jugoslaviae per tramitem S. Congregationis pro Ecclesia Orientali. Illi vero sacerdoti qui proprio marte, neque ab alterutro Episcopo graeco-rutheno vocatus, neque a S. Congregatione missus, illuc perrexerit, Episcopus graeco-ruthenus nullas concedere potest facultates, sive celebrandi Sacrum sive administrandi Sacramenta, sive munia ecclesiastica quomodocumque obeundi. Interim, sicut iam pluries statutum est, sacerdotes ritus graeco-rutheni, qui in Status Foederatos Americae septemtrionalis proficisci et commorari cupiunt, debent esse coelibes.

Art. 13. - Sacerdotes pecuniam quaerentes, vel in fide ac moribus vacillantes, vel ebrietati faventes, nullo modo mittantur nec admittantur in Americam; et si tales inveniuntur, quantocius dimittantur: qui dimissi, nisi paruerint, poenis canonicis, non exclusa suspensione a divinis, coerceantur.

Art. 14. - Quilibet sacerdos, ex Europa proveniens et in Statibus Foederatis Americae septentrionalis commorans pro fidelium ritus graeco-rutheni spirituali cura, manebit incardinatus dioecesi originis, nisi, servatis de iure servandis, incardinetur ab alterutro Ordinario graeco-rutheno Statuum Foederatorum. Interim tamen Episcopus originis iurisdictionem in eum nullo modo exercebit, sed praedictus sacerdos unice pendeat a iurisdictione Episcopi graeco-rutheni. In patriam redire aut revocari supradicti sacerdotes nequeant sine expressa licentia sui Ordinarii graeco-rutheni ritus Statuum Foederatorum in scriptis concedenda. Episcopi originis respondere debent coram S. Congregatione pro Ecclesia Orientali si tales sacerdotes sine scriptis ab alterutro Ordinario graeco-rutheni ritus Statuum Foederatorum admittant.

Art. 15. - Omnes rectores paroeciarum et missionum graeco-ruthenarum in Statibus Foederatis amovibiles sunt ad nutum Ordinariorum graeco-rutheni ritus. Amoveri autem non poterunt absque causis gravibus et iustis.

Art. 16.-Datur tamen facultas presbytero amoto recursum interponendi, in devolutivo, contra decretum remotionis, ad S. C. pro Ecclesia Orientali.

Art. 17. - Sustentationi sacerdotis provideant Ordinarii, salarium eidem adsignando, assumendum iuxta proportionem ex omnium Ecclesiae proventuum massa seu cumulo.

Art. 18. - Iura stolae et emolumenta sacri ministerii in singulis missionibus determinanda sunt ab Ordinariis graeco-ruthenis iuxta probatas diversorum locorum consuetudines.

Art. 19. - Ordinarii graeco-rutheni nonnisi in clerum et populum graeco-ruthenum iurisdictionem suam exerceant. Si tamen aliquo in loco exsistant fideles graeco-rutheni ritus, in eoque non sit missio constituta, aut nullus adsit presbyter eiusdem ritus, Ordinarii tunc debent iurisdictionem suam in fideles graeco-ruthenos presbytero latino loci communicare, certiorato Ordinario, quoad usque sacerdos graeco-ruthenus ibi habeatur.

Art. 20. - Meminerint sacerdotes se debere sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere, si velint in salutem animarum suum ministerium proficere. Ideo frequenter ad Poenitentiae Sacramentum accedant, quotidie orationi mentali per aliquod tempus incumbant, Sanctissimum Sacramentum visitent, Deiparam Virginem colant, conscientiamque suam discutiant.

Art. 21. - Omnes sacerdotes debent tertio saltem quoque anno vel etiam frequentius, si opportunam habuerint occasionem, spiritualibus exercitiis per tempus a proprio Ordinario determinandum vacare; nec ab eis quisquam eximatur, nisi in casu particulari, iusta de causa ac de expressa Ordinarii licentia.

Art. 22. - Omnes speciali obligatione tenentur suo quisque Ordinario reverentiam et obedientiam exhibendi eamque fidelibus saepius inculcent.

Art. 23. - Sacerdotes studia praesertim sacra ne intermittant, et in sacris disciplinis solidam illam doctrinam a maioribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam.

Art. 24. - Expleto studiorum curriculo, sacerdotes omnes, nisi ab Ordinario ob iustam causam fuerint dispensati, examen singulis annis, saltem per triennium integrum in diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, subeant secundum modum ab eodem Ordinario determinandum.

Art. 25. - Pariter saepius in anno, in singulis vicariatibus foraneis, diebus ab Ordinario praestitutis, conventus habeantur seu collationes de re morali et liturgica; quibus addi possunt aliae exercitationes quas Ordinarius opportunas iudicaverit ad scientiam et pietatem clericorum promovendam. Si conventus haberi difficile sit, resolutae quaestiones scriptae mittantur, secundum normas ab Ordinario determinatas. Qui conventui

interesse debent, deficiente conventu, scriptam casuum solutionem aliusve quaestionis expositionem mittere debent, nisi ab Ordinario expresse antea •exemptionem obtinuerint. In collatione officiorum ratio habeatur eorum qui, ceteris paribus, in supradictis periculis vel collationibus magis praestiterunt.

Art. 26. - Gravi obligatione tenentur parochi, quasi-parochi missionariique diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto fidelibus, brevi Evangelii aut alicuius partis doctrinae christianae explanatione, verbum Dei nuntiandi necnon catholicam fidelium institutionem curandi, praesertim puerorum, secundum instructiones ab Ordinario receptas. Qui *m* negligentes reperti fuerint, pro gravitate culpae puniantur.

Art. 27.- Iuxta opportunitatem, Ordinarii graeco-rutheni ritus sacerdotes saltem praecipuos tum saeculares, tum religiosos propriae iurisdictionis congregent semel saltem in anno, ut possint ex singulorum experientia et consilio deducere quae sint perfectius ordinanda.

CAPUT III

De fidelibus graeco-ruthenis

Art. 28. - Fideles graeco-rutheni tenentur frequentare ac libenter sustentare suas proprias ecclesias, ac observare praescripta sui ritus. Tamen in regionibus ubi desunt ecclesiae ac sacerdotes proprii ritus et ubi propter longinquitatem ecclesiae suae non eam possunt nisi cum gravi incommodo adire, debent, ut praeceptis Ecclesiae satisfaciant, Missam audire in ecclesia catholica alterius ritus, nec non Sacramenta accipere a presbytero alterius ritus.

Art. 29. - Frequentatio ex parte graeco-ruthenorum, etiam continua, ecclesiarum ritus latini, non inducit mutationem ritus. Circa transitum ab uno ritu ad alium, normae rite observentur a S. C. pro Ecclesia Orientali datae per decretum «Nemini licere» die 6 Decembri 1928. Idcirco fideles graeco-rutheni propter transitum ad alium ritum, petitionem ad Delegatum Apostolicum mittant, et simul exponant veraciter causas canonicas, quae eumdem transitum suadere videntur. Satius vero erit si hanc petitionem ad eumdem Delegatum Apostolicum transmittant per tramitem proprii Ordinarii.

Art. 30. - Non licet sacerdotibus ritus latini quempiam Graeco-ruthenum ad latinum ritum amplectendum inducere contra vel praeter canonica praescripta quae transitus ritus moderantur.

Art. 31. - Fideles latini, etiamsi adsit presbyter latini ritus, apud sacerdotem graecum-ruthenum ab Ordinario suo adprobatum, peccata sua

confiteri et beneficium sacramentalis absolutionis, valide et licite obtinere possunt. Item, fideles graeco-rutheni peccata sua confiteri possunt apud sacerdotem latinum ab Episcopo suo adprobatum. Presbyteri vero latini absolvere non possunt fideles graeco-rutheni ritus a censuris et casibus reservatis ab Ordinario graeco-rutheno statutis, absque venia, eiusdem. Vicissim idem dicatur de presbyteris graeco-ruthenis quoad censuras et reservationes statutas ab Ordinario latini ritus. Ad devitandas vero difficultates, quae frequentiores in praxi occurrunt, Ordinariatus omnes a se reservatos casus, si qui sint, sibi invicem communicent.

Art. 32. - Omnibus fidelibus cuiuscumque ritus datur facultas ut, pietatis causa, Sacramentum Eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant; ac insuper, ubi necessitas urgeat, nec sacerdos diversi ritus adsit, licebit sacerdoti graeco-rutheno ministrare Eucharistiam consecratam in azymo; et vicissim sacerdoti latino ministrare in fermentato; at suum quisque ritus in ministrando servabit.

Art. 33. - Quilibet Orientalis valide ac licite praecepto communionis paschalis satisfacit etiamsi alieno ritu communicet.

Suadendum tamen est ut suo quisque ritu et in propria paroecia fideles praecepto communionis paschalis satisfaciant: qui vero in aliena paroecia satisfecerint, curent proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere.

Art. 34. - Sanctum Viaticum moribundis ritu proprio a manibus proprii parochi accipiendum est; sed, urgente necessitate, fas esto a sacerdote quolibet illud accipere; qui tamen ritu suo minis trahit.

Art. 35. - Funerum celebratio ac emolumentorum perceptio in familiis mixti ritus, ad parochum illius ritus pertineant, ad quem, defunctus pertinebat.

Art. 36. - Ad vitanda gravia incommoda quae inde Ruthenis evenire possent, facultas eis fit festa et ieiunia observandi iuxta consuetudinem locorum in quibus degunt; quae observantia minime inducit mutationem ritus. Quoad Missam audiendam diebus festis in utroque ritu in eamdem diem incidentibus, ipsi sacrae liturgiae in ecclesia sui ritus, si in loco exsistat, interesse tenentur, ad adimplendum praeceptum ecclesiasticum.

Art. 37. - Adsociationes fidelium ritus graeco-rutheni sint sub vigilantia Ordinariorum, qui sacerdotem moderatorem nominent, ne forte abusus circa doctrinam, mores, disciplinamve in eis irrepant. Ideo laude digni sunt fideles qui sua dant nomina adsociationibus ab auctoritate ecclesiastica erectis vel saltem commendatis; caveant autem ab adsociationibus secretis, damnatis, seditiosis, suspectas aut quae student sese a legitimae auctoritatis ecclesiasticae vigilantia subducere.

Pariter diaria, folia vel libelli periódica catholica sint snb vigilantia Ordinarii, nec in eis sine eius consensu sacerdotes scribant vel eadem moderentur.

CAPUT IV

De matrimoniis inter fideles mixti ritus

Art. 38. - Matrimonia inter catholicos graeco-ruthenos et latinos non prohibentur; sed ad vitanda incommoda, quae ex rituum diversitate in familiis evenire solent, uxor in ineundo matrimonio aut eo durante, ad ritum viri transire potest. Matrimonio autem soluto, assumendi proprii ritus originis libera est ei potestas.

Art. 39. - Matrimonia tum inter fideles graeco-ruthenos, tum inter fideles mixti ritus, servata forma decreti «Ne temere» contrahi debent, ac proinde in ritu mulieris a parocho mulieris benedicenda sunt.

Art. 40. - Dispensationes matrimoniales in matrimoniis mixti ritus, si quae sint dandae vel petendae, dentur et petantur ab Episcopo sponsae.

Art. 41. - Nati in regione Statuum Foederatorum Americae septemtrionalis ex parentibus diversi ritus, ritu patris sunt baptizandi; proles enim utriusque sexus sequi omnino debet patris ritum.

Art. 42. - Baptismus in alieno ritu ob gravem necessitatem susceptus, cum nimirum infans morti proximus esset, vel natus esset in loco in quo, tempore nativitatis, parochus proprius patris non aderat, ritus mutationem non inducit: et sacerdos, qui baptiza vit, proprio parocho testimonium baptismatis remittere debet.

Art. 43. - Infantes ad eius parochi iurisdictionem pertinent, cuius ritus est eorum pater, exceptis natis ex illegitimo thorp, qui sequuntur ritum matris.

Haec omnia Ssmus Dominus Noster Pius Div. Prov. Papa XI, referente infrascripto huius S. Congregationis Cardinali Secretario in audientia 9 Februarii vertentis anni, rata habuit ac confirmavit, praesens que decretum ad decennium valiturum edi iussit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 1 Martii anno 1929.

ALOISIUS CARD. SINCERO, *Secretarius.*

Ii. © s.

•Hi I. Cicognani, *Adsessor.*

8ACBA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

APPROBATIONES

Ssmus Dominus Noster Pius divina Providentia PP. XI decretis Sacrae Congregationis negociis Religiosorum Sodalium praepositae:

12 Iunii 1928. — Institutum Sororum, vulgo *Sœurs Franciscaines de Notre Dame du Temple* nuncupatarum, cuius domus princeps in dioecesi Lemovicen. sita est, laudavit, eiusque Constitutiones ad septennium, esperimenti gratia, approbavit.

— Institutum Sororum, vulgo *Suore Domenicane di S. Caterina de' Ricci* nuncupatarum, cuius domus princeps in dioecesi Albanen, in America sita est, laudavit eiusque Constitutiones ad septennium, experimenti gratia, approbavit.

— Institutum Sororum, vulgo *Suore Domenicane di New South-Wales* nuncupatarum, cuius domus princeps in dioecesi Maitlanden. sita est, laudavit, eiusque Constitutiones ad septennium, experimenti gratia, approbavit.

— Constitutiones Tertii Ordinis Regularis Sancti Francisci Assisiensis, cuius domus princeps in dioecesi Albien. sita est, ad septennium, experimenti gratia, approbavit.

10 Iulii — Institutum Sororum, vulgo *Suore Compassioniste Serve di Maria* nuncupatarum, cuius domus princeps in dioecesi Stabien. sita est, approbavit, itemque eius Constitutiones ad septennium, experimenti gratia.

— Institutum Sororum, vulgo *Suore Francescane di S. Giuseppe* nuncupatarum, cuius domus princeps in dioecesi Buffalen. sita est, laudavit, eiusque Constitutiones ad septennium, experimenti gratia, approbavit.

— Institutum, vulgo *Servi della Carità* nuncupatum, cuius domus princepi in dioecesi Comen, vita est, definitive approbavit eiusque Constitutiones ad septennium, experimenti gratia.

— Constitutiones Sororum, vulgo *Suore della Sacra Famiglia del Sacro Cuore* nuncupatarum, cuius domus princeps in archidioecesi Parisien, sita est definitive approbavit.

— Institutum Sororum, vulgo *Figlie del Divin Salvatore* nuncupatarum, cuius domus princeps in archidioecesi Viennen, sita est, laudavit, eiusque Constitutiones ad septennium, experimenti gratia, approbavit.

— Constitutiones Sororum, vulgo *Sœurs du Bon Sauveur* nuncupatarum, cuius domus princeps in dioecesi Baiocen. sita est, definitive approbavit.

30 Iulii. — Institutum Sororum vulgo *Suore di S. Giovanni di Dio,* cuius domus princeps in dioecesi Fernen, sita est, laudavit, eiusque Constitutiones ad septennium, experimenti gratia, approbavit.

— Institutum Sororum vulgo *Sœurs de la S. Famille de la Délivrande* nuncupatarum, cuius domus princeps in dioecesi Baiocen. sita est, approbavit itemque eius Constitutiones ad septennium, experimenti gratia.

— Constitutiones Sororum, vulgo *Suore della Misericordia di S. Carlo Borromeo* nuncupatarum, cuius domus princeps in dioecesi Wratislavien. sita est, ad septennium, experimenti gratia, approbavit.

— Institutum Sororum vulgo *Suore del Ssmo Sacramento* nuncupatarum, cuius domus princeps in dioecesi Lafayetten. sita est, laudavit, eiusque Constitutiones ad septennium, experimenti gratia, approbavit.

— Constitutiones Sororum, vulgo *Suore Riparatrici del S. Cuore di Gesù* cuius domus princeps in archidioecesi Neapolitana sita est, definitive approbavit.

10 Decembris. — Constitutiones Sororum, vulgo *Suore Terziarie Domenicane di S. Caterina da Siena* nuncupatarum, cuius domus princeps in dioecesi Ludovicopolitana sita est, definitive approbavit.

— Institutum Sororum, vulgo *Figlie della Misericordia e della Croce,* cuius domus princeps in archidioecesi Panormitana sita est, laudavit, eiusque Constitutiones ad septennium, experimenti gratia, approbavit.

21 Ianuarii 1929. — Institutum Sororum, vulgo *Suore degli Angeli Custodi* nuncupatarum, cuius domus princeps in dioecesi Victorien, sita est, laudavit, eiusque Constitutiones ad septennium, experimenti gratia approbavit.

— Constitutiones Instituti Sororum, vulgo *Suore di S. Filippo Neri* nuncupatarum, [cuius domus princeps in dioecesi Barcinonen, sita est, definitive approbavit.

— Institutum Sororum, vulgo^^ore *della Provvidenza* nuncupatarum, cuius domus princeps in dioecesi Vapincen. sita est, approbavit Constitutiones, itemque ad septennium, experimenti gratia.

— Constitutiones Instituti Fratrum a S. Familia, cuius domus princeps in dioecesi Bellicen. sita est, ad septennium, experimenti gratia, approbavit.

Vincentius La Puma, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus Dnus Noster Pius divina Providentia Papa XI, decretis Sacri Consilii Christiano nomini propagando, sequentes Ecclesias de suo Pastore providit, nimirum:

5 Ianuarii 1929. — Archiepiscopali Ecclesiae Rhodiensi nuper restitutae praefecit R. P. Ioannem M. Aemilium Castellani, O. P. M.

15 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Patnensi, R. P. Bernardum Sullivan, e Societate esu.

7 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae de Dinajpur, R. D. Ioannem Baptistam Anselmo, e Pont. Seminario Mediolanensi Ss. Petri et Pauli, Ambrosii et Caroli, pro missionibus ad exteros.

II

NOMINATIONES

Sacra Congregatio de Propaganda Fide, successivis decretis ad suum beneplacitum renunciavit:

19 Iunii 1928. — R.|P. Iosephum ¡jLorks, fe Societate Verbi|Divini (de Steyi), *Praefectum Apostolicum Novae Guineae Centralis.*

§.12 Decembris. — R. P. Ernestum ¡Reilly, O. F. M., *Superiorem Missionisque Bellary.j*

8 Ianuarii 1929. — R. P. Franciscum ^Xaverium Ochoa, ex Ordine Eremitarum ;1|Recollectorum S. Augustini, *Praefectum Apostolicum de Kweiteh in Sinis.*

— R. P/Carolum Ilarium Currea, S. I., *Praefectum Apostolicum Fluminis Magdalenae in Columbia, nuper erecta praefectura.*

5 Februarii. — R. P. Theodorum Breher, e Congregatione Ottiliensi O. S. B., *Praefectum Apostolicum de Yenki in Corea, nuper erecta praefectura.*

19 Februarii. — R. P. Iulium Douènel, e Societate Parisiensi pro missionibus exteri, *Praefectum Apostolicum de SiMim, in Indiis, nuper erecta praefectura.*

III

DESIGNATIONES

Ad normam can. 1594 § 2 Codicis inris canonici, Vicarius Apostolicus de Volta Inferiore designavit pro appellationibus tribunal. Vicarii Apostolici de Togo; Vicarius Apostolicus de Antsirabé, item designavit ad eundem effectum tribunal Vicarii Apostolici de Fianarantsoa. Quas designationes Beatissimus Pater approbare dignatus est per rescripta Sacrae Congregationis de Propaganda, datis respective die 25 Februarii et 7 Mariai 1929.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

FLORENTINA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI TERESIAE MARGARITAE REDI A SACRO CORDE IESU MONIALIS PROFESSAE ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM IN MONASTERIO FLORENTINO.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agiturf

Arretii in Hetruria nascebatur Dei Famula die decima sexta Iulii an. 1737 ex nobilibus piisque parentibus, qui sedulam adhibuerunt curam, ut in catholicae religionis rudimentis enutrita filióla et pietatis studio succensa a prima aetate virtutum christianarum germina exhiberet. Vix pueritiam egressa, maioris addiscendae perfectionis desiderio ducta Florentiam petiit, ac monasterium est ingressa a S. Apollonia nuncupatum, ibique tanto fervoris ardore flammescere coepit, ut vel moniales universas in sui admirationem raperet. Decimum septimum annum agens paternam domum repetiit parentum optatis satisfactura, indolem dulcissimam et angélicos mores verbis et actionibus praebens, omniumque corda sibi devinciens, quippe quae habebatur tamquam nos in domestico viridario positus odorem suavissimum iugiter spirans. Sed sanctum, quod iam conceperat, desiderium se totam caelesti Sponso devovendi, perficere constituit matrique suae rem candide aperuit, eaque annuente, quavis abrupta mora, in Florentino coenobio a

Sancta Teresia inter carmelitides alumnas cooptari obtinuit, laetantique animo ásperas regulas amplectens, cunctis vitae commodis et illecebris perpetuum remisit nuncium, ac post tyrocinium nitide exactum religiosa nuncupavit vota. Brevi coenobiticae vitae evasit exemplar, atque in perfectionis semita currebat alacriter, dum veluti lilium procella percussum occubuit, nondum expleto vicesimo tertio aetatis anno. - Ven. Servae Dei immaturam mortem complures, qui eximium animi candorem egregiasque virtutes in ea admirati fuerant amare luxerunt, eiusdem sanctimoniam collaudantes et ad caelestem patriam gloriosum transitum praedicantes. Statim pium excitum est eius Beatificationis desiderium, ipseque Florentinus Antistes iudiciales condidit inquisitiones de eiusdem vitae, virtutum et miraculorum, fama. Quibus rite discussis feliciterque absolutis aliis minoris momenti quaestionibus, de virtutibus quaesitum est, easque in gradu heroico a Ven. Famula Dei fuisse excultas definitum fuit a Summo Pontifice Gregorio XVI per decretum decimo octavo Kalendas Maii, anno 1839 solemniter latum. Silentium sexaginta annorum sequutum est, antequam de miraculis Ven. Servae Dei interventione impetratis quaestio de more institueretur. Conditis itaque tum Pisis tum Senis Apostolicis tabulis, iisque validis cognitis ac declaratis, die .13 mensis Decembris anno 19.10 coactus est coetus Antepraeparatorius in aedibus bo. me. Card. Gotti, qui Ponentis munere hac in Causa fungebatur. Qui conventus denuo est habitus die 13 Decembris anno 1927 penes Revmum ci. me. Card. Vico, qui Gotti suffectus fuerat, super altero asserto miraculo, quod causae Actores illi sufftciendum postulaverat, de quo in Florentino processu Apostolico collectae fuerant probationes. Hoc autem ineunte anno, die 8 Ianuarii celebrata est in Vaticano Palatio Congregatio Praeparatoria super duobus miraculis, quorum primum contigit Senis, qua in civitate Soror Maria Ducei e Congregatione Scholarum Piarum tabescebat in infirmitate sua pulmonali, quin a salutaris artis cultoribus levamen ullum acciperet. Imo morbus in dies progrediebatur, et quavis praecisa valetudinis spe, ad vitae exitum aegrotam adduxerat. Quae humana quum omnia remedia frustra experta esset, ad caeleste auxilium se convertit, opemque sibi propitiare studuit Ven. Teresiae Margaritae Redi, institutis novendialibus precibus et adhibitis eiusdem reliquiis. Ita ab infirmitate se liberam sensit, uno temporis momento, mirantibus omnibus qui rem bene noverant.

Aliud prodigium feliciter experta est puella Henrica Giorgi, quae pottiano, ut vocant, morbo affecta, eo dire excruciabatur, quotidie tenacius torquebatur, nullaque spe saltem se melius habendi recreari poterat. Quum in conditione adeo miserrima valetudinisr ecuperandae versaretur, Ven. An-

cillam Dei Teresiam Margaritam precibus exorat, ut patrocinium suum efficax in re tam gravi ostendat. Annuit Christi Famula, puellamque e faucibus mortis eripuit et pristinae sanitati repente restituit, cunctis obstupescentibus. De hisce itaque sanationibus ad iuris rigorem disceptatum est, ac novissime, videlicet die 16 superioris mensis Februarii, universus disceptatorum coetus coactus est coram Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI, atque unanimi suffragatione de duobus assertis miraculis omnes constare censuerunt. Suam tamen sententiam decretoriam proferre distulit Summus Pontifex, sibique tempus reservavit, ut precibus uberiorem divini luminis claritatem obtineret.

Hodierna vero die Dominica III in Quadragesima mentem suam pandere statuit, sacroque devotissime litato, ad se accersiri voluit Reverendissimum Card. Camillum Laurenti, Sacrorum Rituum Congregationi Pro Praefectum, una cum R. P. D. Carolo Salotti, S. Fidei Promotore generali, meque infrascripto secretario, eisque praesentibus, Pontificio solio accidens, solemniter edixit: *Constare de instantánea perfeetaque sanatione Sororis Mariae Ducei, e Congregatione Scholarum Piarum, ab acuta tuberculari pulmonum affectione, nulla relicta cicatrice;* itemque *de instantánea perfeetaque sanatione puellae Renricae Giorgi a morbo Pottiano.* Atque hoc Decretum evulgari et in actis Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit, quinto nonas Martii anno millesimo nongentesimo vicesimo nono.

C. CARD. LAURENTI, *S. B. C. Pro Praefectus.*

L. œ s.

A. Mariani, *Secretarius.*

II

TAURINEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI IOANNIS BOSCO, SACERDOTIS, FUNDATORIS PIAE SOCIETATIS SALESIANAE ET INSTITUTI FILIARUM B. MARIAE VIRO. AUXILIATRICIS.

***SUPER DUBIO**

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur?

Quam large et copiose Deus omnipotens benedictiones suas effuderit super famulum suum Ioannem Bosco ac super Piam Societatem ab eodem institutam in populorum emolumentum et praesidium, perspicue enitescit ex naturae et gratiae donis illi uberrime elargitis, e rebus ab ipso prae-

clare gestis, ex Piae Societatis progressibus novisque domibus in pluribus regionibus, etiam in dissitis orbis partibus fundatis et firmiter communitis, nullis ferme suffragantibus opportunis auxiliis. Namque humili loco natus Dei Famulus ab ineunte aetate multis se exornatum egregiis dotibus praebuit, eaque aggressus est perfecitque opera, apprime in adolescentibus instituendis, quae absque facultatum copia et auctoritatis imperio sustineri nequivissent. Ipse autem in obstaculis superandis, in contrarietatibus vincendis, in adversariorum animis demulcendis strenue pugnavit, seque magnum virum exhibuit, una animarum lucrandarum cupidine motus ac fretus.

Ita exordientem Piam Societatem probe instruere sategit, eamdem augere et propagare feliciter contendit, nedum in plures Europae partes, verum et in longinquas Americae regiones transvexit. Nunc vero sodales eius ulterius progressi ad extremi etiam Orientis plagas missionali munere cum maximo animarum lucro apostolica constantia et laude late funguntur.

Liberalitate et caritate perlibenter utebatur, etiam in rebus angustis, Yen. Dei Famulus, et nullum unquam egenum dimittebat inauditum. Quandoque etiam cordium arcana rogatus pandebat, futura praecinebat, et pacem anxiis animis restituere adamabat. Corporis quoque morbos efficaciter curabat, cunctisque benefacere in deliciis iugiter habuit. Hoc sanctissimo desiderio ductus sacrarum virginum sodalitatem condidit, quas Filias Mariae Auxiliatricis nuncupavit; quarum etiam Institutum longe diffusum praeclaros edit in Ecclesia salutis fructus.

Dilectus Deo et hominibus occubuit, quin benefacendi voluntatem amitteret, dulcissimam que beneficentiae suae memoriam in quovis civium ordine relinquens. Statim post eius funus circumferri coeperunt prodigia, praesertim sanationum a morbis, e quibus bina facta selegerunt studisissimi causae Actores et, conditis super iisdem Apostolicis tabulis, sacrorum Rituum Congregationi proposuere, ut de assertorum prodigiorum veritate proferret iudicium. Prima sanatio est Sororis Provinae Negro, quae ulcere rotundo in stomacho terebatur acribusque doloribus cruciabatur. Comperta morbi indole ac malitia, qui vix curationem post diuturnum tempus suscipere poterat, aegra divinum auxilium experiri cogitavit, atque Ven. Ioannis Bosco ope implorata eiusque reliquiis summa cum fiducia sumptis, illico se morbo liberam perfecteque sanatam sensit. Eius valetudo prodigiosa ab omnibus declarata est, atque in primis ab artis salutaris cultoribus.

Altera sanatio contigit in Teresia Callegari, pluribus affiictata morbis internis, qui rebelles omnigenis curationibus eam ad marasmum adduxerant, ac prope decessura a medentibus aestimabatur. Neque errabant

egregii viri, namque gravissimus morbus quo ipsa laborabat vere organicus erat, pluribus anatomicis constabat laesionibus, prout evidenter ostenderunt tres periti viri, iuramento obstricti a sacra Rituum Congregatione adsciti. Implorata itaque Ven. Ioannis Bosco interventione, non ab una, sed a cunctis fmorbosis afíectionibus sanata èst, uno temporis momento, Teresia Callegari, quae prodigium asseruit et conclamavit. Apostolicis autem adornatis inquisitionibus super duabus sanationibus, iisque sedulo discussis legitimisque declaratis, die 24 Ianuarii anno .1928 habita est Congregatio Antepraeparatoria in Aedibus Reverendissimi Cardinalis cl. me. Antonii Vico, Causae Relatoris; dieque 11 mensis Decembris eiusdem anni coacta fuit Congregatio Praeparatoria in Palatio Vaticano. Die vero 5 vertentis mensis Martii universus disceptandum coetus congregatus est coram Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI, et proposito dubio a Reverendissimo Card. Alexandro Verde, causae Relatore, *an et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum, de quo agitur,* quotquot intervenerint tum Reverendissimi Cardinales tum Patres Consultores omnes ex ordine responderunt; Beatissimus vero Pater suum proferre iudicium distulit, animi tamen sui laetitiam haud obscure pandidit. Interim precibus splendidiorem divini luminis claritatem in re tam gravi esse impetrandam, omnes est cohortatum.

Quum autem suam decretoriam edere sententiam statuisset, hodiernam auspicatissimam diem, qua festum agitur sancti Ioseph, totius Ecclesiae universalis Patroni, quem peculiari cultu Ven. Ioannes Bosco maxime prosequebatur, designavit, et divina Hostia ferventer oblata, accitisque Reverendissimis Cardinalibus Camillo Laurenti, sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, et Alexandro Verde, causae Ponente, una cum R. P. D. Carolo Salotti, S. Fidei Promotore generali, meque infrascripto a secretis, iisque praesentibus, nobiliorem ingressus est aulam, solioque Pontificio sedit, atque so miter decrevit: *Constare de instantánea perfeetaque sanatione sororis Provinae Negro ab ulcere rotundo stomachi;* itemque *de instantánea perfeetaque sanatione Teresiae Càllegari a poli-artrite acuta post-infectica, aliisque laesionibus, quae aegrotam ad statum marasmi adduxerant.* Atque hoc decretum evulgari et in acta sacrorum Rituum Congregationis referri iussit, quarto decimo Calendas Aprilis anno millesimo nongentesimo vicesimo nono.

C. CARD. LAURENTI, *S. R. C. Praefectus.*

L. © S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACKA POENITENTIARIA APOSTOLICA

DUBIUM

DE PRIVILEGIO SACERDOTIBUS CONCESSO IN CONSTITUTIONE APOSTOLICA « AUSPICANTTBUS NOBIS ».

Sacrae Poenitentiariae Apostolicae sequens dubium pro opportuna solutione exhibitum fuit:

« Utrum *privilegium personale,* hoc anno iubilari in Constitutione Apostolica " Auspicantibus Nobis „ sacerdotibus concessum, sit consuetum personale privilegium *altaris,* vi cuius sacerdotes, pro defuncto celebrantes, Indulgentiam, plenariam acquirere et applicare valeant animae pro qua Missam celebrant; vel potius ita intelligendum sit ut sacerdotes, Sacrum litantes, in quolibet Missae Sacrificio plenariam Indulgentiam lucrari et applicare possint, independenter a Missae applicatione, uni animae, in Purgatorio detentae, ab ipsis ad libitum designatae!

Et Sacra Poenitentiaria Apostolica, re mature perpensa, respondendum censuit:

« Negative ad primam partem, *affirmative* ad secundam ».

Facta autem de praemissis relatione Ssmo D. N. Pio divina Providentia Pp. XI, ab infrascripto Regente eiusdem Sacri Tribunalis, in Audientia diei 1 Martii 1929, idem Ssmus Dominus responsum Sacrae Poem tentiariae benigne adprobavit, confirmavit et publici iuris fieri mandavit.

Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 8 Martii 1929.

S. Luzio, *Eegens.*

L. & S.

A. Anelli, *Substitutus.*

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

NULLIUS SEU MONTIS CASINI

NULLITATIS MATRIMONII (FIS CHER- WINSPE ARE)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Francisci Winspeare, filii Bar. Davidis et Mariae Caracciolo di Torella, n. in oppido San Marcello Pistoiese, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, via della Dataria, 94) die 4 Iunii 1929, hora 11, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione :

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Francisci Winspeare curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

L. © S. A. Wynen, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 9 Martii 1929.

Ioannes Ladelci, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. François Winspeare, fils du Baron David et de Marie Caracciolo di Torella, né à S. Marcello Pistoiese, défendeur en cette cause, Nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Via] della Dataria, n. 94), 4 juin 1928, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la cause devant la Rote.

Gonste-t-il de la nullité du mariage dans ce cas f

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit M. François Winspeare, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présent citation.

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO
AB CODICIS CAFÓLES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Emi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. - DE SACRIS BENEDICTIONIBUS

D. An verba *ritibus ab Ecclesia praescriptis,* de quibus in canone 349 § 1 n. 1, ita intelligenda sint ut Episcopi in sacris benedictionibus prohibeantur' solo crucis signo uti, quum peculiaris formula in libris liturgicis non praescribitur.

R. *Negative.*

II. - DE IMPEDIMENTO PUBLICAE HONESTATIS

D. An vi canonis 1078 ex solo actu, ut aiunt, civili inter eos, de quibus in canone 1099 § 1, independenter a cohabitatione oriatur impedimentum publicae honestatis.

R. *Negative.*

III. - DE DISPENSATIONE AB ABSTINENTIA ET IEIUNIO

D. An *magnus populi concursus,* de quo in canone 1245 § 2, habeatur etiam per extraordinarium concursum fidelium unius tantum paroeciae ad festum in ecclesia celebrandum.

R. *Affirmative.*

IY. - DE POSITIONIBUS SEU ARTICULIS ARGUMENTORUM

D. An secundum canonem 1761 § 1 servari possit praxis, vi cuius iudex cum altera parte communicare solet positiones seu articulos argumentorum, super quibus testes sunt examinandi, ut interrogatorium conficiat exhibeatque iudici.

R. *Affirmative,* remoto tamen subornationis periculo.

Y. - **DE IURE ACCUSANDI MATRIMONIUM**

D. Utrum vox *impedimenti* canonis Ì971 § 1 n. 1 intelligenda sit tantum de impedimentis proprie dictis (cann. 1067-1080), an etiam de impedimentis improprie dictis matrimonium dirimentibus (cann. 108.1-1103).

E. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Datum Eomae, die 12 mensis Martii anno 1929.

P. CARD. GASPARRI, *Praeses.*

L, © S.

Ioseph Bruno, *Secretarius.*

PONTIFICIA COMMISSIO PEO RUSSIA

NOTANDUM

In decreto relato pag. 94 (fase. II) huius voluminis, lin. 12 pro eo quod est « ut singulos casus huic Pont. Commissioni, etc. » *legatur:* « ut, quotiescumque de clericis agatur, sive sacerdotes sint sive solummodo diaconi, singulos casus huic Pontificiae Commissioni », etc.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

La Santità di Nostro Signore ha ricevuto, sabato 9 Marzo, in udienza l'Eecmo Corpo Diplomatico, che Gli presentava i propri ringraziamenti per le comunicazioni avute da Sua Eminenza Revma il Signor Cardinale Segretario di Stato, il 7 Febbraio u. s., circa gli accordi tra la Santa Sede e l'Italia, che venivano poi firmati nel Palazzo Laterano Pli successivo.

All'eloquente e geniale Indirizzo di Sua Eccellenza il Sig. Carlo Magalbaes de Azeredo, Ambasciatore straordinario e Plenipotenziario del Brasile, Decano del Corpo Diplomatico, Sua Santità rispondeva col seguente discorso:

Voilà une magnifique audience — une audience, Nous n'hésitons pas à le dire — qui dépasse en grandeur et en importance toutes les autres.

Ce n'est pas un compliment, chers Messieurs, c'est à un certain point de vue — un point de vue réel et positif — que votre visite collective est vraiment la plus grande et la plus importante qu'on puisse Nous faire. Et ce point de vue c'est vous qui Nous le donnez.

Car ce n'est pas seulement vos estimées et aimables personnes que Nous voyons. Derrière chacun de vous, Nous ne pouvons pas nous empêcher d'apercevoir vos respectifs souverains, vos présidents, régents, chefs d'Etat, quel que soit le nom dont on les appelle; et avec eux vos gouvernements, vos peuples, vos pays tout entiers, tous ensemble: une vision d'une grandeur vraiment apocalyptique, d'une étendue mondiale; *visionem magnam,* vision grande!

Et vous venez Nous remercier de quelque chose, qui grâce à vous est-devenu plutôt un nouveau titre de Notre reconnaissance envers vous.

En effet, c'est grâce à vous, à vos bons offices, que la communication que par l'intermédiaire de Notre Cardinal Secrétaire d'Etat, Nous avons, voulu vous faire concernant les événements qui allaient s'accomplir; c'est grâce à votre intelligente et bienveillante transmission et interprétation que cette communication nous a valu les plus réconfortants, comme les plus désirés témoignages de sympathie et d'adhésion de vos Etats et de vos peuples. Adhésion et sympathie qui ne se sont jamais démenties, et même quelquefois se sont accentuées depuis l'année 1870, mais qui, à l'heure présente, à un moment (on peut bien dire à un tournant) si important, de

l'histoire du Saint-Siège et de l'Eglise se sont traduites en démonstrations tellement solennelles, tellement grandioses qu'elles ont remplacé et dépassé sans mesure toutes les garanties que Nous aurions pu désirer.

Nous disons les garanties que Nous aurions pu désirer; parce qu'il y a des garanties que Nous ne pourrions aucunement ni désirer ni accepter.

Voilà une distinction qui a été oubliée par les nombreux dilettanti et amateurs (comme votre éloquent interprète les a appelés) de droit international. Cette distinction revient à celle qui intervient entre garanties juridiques et garanties morales.

La garantie juridique est celle que l'ancien et solennel langage du droit traduit par *défense, tutelle — defensio, tutela. Defensio...* défense contre l'ennemi ou contre l'insolvable. Contre l'ennemi? Mais Nous ne sommes l'ennemi de personne, et Nous ne croyons avoir d'autre ennemi que les ennemis de la vérité et du bien. Défense contre l'insolvable? Mais Nous avons cru et croyons à la loyauté et à la persévérante bonne volonté de ceux qui se sont montrés prêts et désireux de traiter.

Sinon défense, tutelle? Mais encore moins pourrions-Nous l'accepter: c'est l'Apôtre saint Paul qui dit que même le riche héritier *nihil differt a servo... quamdiu sub tutoribus est.* [1] Et soit défense, soit tutelle, comment pourrions-Nous imposer à d'autres de tels soucis et de telles responsabilités?

Mais si on ne peut parler de garanties juridiques on peut bien parler de garanties morales.

Telle est, et magnifique dans son genre, la garantie (on peut bien l'appeler aussi garantie diplomatique) que vous représentez, chers Messieurs, que vous formez, et que votre éloquent interprète a si opportunément rappelée, si lumineusement mise en relief, dans toute la portée et toute la force de sa signification.

U y en a une autre qui continue depuis le onze février à remplir les pays et le monde entier. C'est ce grand, incomparable (et peut être jusqu'ici jamais vérifié) plébiscite, non seulement d'Italie, mais de toutes les parties du monde. U n'y a dans ces mots aucune exagération: Nous venons de recevoir lettres et dépêches non seulement de toutes les villes et villages d'Italie, non seulement de toutes les villes et de bien des villages de tous les pays d'Europe, mais aussi des deux Amériques, des Indes, de la Chine, du Japon, de l'Australie, de la Nouvelle Zélande, du nord, du centre et du sud de l'Afrique, de l'Alaska, du Mackenzie, de l'Hudson comme s'il s'agissait partout d'un événement local. Fait vraiment impressionnant, et qui Nous autorise à dire que non seulement le peuple, tout le peuple d'Ita-

i *Gal,* IV, 2.

lie, mais que les peuples du monde entier sont avec Nous; un vrai plébiscite, non seulement national mais mondial. Voilà la garantie la plus imposante qu'on puisse penser et imaginer. Dans ce vaste et immense plébiscite Nous ne pouvons pas ne pas saisir et relever quelques voix qui Nous ont profondément ému. C'est d'abord la voix du petit nombre de survivants, dans vos différents pays, parmi les braves qui, pendant des années, en esprit de foi catholique, ont mis leur vie à la disposition et à la défense du Saint-Siège. Vous leur direz, à ces braves, que le Saint-Père a prié et appliqué des Messes pour tous leurs morts, qui sont aussi nos morts, inoubliables.

Une autre voix touchante est celle de ceux qui, surtout d'Italie, Nous ont fait dire: voilà que nous recommençons à faire nos Pâques. C'est toute une direction, toute une grande région qui se révèle: la région des consciences, la direction de la pacification religieuse; c'est le point de vue le plus élevé, infiniment plus digne de considération, que la pacification civile et politique d'un pays, bien, que celle-ci soit à elle seule un grand et inestimable trésor. Cette pensée Nous ramène encore une fois aux belles et chères montagnes de Notre jeunesse. U faut s'élever pour gagner les plus magnifiques points de vue; il faut gagner les faîtes, les sommets: de là-haut, on ne voit plus les jolies vallées, les petites pittoresques maisons, les petits clochers pensifs, mais la vision se fait infiniment plus large et bien souvent vraiment sublime.

Nous aussi, au point auquel Nous sommes arrivés, quand Nous pensons à la pacification de tant d'âmes, de tant de consciences, non seulement d'Italie, mais du monde entier, Nous ne pouvons pas ne pas sentir tout le devoir d'en remercier de grand cœur le bon Dieu et tous les hommes qui Nous ont donné le concours de leur bonne volonté en apportant leur contribution — et une contribution qui n'est certes pas indifférente ni de peu de prix — à cette grande oeuvre de pacification. Il Nous semble aussi que Nous avons le droit de Nous en réjouir et d'inviter tout le monde à s'en réjouir avec Nous.

Il ne Nous reste, chers Messieurs, qu'à vous donner, comme jadis disait saint Pierre le premier Pape, « ce que Nous ayons »,[1] Notre bénédiction. Nous la donnons de tout cœur à vos familles, à vos pays, aux peuples et aux gouvernements que vous représentez, et à tout ce que chacun de vous porte dans sa pensée et dans son. cœur.

[1] *Acta Ap.,* III, 6.

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 12 Marzo 1929, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli E cai e Revmi Signori Cardinali e col voto dei Revmi Prelati e dei Consultori teologi, componenti la Sacra Congregazione dei Riti, si è tenuta la Congregazione *Preparatoria* per discutere il dubbio su due miracoli che si asseriscono operati da Dio per intercessione del Beato Teofilo da Corte, Sacerdote professo dell'Ordine dei Frati Minori, i quali miracoli vengono proposti per la Canonizzazione del medesimo Beato.

COMUNICATO

Si fa noto che il Sac. Manlio Bozzini, originario della diocesi di Mantova ma ordinato in quella di Ferrara e passato successivamente di proprio arbitrio in diverse altre diocesi, per ordine e disposizione della competente autorità ecclesiastica, è sospeso *a divinis.*

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S. :

24	*Gennaio*	*1929.*	Monsig. Enrico Hupe, della diocesi di Osnabrück.
»	»	»	Monsig. Ermanno Dreck, della medesima diocesi.
25	»	»	Monsig. Giuseppe Stowerding, della diocesi di Münster.
»	»	»	Monsig. Guglielmo Reinhard, dell'archidiocesi di Friburgo di Brisgovia.
»	»	»	Monsig. Ermanno Martin, della medesima archidiocesi.
»	»	»	Monsig. Lucio Mileta (Spalato).
»	»	»	Monsig. Luca Grgó (Spalato).
26	»	»	Monsig. Salvatore Vattuone (Roma).
4	*Marzo*	»	Monsig. Giovanni Moruzzi, della diocesi di Crema.
»	»	»	Monsig. Angelo Zavaglio,, della medesima diocesi.
7	»	»	Monsig. Paolo Kecskés, dell'archidiocesi di Strigonia.
»	»	»	Monsig. Bernardo Husman, della diocesi di Osnabrück.
»	»	»	Monsig. Ireneo Bassi, della diocesi di Pavia.
»	»	»	Monsig. Tommaso Goossens, della diocesi di Bois-Ie-Duc.
13	»	»	Monsig. Benedetto Filosa (Roma).

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S. :

25 Gennaio 1929. Monsig. Gregorio Bucic (Spalato).
12 Febbraio » Monsig. Giuseppe Bruneiii, della Nunziatura di Praga.
7 Marzo » Monsig. Luigi Pironti, dell'archidiocesi di Salerno.

Cameriere Segreto di Spada e Cappa Soprannumerario di S. S.:

14 Febbraio 1929. Il Sig. E. A. Kernau, dell'archidiocesi di Sydney.
» » » Il Sig. Goffredo Forrest Hughes, della medesima archid.
» » » Il Sig. Vilfredo Giuseppe Spruson, della medesima archid.
» » » Il Sig. Edoardo Patrizio Hollingdale^ della medesima archid.
» » » II Sig. Tommaso O'Louglin, dell'archidiocesi di Melbourne.
21 » » Il Sig. Edoardo Kerr, dell'archidiocesi di Westminster.
28 » » Il Sig. Andrea Kerr, della medesima archidiocesi.

NECROLOGIO

4 Giugno 1928. Monsig. Stefano Faugier, Vescovo tit. di Abido.
3 Ottobre » Monsig. Enrico Léonard, Vescovo tit. di Tipasa.
25 Gennaio 1929. Monsig. Giuseppe Amatore Velasco, Vescovo di Colima.
26 Marzo » Emo Sig. Card. AURELIO GALLI, Diacono di S. Angelo in in Pescheria.
30 » » Monsig. Carlo Gregorio M. Grasso, Arcivescovo di Salerno.
31 » » Emo Sig. Card. EVARISTO LUCIDI, Diacono di S. Adriano.
1 Aprile » Monsig. Antonio Coudert, Arcivescovo di Colombs (India).
5 » » Emo Sig. Card. AIDANO GASQUBT, del Titolo di S. Maria in Portico, Bibliotecario e Archivista di S. R. Chiesa.

Annus XXI - Vol. XXI 1 Maii 1929 Num. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

. ACTA PII PP. XI

LITTERAE APOSTOLICAE

I

DESIGNATUR ABBAS ET ORDINATUR REGIMEN NOVAE ABEATIAE SANCTI PAULI DE OOSTERHOLTO IN HOLLANDIA.

PIUS PP. XI

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Cum tu, Abbas ad Sancti Pauli de Wiciaco, in dioecesi Atrebatensi in Gallia, Congregationis Gallicae Ord. S. Benedicti alumnus, nunc degens in Hollandia in civitate de Oosterholto Bredanae dioecesis intra fines, exponendum Nobis curaveris, perspecto statu religiosae domus S. Pauli de Oosterholto, quam modo Nos pro benevolentia Nostra erga Ordinem Divi Benedicti in abbatiam erigere dignati sumus, ad persequendum opus, quod in eadem domo, usque ad recentem in abbatiam erectionem, dependente ab abbatia Sancti Pauli de Wiciaco, tu, dilecte fili, uti Abbas eiusdem Sancti Pauli de Wiciaco monasterii viginti circiter annis constanti studio aggressus est, te in votis admodum habere, ut de Nostra venia, dimisso titulo Abbatis ad Sancti Pauli de Wiciaco, novae huic abbatiae Sancti Pauli de Oosterholto uti Abbas et Ordinarius eodem Nostra auctoritate praeficiaris: Nos, ut diuturno labori tuo meritum tribuamus praemium, votis his concedendum ultro libenterque existimavimus. Audito igitur dilecto filio Nostro Camillo S. R. E. Diacono Cardinali Laurenti, Praefecto Congregationi religiosorum sodalium negotiis praepositae, omnibusque rei momentis attento seduloque studio perpensis, apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, volumus ac decernimus ut tu, praevia absolutione a vinculo de Apostolicae potestatis plenitudine facta, relicto titulo Abbatis S. Pauli de Wiciaco in Gallia, quo huc usque potitus es, praeficiaris novae abbatiae Sancti Pauli de Ooster-

holto in Hollandia, illiusque sis rite primus de regimine Abbas atque Ordinarius, servatis adamussim iuris et Constitutionum praescriptis. Ad componendum vero statum iuridicum monachorum ambarum abbatiarum, qui usque ad erectionem novae huius in Hollandia abbatiae omnes erant de iure monachi unius gallicae abbatiae Sancti Pauli de Wiciaco, et ad servanda tam iura ac Ubertatem uniuscuiusque monachi secundum Gallicae Congregationis constitutiones, quam bonum et necessitates utriusque monasterii, pariter, Nostra auctoritate, per praesentes decernimus: ut unusquisque monachus stabilitus sit ipso facto, ac sine ullo speciali instrumento, in illo monasterio in quo manebit die promulgationis Literarum erectionis novae abbatiae, nisi autem in scriptis declaraverit velle se altero in monasterio stabiliri: ut per quinque annos, a die eiusdem promulgationig computandos, nullus monachus ad normam praecedentis dispositionis, in una ex duabus abbatiis de iure stabilitus, in altera autem de facto manens, in primam transire, mitti, vel vocari possit, nisi de consensu duorum Abbatum quorum interest. Demum cum nominationis tuae in primum Abbatem novae abbatiae de Oosterholto effectus fuerit vacatio sedis abbatialis de Wiciaco, praecipimus ut sedi ita vacanti regulariter provideri possit; et ad eligendum ad normam sacrorum canonum ac constitutionum Congregationis Gallicae, suum novum Abbatem, validum sit plenaque auctoritate polleat, in quantum indiget, regulare capitulum Sancti Pauli de Wiciaco. Haec volumus atque decernimus benevolentiam Nostram erga inclytam Benedicti familiam significantes; ceterum non dubitamus quin te auspice ac moderatore, nova haec abbatia ad Sancti Pauli de oosterholto in Hollandia et monachorum numero, et bonorum operum ornamento succrescat, et feliciter floreat. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Bomae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xii mensis Iulii anno MDCCCCXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

FINES REGUNTUR INTER DIOECESES DE CHITTAGONG ET KRISHNAGARENSEM IN INDIIS ORIENTALIBUS.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Per similes Apostolicas Litteras, die XXV mensis Maii superioris anni MDCCCCXXVII Piscatoris anulo obsignatas, dioecesis de Chittagong in Indiis Orientalibus erecta fuit, eiusdemque dioe-

cesis territorii limites statuti fuerunt. Praefatae novae dioecesis territorium partem complectebatur districtus vulgo de *Gopalganj* nuncupati, quod in memoratis Litteris per verba « partim de Gopalganj » declarabatur. Cum vero pluries huius districtus de Gopalganj fines civiles immutati fuerint, difficultates ortae sunt inter Episcopum de Chittagong et Episcopum Krishnagarensem quod attinet ad ecclesiasticae iurisdictionis exercitationem. Has ad remo vendas difficultates nuper venerabilis frater Eduardus Mooney, Apostolicus Delegatus in Orientalibus Indiis, Nos humiliter flagitavit, ut praedictae novae dioecesis de Chittagong fines rectius definirentur. Nosque id in christiani populi emolumentum maxime cessurum rati, omnibus adiunctis attente perpensis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, de eorundem fratrum consilio, praedictam Indiarum Orientalium Delegati propositionem in examen revocantes, haec quae infra scripta sunt decernenda existimavimus; Nimirum motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, ut novae dioecesis de Chittagong fines, non minus quam dioecesis Krishnagarensis fines certo modo constituantur, volumus ut dioecesi de Krishnagar partes duae (vulgo *Thanas)* ad septem^ trionem territorii de *Gopalganj,* de quo agitur in supra recensitis Litteris Apostolicis sub anulo Piscatoris datis, sitae, deinceps tribuantur, eae nempe quae nomine veniunt *Kasiani* et *Muksudpur,* et vicissim ad dioecesim de Chittagong pertineant aliae partes duae (vulgo *Thanas),* quae ad meridiem spectant, et de *Gopalganj* ac de *Kohualipara* nuncupantur.

Haec quidem edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvm mensis Iulii anno MDOCCOXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

P. CARD. GASPAREI, *a Secretis Status,*

in

IMMUTANTUR FINES DIOECESIS DE CHITTAGONG ET PRAEFECTURAE APOSTOLICAE DE ASSAM.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam.— Quum ex Apostolico munere, quo fungimur, Ecclesiarum omnium cura Nobis commissa fuerit, felici illarum statui ac prospero regimini pro re ac tempore consulimus. Iamvero cum venerabiles fratres Arcturus Le Pailleur, Episcopus de Chittagong in Indiis Orientalibus, et Aloisius Mathias, Praefectus Apostolicus de Assam, enixe Nos flagitaverint ut duos districtus civiles ad apostolicam praefecturam de Assam huc usque pertinentes ab ea dismembrarentur, et cum venerabilis frater Eduardus Mooney, Delegatus Apostolicus Indiarum Orientalium, petitionem praedictam gravissima sua commendatione roboraverit: Nos, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibusque rei momentis attente perpensis, ad maiorem Dei gloriam christianique populi salutem, haec quae sequuntur, statuenda existimavimus. Nimirum motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, duos civiles districtus de *Sylhet* et *Cachar* a praefectura apostolica de Assam seiungimus sive dismembramus, ipsosque, iisdem servatis confiniis, dioecesi de Chittagong adiungimus sive incorporamus.

Haec volumus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces, iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvm mensis Iulii anno MDCCCCXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

IV

ERECTIO PRAEFECTURAE APOSTOLICAE DE YENKI EX DISMEMBRATIONE VICARIATUS APOSTOLICI DE WONSAN.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Ex hac Divi Petri Cathedra, quam divinitus obtinemus, in omnes christiani orbis regiones, longo licet terrarum marisque spatio seiunctas, sublimi tamquam e specula, mentis Nostrae oculos convertimus, et quae ad expeditiorem conducant rei christianae procurationem, sollicito studio decernere satagimus. Haec animo repetentes, cum vicariatus apostolicus de Wonsan in Corea, amplitudine territorii et incolarum numero conspicuus, amplectatur provinciam de Yenki pertinentem ad Manciuriam, quae ab Ordinarii sede dissita, ob fidelium numerum in dies feliciter percrebrescentium, quoad spirituales populi necessitates peculiarem curam requirere videtur, cumque ipse venerabilis frater Bonifacius Sauer, e Congregatione Ottiliensi O. S. B. pro exteris missionibus, Episcopus titularis Appiariensis ac Vicarius Apostolicus dicti vicariatus de Wonsan, Nos enixis precibus flagitaverit ut tota illa provincia, ab eodem vicariatu per Nos detracta, in peculiarem praefecturam apostolicam erigeretur: Nos, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, ac praehabitis votis tam venerabilis fratris Mam Giardini, Archiepiscopi titularis Edesseni, Delegati Apostolici in Iaponia et Corea, quam venerabilis fratris Celsi Costantini, Archiepiscopi tit. Theodosiopolitani, Delegati Apostolici in Sinis, nec non rogata sententia P. Abbatis generalis Congregationis Ottiliensis Ordinis Sancti Benedicti cuius curis vicariatus de Wonsan est commissus, omnibus denique rei momentis attente perpensis, supra memorati Vicarii Apostolici votis concedendum esse existimavimus. Quae cum ita sint, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, provinciam civilem de *Yenki* a vicariatu apostolico de Wonsan seiungimus; eandemque provinciam, sic separatam sive dismembratam, in praefecturam apostolicam erigimus, cui nomen facimus de *Yenki*, ita tamen ut eadem provincia, sive nova praefectura, servetur curis Congregationis Ottiliensis Ordinis Sancti Benedicti, de re christiana in dicto territorio de Yenki optime meritae.

Haec volumus, edicimus decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque

integros effectus sortiri atque obtinere, illisque, ad quos pertinent sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum ac definiendum esse; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Eomae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xix mensis Iulii anno MDCCCCXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

P. CARD; GASPARRI, *a Secretis Status.*

V

BASILICAE MINORIS HONORIBUS DECORATUR TEMPLUM TAURINENSE SS. CORPORIS DOMINI, A MIRACULO NUNCUPATUM.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Inter praestantiores sacras aedes, quibus Taurinensis civitas nobilitatur, conspicuum sane locum obtinet templum Corporis Domini a Miraculo nuncupatum, a municipii curatoribus conditum ad perennandam memoriam celeberrimi illius prodigii, quod evenit die vi m. Iunii an. MCCCCLIII, ex quo eadem civitas urbis a Sacramento gloriosum titulum est mutuata. In loco ubi primum parvum exstitit sacellum, a magni nominis architecto Ascanio Vitozzi delineatum, anno MDLXXXXVIII structura atque artis operibus praenobile templum surrexit. Frontem ornant mirificae statuae; intus autem obductum pretioso marmore atque aere, a summis artificibus pietas gestat tabulas, atque in abside et odeis auro decorum adeo nitet concinne, ut inter nationalia monumenta templum ipsum merito enumeretur. Sacrarium albariis perraris operibus excultum, copiosa ac praedivite supellectile abundat, serica paramenta atque argentea vasa, dono oblata, Sabaudiae Principum pietatem ac munificentiam testantur. Inservit templo frequens clerus, et divini cultus splendori consulit potissimum Conlegium sacerdotum theologorum, a Ssmo Sacramento appellatum, iam inde ab anno MDCLX a Taurinensi Archiepiscopo fundatum, quod iugiter floruit viris sanctimonia praestantibus, quos inter memorare iuvat Iosephum Benedictum Cottolengo, inter Beatos caelites nuper adscitum, qui hoc in templo ante imaginem Deiparae a Gratiis orans, condendae parvae domus a divina Providentia consilium mente primum molitus est. Nec desunt sanctorum lypsana atque insignia quidem, et privilegia indulgentiarum de thesauro Ecclesiae, et

fidelium societates atque congregationes, sodalium frequentia, et susceptorum operum laude commendatae. Haec animo repetentes, cum dilectus filius Noster Iosephus S. E. E. presbyter Cardinalis Gamba, ex dispensatione Apostolica Augustae Taurinorum Archiepiscopus, vota exprimens et sua et Capituli canonicorum, Nos enixis precibus flagitaverit ut conlegiatam enunciatam a Sacratissimo Corpore Christi ecclesiam, ad Basilicae minoris honores evehere, de Nostra benignitate, dignemur: Nos, ut christiani populi pietas erga divini amoris Mysterium magis magisque excitetur, optatis his concedendum ultro libenterque existimavimus. Quae cum ita sint, audito venerabili fratre Nostro Antonio S. R. E. Cardinali Vico, Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, omnibusque rei momentis sedulo studio perpensis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, perpetuumque in modum, conlegiatam ecclesiam Sanctissimi Corporis Christi civitatis Taurinensis, Basilicae minoris titulo cum privilegiis et honorificentiis, quae iuxta decreta et morem huic titulo competunt, condecoramus.

Haec volumus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere: suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die n m. Augusti anno MDCCCCXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

VI

TITULUS ET HONORES BASILICAE MINORIS TRIBUUNTUR SANCTUARIO CAPRIMONTENSI BEATAE MARIAE GRATIARUM, ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM, INTRA FINES DIOECESIS LEODIENSIS.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Leodiensis dioecesis intra fines Carmelitarum Discalceatorum exstat, e religiosa provincia Brabantina, conventus Caprimontensis, cui annexum est templum sive sanctuarium No-

strae Dominae vulgo *de Cìièvremont* nuncupatae. Fertur eodem in Caprimontensi colle sub titulo Sanctae Mariae de Castronovo iam a saeculo septimo ecclesiam eidemque adiectum monasterium haud parvi momenti exstitisse; at templum huiusmodi, quod privilegiis divitiisque imperatores, Episcopi principesque auxerant, cum monasterio et castro, decimo exeunte saeculo solo aequatum est. Feliciter vero eodem in loco Patres e Societate Iesu, ex Anglia depulsi, circa annum MDOLXX exiguum oratorium erexerunt, in quo publicae venerationi expositam parvam Beatae Mariae Virginis statuam, quae in ulnis Iesum Infantem gestat, conlocarunt; et cum illuc brevi tempore non modo exLeodiensi dioecesi sed e continenti etiam regione fideles Deiparam, in simulacro caprimontensi, veneraturi frequentes convenerint, Patres e Societate Iesu quam memoravimus, de Episcopi consensu aptum sacellum, anno Domini MDCLXXXVIII exstruendum curarunt, quod postea, anno MDCXovir, etiam ampliarunt. Illud parvum sacellum per duo fere saecula peregrinorum more christifideles pie studioseque lustrarunt; sed, die III Septembris an. MDCCCLXXVII, votis populi clerique concedens Leodiensium Episcopus tandem lapidem fundamenti novae exaedificandae ecclesiae posuit, quae Carmelitarum curis tradenda esset. Anno tantum MDCCOLXxvni Carmelitae Discalceati in conventus Caprimontensis possessionem venere; quo ex tempore sollerter sanctuarium Beatae Mariae Gratiarum *de CMvremont,* domui suae adiectum, quoquo pacto explendum enixi sunt. Sacra aedes, quam anno MDCCCXCIX mense Septembri Leodiensium Episcopus tunc temporis exsistens consecravit, stylo gothico confecta, molis amplitudine et artis operum excellentia maxime decora est; in eaque parvam statuam fideles venerantur Beatae Mariae Virginis Matris Gratiarum, in ipso colle caprimontensi a Patribus Societatis Iesu conlocatam, et quam, nomine ac mandato Nostro, anno MCMXXIII Leodiensium Episcopus pretioso diademate sollemniter redimivit. Haec animo repetentes, cum dilectus filius Noster Cardinalis Mechliniensium Archiepiscopus, una cum venerabili fratre Leodiensium Episcopo, valde suffragio suo commendet vota Prioris conventus Caprimontensis, ex Ordine Carmelitarum Discalceatorum, qui, nomine, tam Capituli sui conventus quam Provincialis eiusdemque Consilii, nec non Moderatorum maiorum Ordinis laudati, Nos enixe rogaverit ut hoc anno, vertente quinquagesimo ab eiusdem conventus initiis ac proinde quinquagesimo expleto a fundatione ecclesiae conventui ipsi adnexae, eandem sacram aedem titulo privilegiisque Basilicae minoris cohonestare dignaremur, Nos optatis hisce concedendum ultro libenterque existimavimus. Quapropter, conlatis consiliis cum venerabili fratre Nostro Antonio S. B. E. Cardinali Vico, Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, apostolica

Nostra auctoritate, praesentium Litterarum vi, perpetuumque in modum, ecclesiam sive sanctuarium Beatae Mariae Virginis titulo Matris Gratiarum, vulgo *de Chèvremont* nuncupatae, conventui Oaprimontensi Carmelitarum Excalceatorum adiectam, intra fines Leodiensis dioecesis, titulo ac dignitate Basilicae minoris decoramus, cum omnibus privilegiis atque honoribus quae huius tituli iuxta decreta ac morem propria sunt.

Porro haec largimur, decernentes praesentes Litteras Nostras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritum que ex nuuc et inane fieri, si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Eomae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxiv m. Augusti an. MDCCCCXXVHL, Pontificatus Nostri septimo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD EMOS PP. DD. ALEXANDRUM TIT. S. AUGUSTINI S. R. E. CARD. KAKOWSKI, ARCHIEPISCOPUM VARSAVIEN., AUGUSTUM TIT. S. M. DE PACE S. R. E. CARD. HLOND, ARCHIEP. GNESNEN. ET POSNANIEN., ET AD CETEROS RR. PP. DD. ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS POLONIAE: LITTERIS RESPONDET DATIS GNESNA EX COMMUNI CONVENTU.

PIUS PP. XI

Dilecti filii Nostri ac venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Quas nuper ex Gnesnensi conventu dedistis perofficiosas litteras, eas libenti quidem laetoque animo perlegimus; novum enim in eis argumentum perspeximus cum pietatis et obsequii vestri tum pastoralis illius sollertiae qua vos egregie nitetis. Siquidem opportune vos, priusT quam coeptus vestros auspicaremini, sanctarum rerum commentationi in recessu sacro vacavistis, ut, alacriore spiritu flagrantes, ea simul decerneretis quae maxime, tam necessario tempore, ad ecclesiarum vestrarum bonum conferrent. Merito igitur vos laude honestamus: quamquam enim *neque qui plantai, neque qui rigai est aliquid, sed qui incrementum dat Deus,*

is tamen operam postulat industriamque sacrorum pastorum; quibus eo magis favet quo sunt gloriae suae studiosiores. Iamvero aliud est in communi vestra epistula quod Nos magni facimus: illa videlicet voluntatum consensio atque concordia qua vos simul, latini rutenique episcopi, nitemini ut dissidentes russi, qui in Polonia versantur, ad sinum revocentur Ecclesiae matris quod quidem quo fiat quantocius, votum est bonorum omnium optatissimum. Interea, hac spe laeti, id precantes ut labores curaeque vestrae in polonorum utilitatem secundo exitu fortunentur, in divinorum munerum auspicium itemque in paternae benevolentiae Nostrae signum, vobis, dilecti filii Noster et venerabiles fratres, cunctoque clero ac populo unicuique vestrum concredito, apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Eomae, apud Sanctum Petrum, die xxvi mensis Novembris anno MDCCCCXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. XI

II

AD EMUM P. D. RAYMUNDUM M. TIT. SANCTI PETRI IN MONTE AUREO S. R. E. PRESB. CARDINALEM ROULEAU ARCHIEPISCOPUM QUEBECENSEM CETEROSQUE RR. PP. DD. ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS DITIONIS CANADENSIS TERRAEQUE NOVAE, LITTERIS RESPONDENS EX COMMUNI CONVENTU QUEBECI DATIS.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster et venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Agnovimus ex vestris litteris, nuper datis, Quebecum vos convenisse ut communiter necessitatibus consuleretis dioecesium vestrarum; nec voluisse vos coetus incipere nisi prius pietatem atque obsequium vestrum erga Nos Sedemque Apostolicam testati essetis. Novum enim id est pastoralis studii vestri argumentum; quapropter gratissimum plane Nobis contingit. Quid enim magis optare debemus quam ut pastores singuli rationibus diligenter prospiciant rei catholicae et animarum saluti quas ipsis pascendas ac tuendas Pastor aeternus commisit? Hoc enimvero cum semper fructuosum et Ecclesiae disciplinae consentaneum tum praesertim in hac difficultate temporum salutare ac prope necessarium esse intelligimus: etenim eo vigilantiores coniunctioresque pastores esse oportet quo magis erroribus vitiorumque illecebres gliscentibus fides christiani gregis periclitatur. Itaque valde equidem vobis de sollertia gra-

tulanlur, qua ex regionibus tum longinquis in unum coivistis ut mira voluntatum concordia, plenum militantis Ecclesiae triumphum maturaretis. Atque utinam dies ille elucescat, quo, uti scribitis, veritas errorem, caritas dissentionis spiritum devincat, et quo tandem in gentibus tam diu vexatis pax feliciter restauretur quam de caelo Iesus Dominus in terram deduxit. Hanc in rem, libenter, uti optastis, opportuna auxilia enixe a Deo vobis precamur, ut quae simul scivistis ea, clero populoque obsequente, exsequamini. Ceterum, observantiam vestram paterno admodum rependentes animo, in caelestium munerum auspicium itemque in benevolentiae Nostrae signum, vobis, dilecte fin* noster et venerabiles fratres, cunctoque gregi unicuique vestrum concredito apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxx mensis Novembris anno MDCCCCXXVHI, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. XI

III

AD R. P. D. HENRICUM STREICHER, EPISCOPUM TIT. THABRACENSEM ET VICARIUM APOSTOLICUM DE UGANDA, ANNO QUINQUAGESIMO EXEUNTE A PRIMUM PRAEDICATO CHRISTI NOMINE IN EA REGIONE.

PIUS PP. XI

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Optimum quidem consilium iniisti annum celebrandi quinquagesimum ex quo primum in regionem de Uganda religio catholica invecta est; omnes enim probe norunt quae et quanta hoc annorum spatio, *missionales Africae* exantlarint ut in vicariatu isto, cui tu praees sollertissime, christianum nomen triumpharet. Siquidem non modo vexationes crebras ac pericula omne genus, sed etiam mortem ipsam apostolici viri sane multi una cum fidelibus laetanter oppetiere; ita ut non semel, nisi Deus praesentissima ope adfuisset, de salute Ugandae desperandum esse videretur. Iamvero istic quoque factum est ut sanguis martyrum semen esset christianorum: etenim in immensum sane recens succrevit, ut ipse scribis, christifidelium munerus, quibus quidem christiana fide instituendis in eaque servandis cum,missionales ex Europa permulti tum ipse indigena clerus actuosam dant operam. Valde igitur tibi tuisque omnibus de eventu tam fausto gratulamur, debitas Deo grates vobiscum persolventes, quod Ugandam tot sauciatam vulneribus Martyrumque sanguine purpuratam, erigere

et quasi corona redimire dignatus est. Atque animos ex hac celebratione sumite, Seminaria praesertim et consociationes varias cotidie magis provehendo, quibus tanta salutis spes continetur. Nos vero, pacis Principem Iesum Dominum enixe precati ut plene admodum istic suum regnum stabilire et confirmare velit, ad laetabilis rei splendorem itemque ad animarum fructum augendum, tibi damus libenter, venerabilis frater, ut, sacris operatus, nomine et auctoritate Nostra adstantibus benedicas, plenam admissorum veniam eisdem proponens, usitatis Ecclesiae condicione lucrandam. Caelestiumque auspex numerum ac paternae benevolentiae Nostrae testis apostolica sit benedictio, quam tibi, venerabilis frater, missionariis singulis iisque omnibus qui sunt vigilantiae tuae concrediti, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xni mensis Decembris anno MDCCCCXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. XI

IV

AD R. P. D. GREGORIUM DIAMARE EPISC. TIT. CONSTANTIENSEM EUMDEMQUE CONGREGATIONIS (SABINENSIS O. S. B. PRAESIDEM, ATQUE ARCHICOENOBII MONTIS CASINI ABBATEM ORDINARIUM, XIV EXEUNTE SAECULO A CONDITO ARCHICOENOBIO.

PIUS PP. XI

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Non sine Numinis instinctu contigisse videtur, ut, xiv abhinc saeculis, Benedictus e Nursia, legifer pater vester, cum in verticem Casini montis ascendisset, penitus everso, quod inibi adhuc exstabat, Apollinis delubro, celeberrimum eodem loco monachorum coenobium excitaret, quod, ingruentibus usquequaque ignorantiae vitiorumque tenebris, disciplinarum virtutumque omnium perfugium atque praesidium futurum erat. Praeclarum enim istud monasticae vitae domicilium non modo, ut decessoris Nostri f. r. Pii Pp. X verbis utamur, « gravissimis temporibus quasi Ecclesiae columen, fideique propugnaculum apparuit» (Litt. Ap., x Febr. MDCCCCXIII), sed illa etiam, quibus civilis cultus alitur,, litterarum bonarumque artium documenta tam religiose adservavit, ut quae Graecorum Romanorumque ingenium et labor, etsi tot permixta erroribus, scripta ante protulerat ad humanitatis emolumentum vitaeque decus, ea christianae sapientiae monumentis aucta, posteritati tradere contenderet.

In- qua quidem egregia istius monasterii laude ad historiae fidem illustranda, non est profecto cur diu multumque moremur. Quis enim ignorat istic bene multos floruisse viros, qui procul a saeculi strepitu molliorisque vitae blandimentis, divinis contemplationibus vacando, arctiusque cotidie Deo adhaerendo, religiosae perfectionis apicem assecuti sunt? Ecquis, veteres annales evolvendo non didicit sodales vel a priore Ordinis aetate vestros cum sacras omni contentione excoluisse disciplinas, quibus germana Ecclesiae fides incolumis servaretur, tum, barbarie omnia ferro ignique vastantibus, litterarum codices, vel dispersos oblivioneque obrutos studiose conquisivisse, vel vetustate usuque corruptos ingeniose diligenterque transcripsisse? Nonne item omnibus compertum, animosos istinc, nullo non tempore catholicae veritatis praecones profectos esse, ut in regiones vel remotissimas christianam fidem humanitatemque inveherent?

Nec tantum fidei et veteris sapientiae beneficia pluribus populis Benedictini sodales attulere, sed etiam in saltuosis monitisque terris, per Europam, aratro subvertendis naviterque fecundandis ipsorum desudavit sollertia; itemque, viis novis patefactis, diversas civitates arctis quibusdam amicitiae eommerciorumque vinculis copulare, et cives, qui saepenumero inter se digladiarent, in Christo pacatos, artes omne genus, ad humanioris vitae usum, docere consueverunt. Cumque haec omnia assequi atque efficere coelesti ope assiduis precibus impetrata contenderent, hinc praeclarum illud, quasi peculiare eorum insigne, *ora et labora* atque illud *Cruce et aratro:* quae quidem effata, spiritu instincta Legiferi Patris, quasi tamquam mandatum ab eo traditum, recipere et colere nullo non tempore sanctum ac sollemne habuerunt. Quam ob rem, ob multiplicia, quae usque adhuc memoravimus, promerita, dicere quidni liceat, Ecclesiam in tanta rerum eversione — cum Romanum rueret imperium, et incursionibus barbari suis omnia permiscerent — principe Ordinis domicilio archicoenobio isto, veluti singulari praesidio, Dei providentia excitato, usam esse? Quin immo, nonne Ordini vestro magnam partem tribuendum, si nova solidi orque ex iis tempestatibus ac procellis christiana societas emersit? Itaque mirum non est, si Romani Pontifices plurimi, si Reges Imperatoresque non pauci, ut securitate ac pace fruerentur, se istuc receperunt, pieque, aliquantisper saltem, apud Benedicti sepulcrum, commorati sunt.

Satis, propterea, superque causae fuit, cur Casinense coenobium Decessores Nostri laudibus cumularent: ut, exempli gratia, Nicolaus II, qui *monasticae normae principale gymnasium* (litt. decr. *Pastoralis sollicitudinis))* ut Paschalis II, qui *universorum per occidentem monasteriorum caput* (litt. *In monasticae)^* ut Urbanus V, qui *celebre monasterium quod aliorum fuit initium ac forma* (litt. *Dudum dilecti)* appellavit. Ac recens

summo extulit praeconio Pius X, qui in Apostolicis Litteris, quas memoravimus, ita de Oasinensi Monasterio loquitur: «... Hic servata est divinae non minus quam humanae legis verenda sanctitas, teterrima illa tempestate, qua per vim atque iniuriam omnia miscebantur. Quid Italia, quid civilis Europa Casinensibus monachis debeat, edocet magistra vitae ac nuntia veritatis historia; ex qua pariter comperimus, per longam annorum seriem, Monasterii Casinensis fastos Eomanae Ecclesiae historiae magnam esse partem ».

Quapropter opportunum admodum, cum tuis, inivisti consilium, venerabilis frater, saeculum quartum decimum a monasterio condito sollemniter celebrandi: quae quidem sollemnia, quibus beneficia a Deo Ordini vestro et per vos humano generi — saeculorum decursu — collata commemorabitis, sine ulla dubitatione efficient, ut, grato vos in bonorum omnium Datorem animo, praeclara decessorum vestrorum exempla etiam atque etiam imitari atque aemulari contendatis. Quod autem decrevistis — ut huiusmodi faustitatem uberiores fructus consequantur —- dioecesanam apud vos Synodum cogi et Eucharisticum haberi conventum, id valde eiusmodi evento consentaneum Nobis videtur, videtur sodalitati vestrae omnibusque istius dioecesis fidelibus perutile. Etenim si legitima cleri Synodus ad germanam fidem fovendam et ad disciplinam aptius restaurandam magnopere confert, nihil magis quam Eucharistici coetus divinae ardorem caritatis et christianae vitae usum in populo excitat ac provehit. Nullis igitur curis laboribusque partito, venerabilis frater, ut coepta tam sancta diligenter apparentur et ad felicem exitum adducantur; in quo pro certo habemus cum tuorum sodalium navitatem, tum cleri populique studiosam operam tibi non defore. Nos quidem huius eventus laetitiam habemus vobiscum communem, eo magis quod pergrata subit animum Nostrum recordatio, Nosmet olim, nec semel, ad coenobium vestrum, et Nostrae in beatum patrem Benedictum pietatis et studiorum causa nostrorum, conscendisse, ibique per silentia locorum ad tantas Ordinis vestri glorias memoriasque recolendas abreptos, atque legiferi Patris vestri reliquias in sacro hypogaeo pientissime veneratos, tam vehementem inde hausisse animi dulcedinem, ut ipsa rei memoria solacio Nos adhuc gaudioque perfundat. Iamvero, ut Decessores Nostri, data opportunitate, archicoenobio vestro paternae benevolentiae documenta plurima praestiterunt, sic Nos, hanc occasionem libenter nacti, peculiarem vobis voluntatis Nostrae significationem praestare cupimus; itaque petitioni optatisque vestris ultro concedentes, haec quae sequuntur, per has Litteras statuimus:

I. Ut sacerdotes omnes, qui pietatis causa ad Oasinense archicoenobium advenerint, in quovis istius cathedralis ecclesiae altari Missam *vo-*

tivam S.. Benedicti, hoc dumtaxat vertente anno, celebrare queant, exceptis tamen festis duplicibus I et II classis, diebus dominicis maioribus, itemque feriis, vigiliis et octavis privilegiatis.

II. Ut vobis liceat in perpetuum Sancti Benedicti *Missam* — at unice *Conventualem* — singulis feriis tertiis in eadem ista Basilica celebrare, rata per Nos, quae apud vos viget, vetere consuetudine; modo tamen feria tertia ne agatur Offìcium aut festi duplicis 1ae et 2ae classis, aut feriae vel vigiliae vel Octavae privilegiatae.

III. Ut die XXI mensis Martii, in quem incidit piissimi transitus S. Benedicti liturgica commemoratio, itemque die xi mensis Iulii, in sollemnitate scilicet legiferi Patris vestri, hoc tamen dumtaxat vertente anno, omnes christifideles, qui rite expiati ad sacram Synaxim accesserint, *toties* plenaria indulgentia fruantur, *quoties* templum istud cathedralem inviserint, ibique ad mentem Nostram aliquantisper saltem oraverint. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Eem autem iam nunc hoc loco nuntiamus, quam pro certo habemus fore vobis iucundissimam; cum scilicet vehementer optemus saecularibus sollemnibus vestris quasi praesentes adesse, Legatum Nostrum suo tempore ad vos missuri sumus, qui personam Nostram gerens, sacris caerimoniis nomine Nostro praesideat, easque romanae purpurae splendore angustiores reddat.

Quod autem, venerabiles frater, officiosis litteris haud ita pridem elatis, a Nobis efflagitabas, ut plenissimam vobis indulgentiam in forma Iubilaei extraordinarii concederemus, id Nos ampliore quidem largitione, ut norunt omnes, praeoccupavimus; cum enim saecularis haec commemoratio vestra in quinquagesimum incidat annum, ex quo primum Nos Deo litavimus, imploratum a vobis beneficium non ad unum contrahi ac concludi archicoenobium vestrum, sed ad universum catholicum orbem proferri ac pertinere voluimus.

Caelestium interea munerum auspicem, peculiarisque caritatis Nostrae testem, cum tibi, venerabilis frater, singulisque Benedictini Ordinis sodalibus, tum cuncto clero populoque tuis curis concredito, apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die x mensis Februarii, in festo Sanctae Scholasticae virginis, anno MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. XI

V

AD EM. P. D. PETRUM, TIT. S. LAURENTII IN LUCINA S. R. E. PRESE. CARD. GASP ARRI, PUBLICIS NEGOTIIS ADMINISTRUM, QUEM LEGATUM SUUM MITTIT AD SOLLEMNIA DECIES QUATERQUE SAECULARIA ARCHICOENOBII CASINENSIS.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster salutem et apostolicam benedictionem. — Quod epistula haud ita pridem data ad venerabilem fratrem Gregorium Diamare Episcopum tit. Constantiensem libentissime nuntia vimus, sollemnia scilicet decies quaterque saecularia, quibus Casinensis Archicoenobii ortus proxime celebrabitur, per Legatum Nostrum Nos esse participaturos, id ita praestare volumus, ut vel luculentius inde pateat quo Nos pietatis studio in praeclarum illum religiosae disciplinae parentem et decus, Benedictum e Nursia, feramur, et qua paterna caritate increbrescentem eius subolem complectamur universam. Siquidem tibi, dilecte fili Noster, qui tam prope Nobis in Ecclesiae gubernaculis moderandis assides, quique impensius prae ceteris curas sollicitudinesque participas et gaudia Nostra, perhonorificum huiusmodi, munus demandamus, non dubitantes id et tibi admodum gratum et Oasinensibus omnibus fore iucundissimum.

Te igitur per has litteras Legatum Nostrum eligimus, qui Nostram gerens personam, sollemnibus in Casino Monte propediem celebrandis nomine et auctoritate Nostra praesideas, singulasque caerimonias ad laetum exitum dirigas. Quemadmodum vero pro certo habemus romanae purpurae amplitudinem Legati Nostri dignitate auctam ad fausti huius eventi splendorem magnopere esse collaturam, ita omnino confidimus eam, qua nites, pietatem, tuumque in veneratum patrem Benedictum religionis studium omnibus fore et exemplo et incitamento. Interea ut omnia prospere salubriter que succedant a Deo precati, felicis rei exitus conciliatricem paternaeque voluntatis Nostrae testem, cum tibi, dilecte fili Noster, tum iis omnibus qui celebrationi intererunt, apostolicam benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Bomae, apud Sanctum Petrum, die xv mensis Aprilis anno **MDCcccxxix,** Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. XI

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRI CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XI successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

8 Martii 1929. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Ioannis Portoricensis, praefecit R. P. D. Edwinum B. Byrne, hactenus Episcopum Poncensem.

— Cathedrali Ecclesiae Poncensi, R, P. Aloisium Wellinger, e Congregatione Ssmi Redemptoris,.provinciae Americanae.

5 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Vladislaviensi seu Calissiensi, R. P. D. Carolum Radonski, hactenus Episcopum Berissensem.

13 Aprilis — Cathedrali Ecclesiae Ragusinae, R. D. Iosephum Carevié, canonicum parochum ecclesiae cathedralis Spalatensis.

15 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Venetensi in Gallia, R. D. Hippolytum Tréhiou, canonicum cathedralis Ecclesiae Briocensis, eiusdemque dioecesis Vicarium generalem.

— Cathedrali Ecclesiae Montis Albani, R. D. Aemilium Roques, canonicum metropolitanae Ecclesiae Albiensis, ibique rectorem Seminarii.

18 Aprilis — Titulari episcopali Ecclesiae Philomeliensi, R. D. Fridericum Emanuel, e Pia Societate Salesiana ven. Ioannis Bosco, quem deputavit Auxiliarem Emi P. D. Donati Card. Sbarretti, Episcopi Sabinensis et Mandelensis.

19 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Melensi, R. P. Michaelem Paternain, e Congregatione Ssmi Redemptoris.

SACKA CONGREGATIO PBO ECCLESIA ORIENTALI

I

APPROBATIONES

Ssmus D. N. Pius divina Providentia Pp. XI, decreto Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, *die 28 Iulii 1928* constitutiones monachorum Mechitaristarum, cuius domus princeps in urbe Venetiarum sita est, *definitive* approbavit; item decreto *diei 6 Aprilis 1929* modificatas Constitutiones Congregationis Monachorum Basilianorum, graeci ritus, cuius domus princeps est abbatia S. Mariae Gratiarum in oppido Cryptoferratae, *experimenti gratia, ad septennium,* approbavit.

II

NOTIFICATIO

Ssmus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, decreto Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali diei 2 Martii 1929, R. P. D. Petrum Pisani, Archiepiscopum titulo Constantiensem in Moesia, nominare dignatus est Delegatum Sacrae Congregationis pro Ecclesia Oriental quoad Seminaria, Collegia et Instituta ecclesiastica ac pia, ritus orientalis, utriusque sexus, in Urbe exsistentia.

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

NOMINATIONES

Brevibus Apostolicis nominati sunt:

10 Februarii 1929. — R. P. Evaristus Tchang, e clero saeculari vicariatus apostolici de Iehol, *Vicarius Apostolicus de Tsining in Sinis.*

— R. P. Eduardus Sheehan, presbyter e Congregatione Missionis, *Vicarius Apostolicus de YuMang in Sinis.*

10 Aprilis. — R. P. Burcardus Huwiler, e Societate Missionariorum Africae, *Vicarius Apostolicus de Bukoba in Africa Centrali.*

11 Aprilis. — R. P. Antonius Oomen, e Societate Missionariorum Africae, *Vicarius Apostolicus de Mwanza in Africa Centrali.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

1

PLURIUM DIOECESIUM

DECLARATIO

Post Decretum editum ab hac Sacra Rituum Congregatione die 14 Decembris 1927, quo constitutum est, ut S. Teresia a Iesu Infante Patrona aeque principalis haberetur cum S. Francisco Xaverio, Missionariorum et Missionum omnium in quavis orbis parte exsistentium, a nonnullis Vicariis Apostolicis quaesitum est quaenam liturgica privilegia iisdem duobus Sanctis, Missionum omnium Patronis aeque principalibus, vi praedicti Decreti, spectent, iuxta rubricas. Porro Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XI, in audientia diei 13 vertentis Martii, referente infrascripto Cardinali eiusdem Sacrae Congregationis Praefecto, ad omnem dubium removendum, declarare dignatus est: festa S. Francisci Xaverii et S. Teresiae a Iesu Infante, stante supramemorato Decreto, sub ritu duplici primae classis, cum octava communi a clero saeculari et sine octava a clero regulari, in cunctis missionum locis esse recolenda. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 13 Martii 1929.

C. CARD. LAURENTI, *S. B. G. Praefectus.*

L. © S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

II

TAURINEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI IOANNIS BOSCO, SACERDOTIS FUNDATORIS PIAE SOCIETATIS SALESIANAE ET INSTITUTI FILIARUM B. MARIAE VIRG. AUXILIATRICIS.

SUPER DUBIO

An, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione tuto procedi possit ad solemnem eiusdem Ven. Servi Dei beatificationem f

Multa sane praeclara et mirabilia gessit operatusque est Ven. Servus Dei Ioannes Bosco pro divina provehenda gloria et humano generi aeterna salute comparanda. Tamquam vir missus a Deo ad hanc duplicem missio-

nem perficiendam, ab excolenda iuvenili aetate initium duxit, quam religionis praeceptis ac officiis imbuere sategit, bonis moribus instruere, eiusque civili institutioni alacriter incubuit, contenditque ut beneficium redemptionis quam pluribus proficeret. Eius voluntas animas quot plures posset Deo lucrandi nullis limitibus coërcebatur, omnesque gentes apostolico quo aestuabat zelo complecti et allicere contendebat. Opes deerant, contrarietates non paucae etiam a viris auctoritate pollentibus fotae, difficultates ex rerum natura partae, obstacula plura animum deficere debuissent; at Ioannes inceptis alacriter institit, Deoque fortunante, opera suscepta ad optatum exitum perduxit, sibique nomen immortale comparavit, omni commendatione dignum. Plures etiam scripsit vulgavitque libros, ad pietatem inter gentes excitandam et christiana praecepta recolenda valde idoneos, qui hac quoque aetate magno in pretio habentur. Porro siquis conferat humanorum subsidiorum inopiam, in qua saepe versabatur, cum magnitudine rerum gestarum et beneficiis cuivis civium ordini illatis, novum quasi prodigium in eo videbitur intueri. Prodigium, inquam, siquidem divina largitas cum firmissima Ioannis fiducia et liberalitate quasi certatim contendens, istius vires augere, facultates multiplicare, foecundare labores mirifice visa est.

Sed longe mirabilius aestimari potest, istiusmodi virum cernere arduis in negotiis operantem, periculis non paucis obiectum frequenter, cum pueris aliisque diversae indolis agentem, numquam a virtutum christianarum exercitatione diverti, imo earum fastigium esse adeptum, ceu agnitum ac definitum fuit post iuridicas severas que disceptationes decreto solemniter edito die 20 mensis Februarii anno 1927. Plura interim accesserant post Ven. Servi Dei funus prodigia e quibus duo, quot nimirum causae indoles postulabat, rite discussa et ad suetum iuris rigorem expensa, inter miracula recensita sunt per decretum die 19 superioris mensis Martii latum. Unum tamen adhuc discutiendum supererai, videlicet num tuto animo procedi posset ad solemnem Ven. Ioannis Bosco beatificationem. Id praestitum est in generalibus Comitiis postremo coactis coram Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI, in quibus Revmus Card. Alexander Verde, causae Relator, sequens proposuit dubium: *An stante virtutum et duorum miraculorum approbatione tuto procedi possit ad solemnem Ven. Servi Dei beatificationem.* Qui convenerant omnes tum Reverendissimi Cardinales tum Patres Consultores ex ordine suam suffragationem propitiam protulerunt, qua laetatus est Sanctissimus Pater, sed decretoriam edere sententiam in alium diem differre ratus est, ut tempus ad divinum implorandum lumen Sibi suppeteret. Quum vero mentem suam pandere statuisset, hodiernam diem, Dominicam III a gaudiis paschalibus selegit, divinaque

Hostia ferventer oblata, ad se vocari voluit Reverendissimus Cardinales 'Camillum Laurenti, sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, et Alexandrum Verde, causae Ponentem, itemque R. P. B. Carolum Salotti, sanctae Fidei Promotorem generalem, meque infrascriptum Secretarium, quibus adstantibus, nobiliorem hanc ingressus ast aulam et pontificio solio sedit, solemnique decreto declaravit: *tuto procedi posse ad solemnem Ven. Ioannis Bosco beatificationem.* Atque hoc decretum publici iuris fieri et in acta sacrorum Rituum Congregationis inseri, Litterasque Apostolicas in forma Brevis de beatificationis solemnibus quantocius in Patriarchali Basilica Vaticana celebrandis expediri mandavit; undecimo kalendas Maii, anno millesimo nongentesimo vicesimo nono.

C. CARD. LAURENTI, *Praefectus.*

L. © S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

III

CONSTANTINOPOLITANA

BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MARTYRII VEN. SERVI DEI DER GOMIDAS KEUMURGIAN SEU COSMAE DE CARBX3NIANO, SACERDOTIS ET PAROCHI ARMENI IN ODIUM FIDEI INTEREMPTI.

SUPER DUBIO

An constet de martyrio et causa martyrii, ac signis seu miraculis in casu et ad effectum, de quo agitur?

AD EMUM P. D. PETRUM TIT. S. LAURENTII IN LUCINA, S. R. E. PRESB. CARD. GASPARRI, A SECRETIS STATUS: POST MUTUO TRADITA INSTRUMENTA RATIHABITIONIS CONVENTIONUM INTER APOSTOLICAM SEDEM ET REGNUM ITALIAE.

Signor Gardinale,

Voglia far portare al nuovo ufficio Nostro telegrafico il seguente testo per la immediata trasmissione.

«A Sua Maestà Vittorio Emmanuel III Ee d'Italia.

« Il primo telegramma che mandiamo da questa Città del « Vaticano è per dire a V. M. che lo scambio delle ratifiche « delle Convenzioni Laterane è, grazie a Dio, da pochi istanti « un fatto compiuto - quod prosperum felix faustum fortuna- « tumque sit - è altresì per impartire di tutto cuore una grande « e paterna apostolica benedizione allá M. V. alla Augusta Con- « sorte, a tutta la Eeale Famiglia, all'Italia, al Mondo ».

PIUS PP. XI

Benedicendola insieme col E. Plenipotenziario e con tutti i convenuti al solenne storico Atto.

7 Giugno **1929.**

PIUS PP. XI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DE TRANSLATIONE DIACONIAE S. MARIAE AD MARTYRES AD ECCLESIAM S. APOLLINARIS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Recenti conventione cum Italico Regno a Nobis inita die xi mensis Februarii proxime praeteriti diaconiam, qua ecclesia Sanctae Mariae ad Martyres, vulgo ***Pantheon*** nuncupata, adhuc augebatur, transferendam in aliam Nobis reservavimus. Iam vero inter plures sacras aedes illi viciniores simulque insigniores, multis profecto commendata nominibus, semper exstitit illustris ecclesia Sancto Apollinari dicata, quam octavo saeculo vertente aedificatam esse constat in honorem sancti **illius** episcopi ravennatensi s, qui, Principis Apostolorum vestigia persecutus, tam multa pro Christi nomine sustinuit, ut gloriam ipsam martyrum adaequaverit. Quare Apostolica Nostra auctoritate, harum Litterarum vi diaconiam, qua praefatam ecclesiam ***Pantheon*** appellatam Decessor noster f. r. Benedictus XIII decoravit, in ecclesiam Sancto Apollinari dicatam transferimus, illique privilegia omnia tribuimus, quae ceteris almae Urbis diaconus competunt, firma tamen, quod ad Seminarium Romanum attinet, constitutione ***Recolentes animo,*** data a Leone Pp. XII Decessore Nostro die ix m. Aprilis anno MDCCCXXIV.

Contrariis non obstantibus quibuslibet, haec mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exsistere et fore, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere illisque ad quos spectant seu spectare poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam

secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. .

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, die xxvi mensis Maii, in festo SS. Trinitatis, anno **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

CAROLUS CARD. PEROSI, *S. C. Consistorialis a Secretis.*

FR. ANDREAS CARD. FRÜHWIRTH, *S. B. E. Cancellarius.*

Alfonsus Carinci, *Protonotarius Apostolicus.*
Dominicus Spolverini, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco *£fc* **Plumbi**

Beg. in Cane. Ap. vol. XL, n. 29. - **M. Riggi.**

II

DE RELIGIOSA ADMINISTRATIONE CIVITATIS VATICANAE

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ex Lateranensi pacto et convento, ab Apostolica Sede cum Italici Regni Moderatoribus haud ita pridem confecto, ***Civitas Vaticana*** constituta est, in qua Nos quidem plenissimum principatum tenemus.

Iamvero, quamvis Vaticana haec Civitas pars sit Romanae Nostrae Dioecesis, cuius Episcopus ipse est Romanus Pontifex, id tamen opportunum Nobis videtur, ut, ***Civitas Vaticana,*** quemadmodum propria quadam civili, ita etiam peculiari quadam religiosa administratione regatur, ab ea quidem distincta qua Nos reliquam Romanae Dioecesis partem moderamur.

Quapropter ea quae sequuntur statuimus:

I. Antistitem, qui pro spiritualibus rebus in ***Civitate Vaticana*** vicaria Nostra potestate in posterum fungatur, Sacristam ***pro tempore*** Pontificalis Domus per hanc Nostram Constitutionem eligimus, eidemque facultates omnes tribuimus quibus opus erit, et

eas ***Vacante*** quoque ***Sede*** permansuras, et in religiosas etiam familias extendendas quae in ipsius ***Vaticanae Civitatis*** territorio degant.

In harum facultatum numero haud illae computandae sunt quae ad iudiciariam rationem pertinent; quod si casus occurrerit aliquod instituendi iudicium, singulatim pro opportunitate pro videbimus.

II. Vicario Generali ***Civitatis Vaticanae*** alii ex Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini sodales, operam navabunt; quos inter Parochus Civitatis Vaticanae erigetur, Subsacristae officio sublato.

Idem Vicarius Generalis Antistes in Pontifìcia Vaticani Domo habitare perget; alii vero religiosi viri augustiniani in ***Civitate Vaticana*** ad Sanctae Annae, communem, iuxta Ordinis sui regulas, vitam agent a Moderatoris Generalis potestate, ad regularem disciplinam quod adtinet, non exempti.

III. Ecclesiam S. Annae in paroeciam ***Vaticanae Civitatis*** erigimus; ac praeterea mandamus ut templum ipsum baptismatis fonte instruatur, ibique paroeciales omnes perfunctiones, funebribus non exceptis, posthac celebrentur.

IV. In aedibus S. Annae duplex statuatur officii sedes; altera Curiae Vicariali destinata, altera Paroeciae, ubi acta utriusque officii tabulaeque serventur.

V. Augustinianis sodalibus ex ***Vaticana Civitate*** viris cura quoque esto de Pontificiis cellis (seu capellis) quae sunt in eiusdem Civitatis territorio; itemque de iis quae in Aedibus villisque sunt infra (n. VII) recensitis.

VI. Ab iurisdictione Vicarii Generalis, quem diximus, eximentur:

a) Basilica itemque ***Canonica S. Petri,*** iuxta veteres earumdem Constitutiones, adhuc vigentes, regendae;

b) Seminarium AetMopicum, quod, ut antea, sub iurisdictione erit Eminentissimi Viri, Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali a secretis, parochi munere fungente Moderatore ***pro tempore*** Seminarii eiusdem.

VII. Iurisdictio praedicti Vicarii Generalis praeterea extendetur:

,a) ad Pontificium Palatium Lateranense, iuxta Bullam decessoris Nostri p. r. Leonis XII, kalendis Novembribus anno MDCCCXxrv datam;

b) ad Pontificiam Domum, Castri Gandulfi sitam, continentemque hortum, exceptis quidem domunculis Castri Veteris;

c) ad Villam Cybo, Castri Gandulfi pariter collocatam, popularibus domibus quidem exceptis iisque ubi Sodales a Scholis Christianis atque religiosae feminae, *Magistrae* ***Piae*** appellatae, in praesens incolunt;

d) ad Villam Barberinianam Castri Gandulfi, domibus ***Castelletto,*** ut vocant, exceptis.

Baptismata, matrimonia ac funebria incolarum, in territoriis versantium quae sub litteris ***b), c)*** et ***d)*** huius articuli numerantur, in Pontificia paroeciali aede Castri Gandulfi posthac celebrabuntur, in eiusque libris de more inscribentur.

Haec mandamus, decernentes, ea, quae sunt in hac Constitutione Apostolica, firma, valida atque efficacia semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, non obstantibus contrariis quibuslibet etiam speciali atque individua mentione dignis.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, die xxx mensis Maii, in festo SS. Corporis Christi, anno MDCCCCXXIX, pontificatus Nostri octavo.

PETRUS CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

FR. ANDREAS CARD. FRÜHWIRTH, *S. B. E. Cancellarius.*

Ioseph Wilpert, *Becanus Coli. Proton. Apostolicorum.*
Dominicus Jorio, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco 5$« Plumbi

Beg. in Cane. Ap., vol. XL, n. 29 - **M. Riggi.**

LITTERAE APOSTOLICAE

I

SANCTUS IOANNES BAPT. VIANNEY, PRESBYTER CONFESSOR, CAELESTIS PATRONUS OMNIUM PAROCHORUM SEU ANIMARUM CURATORUM URBIS ET ORBIS CONSTITUITUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Anno Iubilari MDCCCXXV Beato Ioanni Baptistae Vianney, Presbytero confessori, qui a Vico *Ars*, in quo est parochi munere functus, nuncupatur, Sanctorum honores tributi sunt; atque anno MDCCCCXXVIII, cum eiusdem Officium Mssaque adprobata fuerint, festum sancti parochi ipsius ritu duplici celebrandum ad universam Ecclesiam extensum est. Nunc autem ab Episcopo Bellicensi, cuius dioecesis intra fines exstat *Ars* vicus, nomine quoque aliorum fere quadringentorum ex variis et fere cunctis terrae regionibus Archiepiscoporum Episcoporumque, rogati sumus ut tamquam caelestem Patronum animorum curatoribus ubique terrarum degentibus Sanctum Ioannem Baptistam Vianney concedere dignaremur. Nil enim magis opportunum videtur quam ita parochis omnibus exempla praebere ipsius sancti viri, quem in paroeciali munere obeundo insignem Ecclesia dilaudat. Etenim ex eiusdem sedulitate in animorum cura gerenda iam etiam Decessor Noster rec. mem. Pius Pp. X, anno MDCCCCV, Beatum Ioannem Baptistam Vianney illico post sollemnem eius Beatificationem constituit caelestem Patronum universis presbyteris, qui in Galliae dioecesibus parochi munus gererent. Id profecto attento seduloque studio Nos considerantes, precibus concedendum existimavimus tantorum Praesulum, qui, quinquagesimi anni ab inito Nostro sacerdotio occasionem nacti, vota faciunt impensa ut huiusmodi largitas spiritualis, quam a Nobis instanter efflagitant, Iubilaei Nostri cum memoria apud posteros coniungatur, eiusdemque ita peculiaris exstet recordatio. Conlatis propterea consiliis cum Camillo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Laurenti, Diacono Sanctae Mariae Seaiaris, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, motu proprio atque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae postestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore Sanctum Ioannem Baptistam Vianney Confessorem, qui insignis et apostolicus vir ac parochus oppiduli *Ars* nuncupati fuit, caelestem Patronum omnium parochorum seu animarum curatorum totius Urbis et Orbis constituimus ac declaramus.

Haec ad spirituale parochorum bonum ubique terrarum provehendum concedentes, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant sive spectare poterunt amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet,, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Eomae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxm m. Aprilis an. MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri octavo.

P. CARD. QASPARRI, *a Secretis Status.*

II

VENERABILIS DEI FAMULUS IOANNES BOSCO PRESBYTER SAECULARIS ET SOCIETATIS A SANCTO FRANCISCO SALESIO ITEMQUE FILIARUM SEU SORORUM B. MARIAE AUXILIATRICIS FUNDATOR BEATUS RENUNTIATUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Mirabilis Deus in Sanctis suis, qui, dum vitam vivunt in terris divinae provehendae gloriae atque aeternae hominum saluti comparandae suam operam navant; eisdemque *Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem (Ps. 67,* v. 36) ut, de nullis huius mundi diificultatibus adversisque hostibus pertimescentes, res sibi sanctas propositas consequi valeant. Quod pio Salesianorum conditori presbytero Ioanni Bosco bene atque feliciter evenit. Decimo septimo Kalendas Septembris anno MDCCCXV prope Castrumnovum Astense in parvo atque agresti vico Ioannes Bosco ex piissimis parentibus natus est ac postridie Sacro Fonte ablutus; at, mox patre orbatus, plenam (^facultatibus pueritiam in patrio loco transegit. Mater, virtutibus insignis atque in exemplum adducenda educatrix, christianam catechesim docuit puerulum, qui iam a teneris unguiculis pietate, morum castitate atque indole suavi omnibus se praeditum ostendit. Acuto ingenio ac memoria tenaci ornatus adhuc puer quae a parocho vel a contionatoribus sacris audivisset mirabiliter repetebat aequalibus suis, quos iam tum quasi futura praecurrens, diebus festis ad ludos congregans, catholica religione erudire piisque ad Deum et Deiparam precibus expetebat. A presbytero cappellano patrii loci de primis littera-

rum elementis prius edoctus, postea Castrinovi, quod multa millia passuum aberat, demum Cherii scholas frequentavi^ atque alumnum in exemplum adducendum continenter se praebuit, quamvis ad vitae necessitates sublevandas, tanquam agricola, operarius famulusque in onerosos labores multos quoque annos intenderet. Aetatis suae vicesimum annum agens clericalem habitum induit, Seminariumque cherense archiepiscopale ingressus est, opera praesertim et consilio adiutus Beati Cafasso, quem postea continenti observantia atque amicitia prosecutus est. Eodem itaque in Seminario fructuosam philosophiae ac theologiae operam dedit, ac postea, sacerdotio iam auctus, in Conlegio ecclesiastico a Sancto Francisco Asisiensi, Augustae Taurinorum, theologiae moralis studio ac sacrae eloquentiae denuo atque amplius per triennium se tradidit. Anno tandem MDCCCXLI in vigilia SSmae Trinitatis presbyteratus ordine initiatus, Augustae Taurinorum, ad S. Francisci praefati silentio humiliterque primum Sacris operatus est; atque in sequenti tantum Corporis Christi sollemnitate, omnibus, qui adstabant frequentissimi e vico patrio, maxime animo commotis, Castrinovi in templo piissime sollemni ritu Missam litavit. Presbyter novensilis summo animorum salutis studio et caritate magna quinque menses parochi adiutoris munere Castrinovi functus est; sed Spiritus Domini erat in illo atque eum ad ampliorem excolendam vineae suae regionem provide vocabat. Ingressus enim Conlegium ecclesiasticum taurinense S. Francisci Asisiatis, beato Cafasso moderatore ac duce, in sacerdotalia munera explenda in carceribus nosocomiisque, uberrimis exinde fructibus perceptis, toto animo incumbit; in confessionibus audiendis assiduus, quidquid ageret in sacro tribunali, quidquid loqueretur, ad animorum tantum salutem continenter intendit; Sanctum Salesium, iam sibi propositum in exemplum, sequutus, suavitate ac patientia mirabili ad Deum peccatores trahere et ad poenitentiam reducere conatus est. Nihil praetermisit ad sanctos huiusmodi fines attingendos aptum; ut Germanorum militum confessiones exciperet theutonicam linguam de industria ac brevi tempore didicit; ut popularibus, hominibusque rudibus ignarisque placeret, multa ac varia eruditione ornatus, ad scientiam apologeticam atque historiam suum peculiari modo ingenium contulit. Sed puerorum ac iuvenum, qui, omni educatione christiana destituti, in viis locisque publicis procul a Deo atque a semitis veritatis et iustitiae crescebant, iam tum impense sollicitudine angebatur. Per triennium propterea a festivitate Immaculatae Conceptionis anno MOCCOLI, quos miris artibus et patientia ad se afficiebat pueros in ecclesiam taurinensem Sancti Francisci Asisiatis congregavit, ita ut inibi-sua habuerit initia primum Oratorium quod Dei Famulus, humilitatis ac devotionis causa, a Sancto Francisco Salesio « Salesianum » nuncupabit. Mox cuiusvis generis difficulta-

tes frugifero operi vix inchoato, ut ipsum de medio tolleretur, adversantur. Sed erat hic digitus Dei! Primum quidem Oratorium, a sua prima sede translatum ad templum Sancti Martini, postea ad S. Petri in Vinculis, dein ad domum vocatam *della Moretta,* tandem an. MDCCCXLVI mense Aprili in quoddam confugit aedificium regionis, tunc temporis suburbanae Taurinensis, quam *Valdocco* nuncupant. Ibi Dei Famulus, Dei ac Deiparae continenti manifestoque auxilio adiutus, res mirabiles explevit. Huiusmodi Oratorium, iugiter Sancto Francisco Salesio dicatum, eiusdemque fundatorem ac moderatorem Archiepiscopus Taurinensis opportunis privilegiis auxit, idemque Rex Carolus Albertus in fidem suam ac tutelam excepit. Brevi alia, simili forma, oratoria constituuntur; alterum Sancto Aloysio inscriptum an. MDOGCXLVII; tertium, post biennium, Angelo tutelari dicatum; aliquot alios post annos quartum titulo Sancti Ioseph; atque in iisdem Dei Famulus novam educandi pueros iuvenesque methodum, quam, a Sancto Philippo Nerio repetens, *praeventivam* vocabat, concepit atque efformavit. Adiuvante vero piissima ac forti matre, quam ex patria Augustam Taurinorum consulto ad se arcessiverat, ut sibi esset auxilio in opere suo gerendo, prope Oratorium atque in ipsam suam domum pro adulescentibus derelictis tectoque carentibus ac peculiari educatione christiana donandis primum an. MDCCOXLVII hospitium instituit, ex quo, tanquam e bono frugiferoque semine, innumerabilia Conlegia atque Instituta proveniunt, quae tum Presbyteri Salesiani tum Filiae Mariae Auxiliatricis moderantur. Nam ne opus, quod ad iuvenum emolumentum Dei Famulus conceperat, progressu temporis deficeret, auditis multorum consiliis et praesertim Beati Iosephi Cafasso, suasore quoque, vivae vocis oraculo, Decessore Nostro rec. mem. Pio Pp. IX, piam antea Societatem Presbyterorum a Sancto Francisco Salesio ac deinceps Congregationem etiam Filiarum Mariae Auxiliatricis Dei Servus fundavit. Presbyterorum a Sancto Francisco Salesio Societatem, cuius iam anno MDCCCLVHI principia exstabant, in dies auctam Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, nomine Apostolicae Sedis, anno MDOOCLXIV laudavit et commendavit, eidem statuto qua moderatore generali seu Rectore maiori ad vitam Dei Famulo, qui valde temporibus accommodatas conscripsit Regulas seu Constitutiones, quae anno millesimo octingentesimo septuagesimo quarto, post quinquennium a generali confirmatione ipsius Piae Societatis, approbatione memoratae Sacrae Romanae Congregationis donatae fuere. Anno vero MDCCCLXXII Dei Famulus alterum Institutum Filiarum sive Sororum Beatae Mariae Auxiliatricis efformavit, quae, votis paupertatis, castitatis et obedientiae adstrictae, puellas more Salesianorum educandas curarent. Pro utriusque autem Institutionis Presbyte-

rerum Sororumve firmitate ac diffusione Ioannes Bosco labores multos exantlavit, ardua quaeque alacri fortique animo aggressus est, et molesta plura atque ingrata patienter toleravit. Neque eidem haec sufficiunt! Sed iugiter in salutem animorum intentus atque in laboribus impiger, incultis etiam gentibus, quae longe lateque positas ac ferme inhospitales orbis regiones inhabitant, Christiano veritatis lumine bonoque humanioris vitae excolendis, sacras quoque missionariorum expeditiones ad extremam Americae Meridionalis partem misit, apto opportunoque praeterea sacerdotibus ad noe instruendis Seminario Augustae Taurinorum constituto, quod vulgo *Valsaliee* vocatur. Denique ut tantorum Dei Famuli inceptorum quodammodo recensio expleatur, memorare est institutiones tum Cooperatorum Salesianorum, qui res Salesianas quoquo pacto adiuvent, tum operis Beatae Mariae Auxiliatricis ad vocationes ecclesiasticas provehendas, tum ecclesiarum, quas, stipe undique collecta, Dei Servus exaedificavit; quarum in numero hac Alma in Urbe Nostra paroecialis basilica a Sacratissimo Corde Iesu in Castro Praetorio atque Augustae Taurinorum Sanctuarium Beatae Mariae Auxiliatricis praecipue laudantur. Quae cuncta cum Dei Famulus non ad lucrum vel ad humanam laudem captandam, sed ad gloriam Dei tantum et ad animorum salutem procurandam suscepisset, prospero et felici exitu cumulavit. Usque ad obitum quidem mirabili constantia susceptos labores implevit; virtutibus omnibus in exemplum fulgens, nitida fide et christiana fortitudine clarus, pietate in Deum ac Deiparam conspicuus, erga Romanum Pontificem et Apostolicam hanc Sedem acerbis temporibus observantissime fuit; continenti humilitate sui contemptor, paupertatis amantissimus nil sibi quaerens, spiritu semper promptus in studio salutis animorum assiduus, in difficillimis negotiis, etiam pro Ecclesiae bono gerendis, prudentissimus, sobrius omnino a vitae commoditatibus abhorrent, non suis tantummodo alumnis sed omnibus etiam christifidelibus taha facinora imitanda reliquit, ut vivus adhuc ab omnibus merito sanctus haberetur. Pridie Kalendas Februarii, anno millesimo octingentesimo octogesimo octavo piissime in Domino obdormivit. Mortales Ven. Dei Famuli exuviae primum in cubiculo, ubi animam ipse efflaverat, dein, sacerdotalibus vestibus tectae, in templo Sancti Francisci Salesii expositae sunt; eademque in ecclesia sollemne funus celebratum est, cui devotissime adstiterunt plus quam centum millia civium, Episcopi pedemontani, canonici, parochi etiam e longinquis regionis oppidis, cum ingenti multitudine alumnorum e Seminariis, qui ex Galliae quoque atque Helvetiae dioecesibus ad funus confluxerant. In Seminario Missionum Vallis Salicis Dei Servus in pace compositus est, ad eiusque tumulum frequens usque adhuc fit peregrinorum concursus, qui charismatum, quibus iam in vita mortali Dei Famulus erat

donatus, nec non sanctitatis, qua enituerat, fama commoti sunt. At huiusmodi Ioannis Bosco sanctitatis fama nunquam deferbuit, quin etiam magis magisque in dies vivida effulsit. Quapropter penes Sacrorum Rituum Congregationem causa agitari coepta est de Beatorum caelitum honoribus ipsi Famulo Dei tribuendis, et Decessor Noster rec. mem. Pius Pp. X per decretum editum die xxiv mensis Iulii, anno MDCCCCVII, Introductionis Causae Commissionem signavit. Probationibus dein legitime sumptis riteque expensis de virtutibus heroicis ipsius Servi Dei, Nos, sollemni decreto decimo Kalendas Martias anno millesimo nongentesimo vicesimo septimo edito, Venerabilis Dei Famuli Ioannis Bosco virtutes heroicum attigisse fastigium sancivimus. De miraculis postea, quae ipso intercedente patrata a Deo ferebantur, quaestione suscepta, rebus omnibus severissimo iudicio ponderatis, cum duo ex multis prodigiis, post eiusdem Dei Famuli funus relatis, plane vera atque explorata fuerint iudicata, Nos alio decreto, quarto decimo Kalendas Aprilis huius anni millesimo nongentesimi vicesimi noni edito, de eorum veritate constare suprema Nostra Auctoritate declaravimus. Cum igitur esset de gradu heroico virtutum ac de miraculis prolatum consilium, illud tantum supererai discutiendum, num Venerabilis Famulus Dei inter Beatos caelites tuto foret recensendus. Hoc dubium propositum est a dilecto filio Nostro Alexandro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Verde, Causae Relatore in Comitiis generalibus coram Nobis habitis, die nona mensis Aprilis vertentis anni, omnesque qui aderant tam Cardinales, quam Sacrorum Rituum Consultores unanimi consensione affirmative responderunt. Nos tamen in re tanti momenti Nostram aperire mentem distulimus donec fervidis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem die dominica tertia a gaudiis paschalibus huiusmet anni, Eucharistico Sacro rite litato, adstantibus dilectis filiis Nostris Camillo S. R. E. Cardinali Laurenti, Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, nec non Alexandro S. R. E. Cardinali Verde, Causae Ponente, itemque dilectis filiis Angelo Mariani, Congregationis Rituum Secretario, et Carolo Salotti, Sanctae Fidei Promotore, ad sollemnem Venerabilis Dei Famuli Ioannis Bosco Beatificationem tuto procedi posse auctoritate Nostra pronunciavimus. Quae cum ita sint, universae Presbyterorum a Sancto Francisco Salesio Societatis, itemque Sororum Congregationis Beatae Mariae Auxiliatricis, omniumque Cooperatorum atque alumnorum Salesianorum vota implentes, auctoritate Nostra Apostolica, praesentium Litterarum tenore facultatem facimus ut Venerabilis Dei Servus Ioannes Bosco, presbyter saecularis taurinensis, *Beati* nomine in posterum nuncupetur; atque eius corpus ac lipsana, seu relliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur; eius-

que imagines radiis decorantur. Praeterea eadem Nostra Apostolica auctoritate concedimus ut de illo recitetur Officium ac Missa celebretur, singulis annis de Communi Confessorum non Pontificum, cum orationibus propriis, per Nos adprobatis, iuxta Rubricas Missalis et Breviarii Romani. Huiusmodi vero Officii recitationem, Missaeque celebrationem [fieri dumtaxat concedimus in archidioecesi Taurinensi, in qua natus est Dei Famulus ac migravit ad Dominum; itemque in templis ac sacellis ubique terrarum sitis, quibus utuntur Societas Presbyterorum a S. Francisco Salesio et Congregatio Sororum seu Filiarum Beatae Mariae Virginis Auxiliatricis, ab omnibus fidelibus qui horas - canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missas attinet, ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad ecclesias in quibus festum agitur convenientibus. Demum facultatem impertimur ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Servi Dei Ioannis Bosco supradictis in templis celebrentur, diebus legitima auctoritate designandis, intra annum, servatis servandis, postquam eadem sollemnia in Patriarchali Vaticana Basilica peracta fuerint. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii enunciatae Sacrorum Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides etiam in disceptationibus iudicialibus adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce Litteris ostensis, haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die n mensis Iunii anno MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri octavo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XI successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

23 Aprilis 1929. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Petrensi praefecit B. P. D. Angelum Bartolomasi, hactenus Episcopum Pineroliensem, quem deputavit Ordinarium Militarem in Italia.

26 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Heliopolitanae, R. D. Geraldum Patricium 0'Hara, quem deputavit Auxiliarem Emi P. D. Dionysii S. R. E. Card. Dougherty, Archiepiscopi Philadelphiensis.

1 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Tabborensi, R. D. Linum Rodericum Huesca, metropolitanae Ecclesiae Granatensis Canonicum et Curiae Cancellarium, quem deputavit Auxiliarem Emi P. D. Vincentii S. R. E. Card. Casanova y Marzol, Archiepiscopi Granatensis.

10 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Madyfcensi, R. D. Valentinum Dymek, canonicum collegiatae ecclesiae S. M. Magdalenae prope Posen, quem deputavit Auxiliarem Emi P. D. Augusti S. R. E. Card. Hlond, Archiepiscopi Gnesnensis et Posnaniensis.

14 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Tarbiensi et Lourdensi, R. D. Petrum Gerlier, vice-directorem Operum dioecesanorum in metropoli Parisiensi.

17 Maii.— Titulari archiepiscopali Ecclesiae Amorianae, R. P. D. Michaelem Iosephum O'Bri en, Episcopum Peterboroughensem, quem constituit Coadiutorem cum iure futurae successionis R. P. D. Michaelis Iosephi Spratt, Archiepiscopi Kingstoniensis.

18 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Metropolitanae, R. P. Cyrillum Rodulphum Jarre, O. F. M., deputatum Vicarium Apostolicum de Tsinanfu.

20 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Macrensi in Mauretania, R. D. Fridericum Provost, e Societate Parisiensi Missionum ad exteros, deputatum Coadiutorem cum iure futurae successionis R. P. D. Felicis Perroy, Episcopi titularis Mediensis, et Vicarii Apostolici Birmaniae meridionalis.

24 Maii. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Methymnaeae, R. P. D. Thomam 0'Donnell, hactenus Episcopum Victoriensem in insula Vancouver, quem deputavit Coadiutorem cum iure futurae successionis B. P. D. Edoardi Mac Carthy, Archiepiscopi Halifaxiensis.

25 Maii.—Metropolitanae Ecclesiae Goanae etDamanensi cum adnexo titulo Patriarchae ad honorem Indiarum Orientalium, E. P. D. Theotonium Emmanuelem Ribeiro Vieira de Castro, hactenus Episcopum S. Thomae de Meliapor.

30 Maii. —, Titulari episcopali Ecclesiae Lundensi, B. P. Martinum Meulenberg, e Presbyteris Missionariis Societatis Mariae, deputatum Vicarium Apostolicum Islandiae.

31 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Berissenae, E. D. Ioannem leremich, Archidiaconum patriarchalis ecclesiae S. Marci Venetiarum et Vicarium Generalem eiusdem Patriarchatus, deputatum Auxiliarem Emi P. D. Petri S. E. E. Card. La Fontaine, Patriarchae Venetiarum.

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

PROVISIO ECCLESIAE

Sanctissimus Dominus Noster, divina Providentia Pius XI, decreto Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, diei 20 Maii 1929 titulari episcopali Ecclesiae Abydenae praefecit E. P. D. Basilium Ladika, O. S. Basilii Magni electum Ordinarium pro catholicis ritus Graeci-rutheni in ditionem Canadensem migratis.

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

NOMINATIONES

Brevibus Apostolicis nominati sunt:

3 Aprilis 1929. — E. P. Venceslaus Kinold, ex Ordine Fratrum Minorum, *Vicarius Apostolicus de Sapporo in Iaponia.* •

22 Maii. — E. P. Cyrillus Eodulphus Jarre, ex Ordine Fratrum Minorum, *Vicarius Apostolicus de Tsinanfu in Sinis.*

24 Maii. — E. P. Fridericus Provost, e Societate Parisiensi pro exteris Missionibus, *Coadiutor cum futura successione Vicarii Apostolici Birmaniae Meridionalis.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

AGINNEN.

Hodiernus Kalendarii Eedactor, de consensu sui Revmi Dñi Episcopi Aginnensis, Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium humiliter proposuit :

« Utrum, quando duae Ecclesiae Parochiales ab uno eodemque Parocho reguntur, Parochus teneatur recitare officium cum Octava de utroque Titulari, an de Titulari Ecclesiae residentiae tantum? Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, propositae quaestioni respondendum censuit : « Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam, iuxta Decreta S. R. C, n. 2002, *Collen,* ad V, diei 5 Iulii 1698, et n. 2849, *Nucerina,* diei 24 Septembris 1842.

Atque ita rescripsit et declaravit, die 27 Aprilis 1929.

C. CARD. LAURENTI, *S. B. C. Praefectus.*

L. © S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

II

FLORENTINA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI SOR. TERESIAE MARGARITAE REDI A S. CORDE IESU MONIALIS PROFESSAE ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM.

SUPER DUBIO

An, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione, TUTO *procedi possit ad solemnem eiusdem Ven. Servae Bei Beatificationem?*

Optimo iure sacer Carmelitarum Ordo laetari gloriar! que potest, in suo mystico viridario rosas ac lilia quovis tempore florescere, quae suavissimum effundunt odorem, maxime animos oblectantem et ad caelestia rapientem. Memorare sat est, sanctam Teresiam ab Infante Iesu, quae, antequam ex hac vita discessum foret, pollicita est, rosarum imbrem se e caelo esse immissuram. Et reapse universus orbis caelestium rosarum fragrantia frui-

tur et in suis necessitatibus eas fidenter exsposcit gratusque mirabilia narrat, quae exinde experitur. Lilii autem candorem imitata est Yen. Serva Dei Teresia Margarita a S. Corde Iesu, quae brevem licet vitae periodum in Florentino coenobio inter Carmelitides sodales degisset, adeo suavem tamen virtutum omnium in eodem recordationem reliquit, ut ipsa haberetur et adhuc habeatur tamquam angelicus flos, Carmelitici viridarii ornamentum praeclarissimum.

Conditis itaque iudicialibus inquisitionibus, de caelitum honoribus Ven. Servae Dei comparandis agi coeptum est, atque anno 1839 eius virtutes eminentes ac heroicae a Summo Pontifice Gregorio XVI declaratae sunt. Novissime de binis miraculis eius intercessioni tributis, post suetas disceptationes, solemne Decretum latum est, videlicet quinto nonas Martii volventis anni. Nondum tamen haec nobilissima Causa ad optatum exitum perducta censeri poterat, quippe iuris nostri disciplina inquiri iubet, num tandem altarium honores tuto animo Ven. Famulae Dei decerni valeant. Hoc praestitum fuit in generalibus Comitiis habitis die vicesima tertia mensis Aprilis nuper elapsi coram Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI, in quibus a Reverendissimo Cardinali Alexandro Verde, Causae Relatore, propositum fuit sequens dubium: *An, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione,* TUTO *procedi possit ad solemnem Ven. Servae Dei Teresiae Margaritae a S. Corde Iesu Beatificationem?* Concordi suffragatione tum Reverendissimi Cardinales, tum Patres Consultores affirmative responderunt; in aliud tamen tempus sententiam suam differendam censuit Beatissimus Pater, clariora interim lumina e caelo precibus imploraturi^.

Quum autem iudicium suum pronuntiare statuisset, hunc selegit diem, pervigilium gloriosi ascensus Iesu Christi in caelum revertentis. Quare, sacris operatus, accitisque Reverendissimus Cardinalibus Camillo Laurenti sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, et Alexandro Verde, Causae Ponente, itemque R. P. D. Carolo Salotti, S. Fidei Promotore generali, meque infrascripto a secretis, eisque praesentibus, Pontificio solio adsidens solemniter declaravit: TUTO *procedi posse ad solemnem Ven. Servae Dei Beatificationem.* Atque hoc decretum evulgari, et in actis sacrorum Rituum Congregationis referri, Litterasque Apostolicas in forma Brevis expediri iussit de solemnibus Beatificationis in Patriarchali Basilica Vaticana quam cito peragendis. Octavo idus Maii, anno millesimo nongentesimo vicesimo nono.

C. CAED. LAURENTI, *S. B. C. Praefeetus.*

L. gs S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

in

AUGUSTODOTTEN,

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI CLAUDII DE LA COLOMBIERE, SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum, de quo agitur?

Ad haec usque tempora, in quibus liturgicus cultus Sacratissimi Cordis Iesu ampliora et splendidiora incrementa recipit, placuisse Deo censeri licet reservatos altarium honores, quos sodali suo praestantissimo Ven* Claudio de la Colombière, memorati cultus assertori et vindici, apprime inclita Societas Iesu iamdiu eidem deferri exoptabat. Ipse enim, quamvis brevi vitae curriculo perfunctus est, tanta tamen pietatis ac doctrinae laude floruit, ut divinitus, ceu pie creditur, dari meruerit sanctae virgini Margaritae Mariae Alacoque, cui Christus Dominus investigabiles sui Cordis divitias revelaverat, eidemque adesset ut in illo cultu et amore tamquam magister eam dirigeret, illustraret et confirmaret. Egregie tanto munere functus, ac particeps effectus Margaritae Mariae sancti fervoris, praeconis et apostoli hac in parte nactus est laudes, inter praestantes viros haud ultimo sane loco adnumerandus, quos in Cordis Iesu cultu adserendo et dilatando optime meruisse Ecclesiae testantur historiae.

Post Ven. Servi Dei gloriosum obitum, quum nondum essent compositae controversiae omnes a theologis aliisque eruditis viris de cultu Sacratissimo Cordi Iesu adhibendo excitatae, tempori inservire peropportune visum est, ut dissensiones penitus acquiescèrent, antequam iudiciales instituerentur inquisitiones de caelitum honoribus eidem decernendis. Ita moratum est adeo, ut nonnisi saeculo xix elabente de eius heroicis virtutibus coepta fuerit disceptatio, quae prospere absoluta est anno I vertentis saeculi, solemni edito decreto iussu Pontificis Maximi Leonis XIII.

Datis deinceps Remissorialibus Litteris ad Episcopos S. Claudii et Venetensis dioeceseon, quarum in, ambitu tres sanationes a morbis, per prodigium effectae, opitulante Ven. Famulo Dei, censebantur, processus Apostolica auctoritate super iisdem sunt conditi. Indulta itaque, iustis incidentibus causis, quarti miraculi, quod causae indoles directis probationibus destitutae exposcebat, remissione, de tribus sanationibus quaesitum est in Congregatione Antepraeparatoria penes Reverendissimum Card.

Alexandrum Verde, causae Relatorem, die prima Maii anno 1928, atque die 29 Ianuarii vertentis anni in aedibus Vaticanis Congregatio Praeparatoria locum habuit. Die autem 23 superioris mensis Aprilis universus disceptatorum coetus coactus est coram Sanctissimo Domino nostro Pio Pp. XI, in quo Reverendissimus Card. Alexander Verde sequens dubium ad discutiendum enunciavit: *An ei de quibus miraculis constet in casu et ad effectum, de quo agiturf* Tum Reverendissimi Cardinales, tum Patres Consultores sua ex ordine suffragia ediderant, quae laeto animo Beatissimus Pater excepit, sed sententiam suam decretoriam differendam censuit, ut temporis spatium sibi suppeteret ad maiorem claritatem a Patre luminum impetrandam.

Quum autem iudicium suum proferre statuisset, hanc diem designavit, pervigilium Ascensionis Domini nostri Iesu Christi in caelum redeuntis, ac divinis ferventer operatus ad se vocare voluit Reverendissimos Cardinales Camillum Laurenti, sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, et Alexandrum Verde, causae Relatorem, itemque R. P. D. Carolum Salotti S. Eidei Promotorem generalem, meque infrascriptum Secretarium, eisque adstantibus, Pontificio solio assidens solemniter declaravit: Constare de tribus miraculis, videlicet de primo: *Instantaneae perfectaeque sanationis Bdmundi Remy a cirrJiosi JiypertropMca regioque morbo ad extremum gr adum deductis;* secundo: *Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Aloisiae Pirio adolescentis a morbo, vulgo Pott, in vertebris ad occipitium pertinentibus praecipue consistente;* atque tertio: *Instantaneae perfectaeque sanationis DelpMnae Blanchard ab elephantiasi.* Hoc autem decretum publici iuris fieri, et in acta sacrorum Rituum Congregationis inseri mandavit, octavo Idus Maii, anno millesimo nongentesimo et vicesimo nono.

C. CARD. LAURENTI, *S. R. C. Praefectus.*

L. ® S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

IV

CONSTAÎsrTINOPOLITAJSrA

BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MRTYRLT VEN. SERVI DEI DER GOMT-DAS KEUMURGIAN SEU COSMAE DE CARBONIANO SACERDOTIS ET PAROCHI ARMENI IN ODIUM FIDEI INTEREMPTI.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione martyrii causaeque martyrii, necnon dispensatione a signis seu miraculis ad tramitem can. 2116, § 2, iuris canonici TUTO *procedi possit ad solemnem eiusdem Ven. Servi Dei Beatificationem?*

Praeclara est divi Augustini sententia, aientis «Coronata itaque est beati Martyris patientia, et mancipata est aeternis cruciatibus tortoris incorrecta malitia. Hoc attendens in agone suo gloriosus Christi athleta, non exhorruit carcerem. Ad imitationem Capitis sui toleravit probra, sustinuit irrisiones, flagella non timuit: et quot ante mortem pro Christo pertulit supplicia, tot Ei de se obtulit sacrificia » *(Serm. 11 de Sanctis).* Quae laus ad Ven. Servum Dei Cosmam de Carboniano referri potest, qui in urbe Constantinopolitana pastorale munus egregie obivit, catholicae fidei veritatem amplexus ac tuitus est ad necem usque, fuditque sanguinem suum inter adversariorum irrisiones et odia, quin umquam a verae fidei professione discedere tentatus annuerit, ut oblatam libertatem assequeretur. Haec fecit palam et in conspectu populi universi, qui veri martyris praeconium ei denegare non est ausus. Tanta eius vita pulchritudine renidebat, tanta eius mors praestantia refulsit, ut supervacanea visa sit ulterior de signis et miraculis disquisitio: atque Sanctissimus Dominus noster Pius Papa XI, prae oculis habens canonis 2116 § 2 iuris canonici, percepta martyrii ipsiusque causae evidentia,, a signis seu miraculis dispensare dignatus est, in ipsa martyrii suprema disquisitione. Verum hac licet accedente Summi Pontificis indulgentia, nondum huic praestantissimae causae finis impositus censendus est; ulterius enim quaerendum erat, num omnia adeo religiose in eius iuridica cognitione servata essent, ut tuto animo ad solemnem Ven. Servi Dei beatificationem procedi possit. De hoc quaesitum est in generalibus Comitiis habitis die septima volventis mensis Maii, coram Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI, in quibus Reverendissimus Card. Franciscus Ehrle, causae Relator, praesens ad dignoscendum dubium enuntiavit: *An, stante approbatione martyrii et causae martyrii, nec non dispensatione a signis seu miraculis ad tramitem canonis 2116 § 2, iuris canonici,* TUTO *procedi possit ad solemnem eiusdem*

Ven. Servi Dei beatificationem? Omnes qui convenerant Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores propitiis suffragiis responderunt; quibus perceptis, Beatissimus Pater ulteriores preces ad. uberius caeleste lumen implorandum fieri censuit, antequam definitivam sententiam suam proferret.

Quibus fusis, faustissimam hanc diem, Feriam II Pentecostes, pro decretoria pronuncianda sententia, designavit; quare, divina Hostia ferventer oblata, ad se vocare voluit Reverendissimos Cardinales Camillum Laurenti, sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, et Franciscum Ehrle, Causae Ponentem, nec non R. P. D. Carolum Salotti, sanctae fidei Promotorem Generalem, meque infrascriptum Secretarium, eisque adstantibus, Beatissimus Pater pontificio solio assidens solemniter edixit: TUTO *procedi posse ad solemnem Ven. Servi Dei Cosmae de Carboniano beatificationem.* Atque hoc decretum evulgari et in acta sacrorum Rituum Congregationis referri, Litterasque Apostolicas in forma *Brevis* de beatificationis solemnibus quam primum in Patriarchali Basilica Vaticana peragendis expediri iussit, tertio decimo Kalendas Iunii, anno millesimo nongentesimo vicesimo nono.

C. CARD. LAURENTI, *S. M. C. Praefectus.*

L. SS S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

Y

IANUEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI FR. FRANCISCI MARIAE A CAMPORUBEO, LAICI PROFESSI ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CAPUCCINORUM.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum, de quo agiturf

Humile et asperum vitae genus, quod in Ianuensi Fratrum Minorum, quos Capulatos vocant, coenobio selegit et amplexus est ab ineunte aetate et ad extremam usque vitae lineam retinuit Franciscus Maria a Camporabeo, sodalium et civium tantam ei aestimationem et famam sanctitatis comparavit, ut communi compellatione *sanctus Pater* nuncuparetur, quamvis frater operarius iugiter permansisset. Molesto ac laborioso quaesitoris officio addictus, quadraginta solidos annos delatum sibi munus adeo religiose obivitj ut tum voce tum exemplo spiritualem caritatem largiretur, quum corporalem pro suo coenobio quaereret. Ipse illud Pauli repetere poterat: *Caritas Christi urget nos (II Cor.*, V, 14); scilicet, ut perbelle explanat Cornelius a Lapidé: *Apostoli omnibus omnia fiunt, neminem aspernantur,*

patres'sunt pauperum et afflictorum... Eleemosynas corrogant... In his eorum virtus, sanctitas apostolatus consistit (Comm. in II ad Cor., cap. 5, num. 14). Porro in hac apostolatus palaestra quasi a Deo constitutus ita se gessit Frater Franciscus Maria, ut multorum necessitatibus, tum animorum tum corporum, occurrerit, quin virtutem aliquam umquam laesisset. Imo in sancta virtutum omnium exercitatione eum gradum assequi valuit, qui excelsum et heroicus dicitur, prouti, post suetas disceptationes, solemni decreto die 18 mensis Decembris anno 1922 lato declaratum fuit.

Populi pietas ac fiducia nova in dies incrementa suscipiebat, et frequentes accedebant ad Ven. Servi Dei sepulcrum cuiusvis ordinis cives eius patrocinium imploraturi vel pro acceptis beneficiis gratias acturi, munera etiam deferentes, quibus moderandis necesse fuit legitimam auctoritatem invocare, ne leges de non cultu editae violarentur. Interim e sanationibus a morbis, quae per prodigium effectae, opitulante Servo Dei ferebantur, binae selectae sunt, quot nimirum causae indoles directis probationibus praedita exposcebat, ac super iisdem in ipsa Curia lanuensi inquisitiones Apostolicae sunt adornatae. Quibus legitimis agnitis ac declaratis, coepta est disceptatio de sanatione puellae quinquennis Mariae Eiella, quae ex alto prolapsa laesiones graves anatómicas retulerat, et adolescentis Iacobi Calza, qui acuta phlogosi appendicis vernaculam correptus in gravem statum adductus fuerat. Habita est itaque superiore anno, die 19 mensis Iunii, Congregatio Antepraeparatoria in aedibus Reverendissimi Card. Ianuarii Granito Pignatelli di Belmonte, causae Relatoris, atque die 26 Februarii vertentis anni locum habuit in Palatio Apostolico Vaticano Congregatio Praeparatoria. Novissime autem, videlicet die septima mensis huius Maii, celebrata sunt generalia Comitia coram Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI, in quibus memoratus Cardinalis Ianuarius Granito di Belmonte, Causae Relator, praesens Dubium ad discutiendum proposuit: *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum, de quo agitur?* Suffragia sua singuli ex ordine protulerunt Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores, a sua vero sententia decretoria ferenda supersedendum censuit Beatissimus Pater, ut temporis spatium ad ulteriores fundendas preces pro caelesti lumine implorando suppeteret.

Hac autem adveniente die, scilicet feria II Pentecostes, suam pandere mentem statuit, atque perlitato Eucharistico Sacrificio accitisque Revrhis Cardinalibus Camillo Laurenti, sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, et Ianuario Granito Pignatelli di Belmonte, causae Relatore, itemque R. P. D. Carolo Salotti, sanctae Fidei Promotore Generali, meque infrascripto a secretis, hanc Vaticanae aedis nobiliorem aulam ingressus, Pontificio solio sedit ac solemniter declaravit: Constare de duobus miraculis,

videlicet: *De instantánea perfectaque sanatione Mariae Biella, puellae quinquennis, quae ab alto prolapsa diffractum cranium aliasque gravissimas laesiones retulerat,* atque *de instantánea perfectaque sanatione adolescentis Iacobi Calza ab acuta phlogosi appendicis vermicularis.* Atque hoc decretum publici iuris fieri et in acta sacrorum Rituum Congregationis inseri iussit, tertio decimo Calendas Iunii, anno millesimo nongentesimo vicesimo nono.

C. CAED. LAURENTI, *S. B. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

Angelus Mariani. *Secretarius.*

VI

PRECES PRO REGE ET POPULO

POST **MISSAM CONVENTUALEM RECITANDAE IN DITIONIBUS** ITALIAE AD **NORMAM ARTICULI** 12 **PACTI CUM APOSTOLICA SEDE CONCORDATI.** [1]

In omnibus Dominicis aliisque festis de praecepto servandis, in cunctis ecclesiis Capitulum et Officium chorale habentibus, sacerdos post Missam conventualem, flexis genibus in infimo gradu altaris, cantat in tono feriali:

Oremus pro Rege nostro *N. N.*

j. Domine, salvum fac Regem.

R». Et exaudi nos in die qua invocavérimus te.

Y. Salvum fac populum tuum, Domine: et benedic hereditáti tuae.

R\ Et rege eos et extólle iUos usque in aeternum.

y. Dómine, exaudi orationem meam.

R\ Et clamor meus ad te veniat.

Tunc surgit et stando prosequitur:

j. Dominus vobiscum.

R\ Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui omnis potestas et dignitas famulátur; da fámulo tuo Regi nostro *N. N.* prosperum suas dignitatis effectum, in qua te semper timeat, tibique júgiter, una cum subjécto sibi pópulo, piacére contendat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ex Secretaria Sacrae Rituum Congregationis, die 7 Iunii 1929.

C CARD. LAURENTI, *Praefectus.*

L. © S.

Angelus Mariani, *Secretarius:*

[1] **Aliae dispositiones ad normam praefati Concordati, iussu SS. Congregationum de Sacramentis, Concilii atque S. Poenitentiariae Apostolicae, proximis diebus publici iuris fient.**

ACTA TRIBUNALIUM

SACKA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

ROMANA

NULLITATIS MATRIMONII (TAGLIA VI A-LENKCHEVITCH)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Venceslai Lenkchevitch in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, via delia Dataria, 94) die 31 Iulii 1929, hora 12, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione:

An confirmanda sit vel infirmanda sententia Rotalis diei 29 Decembris 1928 in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Venceslai Lenkchevitch ciirare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

L. £g S. M. Massimi, Decanus, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 27 Aprilis 1929.

Ioannes Ladelci, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Venceslas Lenkchevitch, défendeur en cette cause, Nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Via della Dataria, n. 94), 31 Juillet 1929, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la cause devant la Rote.

Doit-on confirmer ou casser la sentence Botale du 29 Décembre 1929 dans ce cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit M. Venceslas Lenkchevitch, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Martedì, **11** Giugno, il Santo Padre, alla presenza dell'Emo Signor Cardinale Segretario di Stato, riceveva in particolare Udienza il signor avv. Francesco Pacelli e gli consegnava il Breve di nomina a Cavaliere di Gran Croce dell'Ordine di San Gregorio Magno, insieme al Breve col quale gli conferiva il titolo ereditario di Marchese.

Con tale atto Sua Santità ha voluto dare all'avv. Pacelli un attestato di sovrano gradimento per la devota, laboriosa ed intelligente operosità da lui spiegata durante le trattative e la felice conclusione degli Accordi Lateranensi.

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 7 Maggio 1929, nel Palazzo Apostolico Vaticano, dinanzi all'Augusta presenza del Santo Padre, si è tenuta la Congregazione *Generale* dei Sacri Riti, nella quale gli Eìii e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati ed i Consultori teologi, hanno discasso e dato il loro voto dapprima sul dubbio detto del *Tuto,* per la solenne beatificazione del Ven. Servo di Dio Der Gomidas Keumurgian o Cosma da Carboniano, Sacerdote e Parroco Armeno, ucciso in odio alla Fede; e quindi su due miracoli che si asseriscono operati da Dio per intercessione del Ven. Servo di Dio Francesco Maria da Camporosso, laico professo dell'Ordine dei Minori Cappuccini, i quali miracoli sono proposti per la beatificazione del medesimo Venerabile Servo di Dio,

SACRUM CONSISTORIUM

I. - CONSISTORIUM SECRETUM

Feria II die 15 Iulii 1929 in Palatio Apostolico Vaticano fuit *Consistorium Secretum,* cuius acta ex ordine sic referuntur.

I. - CAMEEAEIATUS SACRI COLLEGII

Reverendissimus Cardinalis Ragonesi detulit ac reddidit Perulam Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium Ssmo Domino Nostro Papae qui eam tradidit Reverendissimo Cardinali Locatelli, pro hoc anno ipsius Sacri Collegii Cardinalium Camerario.

n. - **CREATIO ET PUBLICATIO NOVI S. R, E. CARDINALIS CONFIRMATIO PATRIARCHAE SYRORUM**

Tum Beatissimus Pater haec verba fecit:

VENERABILES FRATRES

De gravioribus Ecclesiae universae negotiis, etsi, veterem secuti morem, ad sacrum Conlegium vestrum in Consistoriis nonnihil referre consuevimus, haud tamen hodierno vos die allocuturi sumus: qua quidem praetermissa opportunitate, similis alia posthac profecto non deerit, hoc scilicet vertente anno sacerdotii Nostri quinquagesimo, qui, providentis Dei consilio, in fastis catholici nominis, immo in ipsa humanae societatis historia, memorabiliores ob rerum eventus, non inscribi non

poterit. Verum, ut vos in hac Consistorialis aulae maiestate adesse hodie Nobis atque assidere iuberemus, cura quaedam aeris ac necessitas suasit sacros viduatis nonnullis Ecclesiis providendi Pastores imprimisque Mediolanensi illi, quam, non modo sacerdotalis vitae Nostrae severiorumque studiorum altricem, sed etiam sedem olim honoris Nostri, habuimus habemusque, prouti aequum est, carissimam. Amplae admodum eius archidioecesis Antistitem, die sexto ac vicesimo superioris mensis, Benedictinum sodalem, pietate ac multiplici doctrina conspicuum, elegimus : quem placet praeterea romanae purpurae dignitate honestare, ut in sacro Conlegio vestro unum saltem ex pluribus vita functis ac praesertim insignem alium suppleamus eiusdem Ordinis virum, Aidanum Gasquet, Nostrae haud ita pridem ereptum communique omnium existimatione Quod cum facimus, toti Benedicti Patris familiae, hoc ipso anno a Casinensi archicoenobio condito decies quaterque saeculari, rem pergratam perque honorificam facere equidem volumus.

Hic est:

ILDEPHONSUS SCHUSTER, Abbatiae **S.** Pauli extra Urbis moenia Abbas et Ordinarius, electus Archiepiscopus Mediolanensis.

Quid vobis videtur?

Itaque, auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, creamus et publicamus **S.** R. E. Cardinalem

EX ORDINE PRESBYTERORUM

ILDEPHONSUM SCHUSTER.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In Nomine Patris £g et Filii £g et Spiritus £g Sancti. Amen.

Postulat ut auctoritatem interponamus Nostram natio Syrorum, suo orba Patriarcha ab die octavo mensis Maii, quo die Venerabilis Frater Ignatius Ephraem Bahmani de vita concessit,

vir summopere dignus, quem, ob animi fortitudinem, pastoralem sollertiam ac provecta vehementer de rebus Orientalium studia, hoc. loco commemoremus ac dilaudemus. Interea Gabrieli Tap^ puni, Archiepiscopo Syrorum Aleppensi, quem, post Patriarchae obitum, Vicarium Apostolicum Sedi vacanti regundae renuntiaveramus, mandavimus ut Ejuseopos Syros cogeret ad novum Patriarcham de more eligendum. Qui eum in Synodum coi vissent, per omnium sententias, die quarto ac vicesimo superioris mensis ipsum Venerabilem Fratrem Gabrielem Tappuni dixere Patriarcham, datisque communiter litteris rogarunt, electionem a se peractam ratam haberemus. Id ipsum Patriarcha novensilis per epistulam officiosissimam, addita catholicae fidei professione^ imploravit. Ee ad Cardinales e Sacro Consilio Ecclesiae Orientalis negotiis praeposito per Nos delata, Episcoporum Syrorum postulationem iidem admittendam censuerunt. Etenim Patriarcha electus non modo animi ingeniique laudibus floret, sed etiam diu multumque ludos complures iuventuti nationis suae instituendae moderatus est : quare ab Apostolica Sede ad episcopatum et ad graviora munera vocatus est.

Itaque, auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, confirmamus ratamque habemus electionem seu postulationem a Venerabilibus Fratribus Episcopis Syris factam de persona Venerabilis Fratris Gabrielis Tappuni, eumque, a vinculo absolutum quo Ecclesiae Aleppensi Syrorum adstrictus ad hunc diem tenebatur, praeficimus in Patriarcham Ecclesiae Antiochenae Syrorum, prout in decreto et schedulis Consistorialibus exprimetur: contrariis non obstantibus quibuslibet. In Nomine Patris £g et Filii £g et Spiritus £g Sancti. Amen.

Superest ut viduatis Ecclesiis consulamus.

nr. - OPTIO ET COLLATIO ECCLESIAE SUBURBICARIAE

Hic Reverendissimus Cardinalis Boggiani, dimisso titulo SS.. Quirici et lulittae optavit Ecclesiam Suburbicariam Portuensem et S. Rufinae, ac subinde exivit ex aula Consistoriali.

Tum Sanctissimus Dominus Noster Papa, panditam optionem benigno favore prosequi intendens, providit *Ecclesiae Portuensi et Sanctae Rufinae* de Reverendissimo D. Thoma Pio S. R. E, Presbytero Cardinali Boggiani praeficiens eum in Episcopum et Pastorem.

In aulam iterum ingresso Reverendissimo Cardinali Boggiani, qui suum locum petiit ultimum inter Cardinales Ordinis episcopalis, Sanctissimus Ecclesiarum propositionem prosecutus est ut infra.

iv. - PROVISIO ECCLESIARUM

Metropolitanae Ecclesiae Naxiensi, Tinensi et Myconensi praefecit B..P. D. Alexandrum Guidato, hactenus Episcopum titularem Adadensem.

Titulari archiepiscopali Ecclesiae Garpathiensi, R. P. D. Iosephum Lagumina, hactenus Episcopum titularem Samiensem.

Titulari episcopali Ecclesiae Gaesariensi Philippi, R. D. Herculem Attuoni, Protonotarium Apostolicum ad instar participantium, primatialis Ecclesiae Pisanae archidiaconum, eiusdemque archidioecesis Vicarium Generalem, quem Auxiliarem concessit Emo P. D. Petro S. R. E. Cardinali Maffi, Archiepiscopo Pisano.

Insuper alios etiam per Apostolicas sub plumbo Litteras iam renunciatos Sacrorum Antistites, publicavit, nimirum:

ARCHIEPISCOPOS

Petrensem, Aloisium S. B. E, Cardinalem Sincero, qui titulum dimisit post consecrationem episcopalem.

Goanum et Damanensem cum adnexo titulo Patriarchae ad honorem Indiarum Orientalium, Theotonium Emmanuelem Ribeiro Vieira de Castro, iam Episcopum S. Thomae de Meliapor.

Rhodiensem, Ioannem M. Aemilium Castellani.

Sergiopolitanum, Franciscum M. Kersuzan, iam Episcopum Capitis Haitiani.

Nicopolitanum in Epiro, Ioannem Bapt. Fridericum Vallega, iam Archiepiscopum Smyrnensem.

Petrensem, Angelum Bartolomasi, iam Episcopum Pineroliensen.

Dyrrachiensem, Petrum G jura.

Amorianum, Michaelem Iosephum O'Brien, iam Episcopum Peterboroughensem, Coadiutorem cum iure futurae successionis B. P. D. Michaelis Iosephi Spratt, Archiepiscopi Kingstoniensis.

Mcthymnaeum, Thomam O'Donnell, iam Episcopum Victoriensem, Coadiutorem cum iure futurae successionis E. P. D. Eduardi Mae Carthy, Archiepiscopi Halifaxiensis.

Heracleensem, Franciscum Borgongini Duca, Nuntium Apostolicum in Italia.

Tridentinum, Caelestinum Endrici, per evectionem sedis ad archiepiscopalem.

Birminghamiensem, Thomam Wilhams.

Mexieanum, Paschalem Diaz, iam Episcopum Tabasquensem.

Mediolanensem, Ildephonsum Schuster, iam Abbatem et Ordinarium S. Pauli de Urbe.

Aehridanum, Cletum Cassani, iam Archiepiscopum Turritanum.

EPISCOPOS

Cillitanum, Boleslaum Sloskan.

Dionysianensem, Antonium Malecky.

Antofagastensem, Aloisium Silva Lezaeta, iam Episcopum Olenensem, nuper vita functum.

Lyeiensem, Albertum Costa, iam Episcopum Melphiensem, Rapollensem, et, propter unionem in personam, Venusinum.

Roffensem in America, Ioannem Franciscum O'Hern.

Sacramentensem, Robertum Armstrong.

Bionensem, Raymundum Perez Rodríguez, iam Episcopum Pacensem.

HildesMensem, Nicolaum Bares.

Patnensem, Bernardum Sullivan.

Abellinensem, Franciscum Petronelli.

Joinvillensem, Pium Freitas.

Buroeensem, Dionysium Tibiletti, Auxiliarem R. P. D. Aloisii Niella, Episcopi Corrientensis.

Himeriensem, Iustorum Cawet, Coadiutorem cum iure futurae successionis R. P. D. Thomae Ludovici Heylen, Episcopi Namurcensis.

Gotennensem, Evaristum Tchang, Vicarium Apostolicum de Tsining.

Calydoniensem, Eduardum Sheehan, Vicarium Apostolicum de Yukiang.

Zamorensem, Emmanuelem Arce y Ochotorena.

Segobiensem, Lucianum Perez Platero.

Curiensem, Emmanuelem Lopez Arana, Administratorem Apostolicum Civitatensem.

De Dinajpur, Ioannem Bapt. Anselmo.

Lunensem,- seu *Spediensem, Sarzanensem* et *Brugnatensem,* dioecesi Spediensi noviter erecta, Ioannem Costantini.

Sorensem, Gulielmum Finnemann, Auxiliarem E. P. D. Michaelis 0'Doherty, Archiepiscopi Manilensis.

Stadiensem, Franciscum Kamprath, Auxiliarem Emi P. D. Gustavi Friderici S. B. E. Card. Piffl, Archiepiscopi Vindobonensis.

De Lingayen, dioecesi nuper erecta, Caesarem Guerrero.

Nisyriensem, Franciscum Fellinger, Auxiliarem Excmi P. D. Aloisii Barlassina, Patriarchae Hierosolymitani.

Surensem, Stephanum Hasz.

Natalensem, Marcolinum de Souza Dantas.

Sancti Ioannis Portoricensis, Edwinum Byrne, iam Episcopum Poncensem.

Poncensem, Aloisium Wellinger.

Semtensem, Gregorium Rozman, Coadiutorem cum iure futurae successionis B. P. D. Antonii Bonaventurae Jeglic Episcopi Labacensis.

Sululensem, Angelum M. Paulum Hiral, Vicarium Apostolicum Canalis Suesii.

Panemotichitanum, Venceslaum Kinold, primum Vicarium Apostolicum de Sapporo.

Vazaritanum, Burchardum Huwiler, primum Vicarium Apostolicum de Bukoba.

Zattarensem, Antonium Oomen, primum Vicarium Apostolicum de Mwanza.

Vladislaviensem seu Calissiensem, Carolum Badonski, iam Episcopum Berissenum.

Trisipensem, Stephanum Brey er, Auxiliarem Emi P. D. Iustiniani Georgii S. B. E. Cardinalis Serédi, Archiepiscopi Strigoniensis.

Midensem, Thomam Mulvany.

Bagusinum, Iosephum Carevic.

Venetensem in ***Gallia,*** Hippolytum Tréhiou.

Montis Albani, Aemilium Roques.

Philomeliensem, Fridericum Emanuel, Auxiliarem Emi P. D. Donati S. R. E. Cardinalis Sbarretti, Episcopi Sabinensis et Mandelensis.

Melensem, Michaelem Paternam.

Heliopolitanum, Geraldum Patricium 0'Hara, Auxiliarem Emi P. D. Dionysii S. R. E. Cardinalis Dougherty, Archiepiscopi Philadelphiensis.

Tabborensem, Linum Rodericum Ruesca, Auxiliarem Emi P. D. Vincentii S. R. E. Cardinalis Casanova y Marzol, Archiepiscopi Granatensi.

Madytensem, Valentinum Dymek, Auxiliarem Emi P.D. Augusti S.R.E. Cardinalis Hlond, Archiepiscopi Gnesnensis et Posnaniensis.

Tarbiensem et Lourdement, Petrum Gerlier.

Metropolitanum, Cyrillum Rodulphum Jarre, Vicarium Apostolicum de Tsinanfu.

Macrensem in Mauretania, Fridericum Provost, Coadiutorem cum iure futurae successionis R. P. D. Felicis Perroy, Vicarii Apostolici Birmaniae meridionalis.

Abydensem, Basilium Ladika, Ordinarium pro catholicis ritus graeci-rutheni in ditionem Canadensem migratis.

de Toowomba, dioecesi nuper erecta, Iacobum Byrne.

de Nellore, dioecesi nuper erecta, Gulielmum Bouter.

Lundensem, Martinum Meulenberg, primum Vicarium Apostolicum Islandiae.

Dunnensem et Gonnorensem, Danielem Mageean.

Verbianum, Ioannem Aloisium Coleman, Coadiutorem cum iure futurae successionis R. P. D. Patricii 0'Connor, Episcopi Armidalensis.

Vatarbensem, Edmundum Iosephum Gleeson, Coadiutorem cum, iure futurae successionis R. P. D. Vincentii Dwyer, Episcopi Maitlandensis.

Berissenum, Ioannem Jeremich, Auxiliarem Emi P. D. Petri S. R. E. Cardinalis La Fontaine, Patriarchae Venetiarum.

Plymuthensem, Ioannem Barrett, iam Episcopum Assiensem.

Lingonensem, Ludovicum Tillon. ^

Holarensem, Martinum Meulenberg, iam Episcopum electum Lundensem.

ABBATEM

Sanctissimae Trinitatis Cavensis Ildephonsum Rea.

V. - POSTULATIO PALLI

Deinde Rmus Cardinalis Boggiani iuramentum praestitit. Quo recepto Beatissimus Pater postulationem Sacri Pallii pro Patriarchali Ecclesia Antiochena Syrorum, benigne admisit.

II. - CONSISTORIUM PUBLICUM

Feria quinta die 18 Iulii 1929 in Aula supra Porticum Patriarchalis Basilicae Vaticanae fuit *Consistorium publicum,* in quo Beatissimus Pater pontificalem Galerum rubrum sollemniter tradidit Reverendissimo Cardinali

ILDEPHONSO SCHUSTER

creato et publicato in superiore Consistorio secreto.

Interim per advocatum Sacri Consistorii Franciscum marchionem Pacelli, pro prima vice, peroratio fiebat Causae Beatificationis et Canonizationis seu Declarationis Martyrii CCLII Servorum Dei qui in persecutione anglicana summum supplicium passi pro Fide traduntur saeculis **XVI** et **XVII.**

III. - CONSISTORIUM SECRETUM

Postea in consueta Aula Palatii Apostolici Vaticani fuit *Consistorium Secretum,* in quo Beatissimus Pater os clausit Reverendissimo Cardinali Schuster, ac deinde proposuit *titularem archiepiscopalem Ecclesiam Stauropolitanam* pro R. P. D. Ioanne Dellepiane, hactenus Administratore Apostolico Smyrnensi.

Subinde, post aperitionem oris Reverendissimi Cardinalis Schuster, cui, tradito Annulo, assignavit Titulum presbyteralem Ss. Silvestri et Martini in Montibus, postulationes palliorum benigne admittere dignatus est.

Nimirum idem Reverendissimus Cardinalis Schuster instanter, instantius ac instantissime postulavit Pallium pro sua metropolitana Ecclesia Mediolanensi; ac post eum per legitimos procuratores similiter institerunt pro Pallio Pastores dati Ecclesiis archiepiscopalibus *Goanae et Damanensi, Bhodiensi, Vercellensi* (per successionem), *Dyrrachiensi, Tridentinae* (per elevationem Sedis), *Birmingamiensi, Mexicanae, Naxiensi;* atque, ex privilegio, episcopali ecclesiae *Tarbiensi et Lourdensi.*

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DE NOVA AECHLDIOECESrüM MADRASPOLITANAE ET PONDIOHERIENSIS CIROUMSCSRTPTIONE AC DE DIOECESIS NELLOEENSIS ERECTIONE.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad maius Eeligionis incrementum animarumque salutem facilius procurandam Eomani Pontifices pervigili studio curare debent, ut Ecclesiarum circumscriptiones temporum locorumque adiunctis apte respondeant. Huius apostolicae sollicitudinis partem modo a Nobis exigit illa Indiarum Orientalium regio, in qua exstant Madraspolitana et Pondicheriensis arehidioeeeses, quarum fines opportuna ratione immutare et novam illic erigere dioecesim valde opportunum visum est. Quare, prae oculis habentes venerabilis fratris Eduardi Mooney, Archiepiscopi Irenopolitani in Isauria, in Indiis Orientalibus Delegati Apostolici, proposita et vota, ac suppleto quorum interest vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, de venerabilium fratrum Nostrorum S. E. E. Cardinalium Sacrae Congregationi christiano Nomini propagando praepositorum consilio, ea quae sequuntur suprema Nostra auctoritate decernimus ac statuimus:

I. Ab archidioecesis Madraspolitanae territorio in primis partem illam seiungimus, quae civiles districtus complectitur de *Nellore, Guntur, Kurnool, Annantapur, Cuddapah,* quorum incolae lingua de *telegu* utuntur, necnon partem alius civilis districtus de *Ghitoor,* nempe civiles circumscriptiones vulgo *de Madanapalle, Vayalpad, Punganuru, GhandmgMri, Kalahasti* et *Puttur* nuncupatas. Hoc quidem territorium a praefata archidioecesi Madraspolitana avulsum ac praedictas civiles circumscriptiones complectens, in novam ac distinctam dioecesim erigimus, quam ab urbe *Nellore* nuncupari volumus, eiusque sedem et cathedram in ipsa urbe *Nellore* constituimus, quam proinde ad civitatis episcopalis fastigium evehimus. Ecclesiam autem ipsius urbis principem ad cathedralis ecclesiae dignitatem et honorem extollimus, ei propterea eiusque pro tempore Episcopis tribuimus iura omnia, honores, insignia, favores, gratias et privilegia, quibus aliae cathedrales ecclesiae earumque Antistites iure communi vel legitima

consuetudine in Indiis Orientalibus pollent ac fruuntur, iisdemque adstringimus oneribus et obligationibus.

Hanc autem novam dioecesim Nellorensem Societati Missionariorum a S. Ioseph, vulgo de *Mili Hill*, concredimus, ipsamque metropolitanae Ecclesiae Madraspolitanae suffraganeam constituimus, eiusque pro tempore Episcopos iuri metropolitico Archiepiscopi Madraspolitani subiicimus, reservata tamen Apostolicae Sedi facultate libere novam decernendi ipsius dioecesis dismembrationem seu circumscriptionem, quoties id expedire in Domino visum fuerit. Quum autem temporum adiuncta prohibeant quominus in hac nova dioecesi canonicorum Capitulum modo instituatur, mandamus ut, loco canonicorum, dioecesani Consultores ad tramitem can. 423 et seq. eligantur. Episcopalem mensam novae huius dioecesis constituent curiae emolumenta et ceterae oblationes, quae a fidelibus, in quorum bonum ipsa dioecesis erecta est, praeberi solent. Quod autem attinet ad huius dioecesis regimen et administrationem, ad Yicarii capitularis seu administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera, aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones decernunt.

II. Praefata Nellorensi dioecesi ita a Nobis erecta atque constituta, ab archidioecesi Pondicheriensi, accedente ad hoc venerabilis fratris hodierni ipsius Archiepiscopi consensu, partem illam seiungimus, quae nomine *North Arcot* venit, cuius incolae et lingua et moribus affines inveniuntur iis, qui archidioecesis Madraspolitanae territorium inhabitant, ipsamque archidioecesi Madraspolitanae adnectimus et attribuimus. Hanc autem archidioecesim novis hisce limitibus circumscriptam piae Societati a S. Francisco Salesio concredimus.

Quod vero ad clerum praecipue spectat, decernimus ut, simul ac dismembrationes praefatae et novae dioecesis erectio, ut supra statutae, exsecutioni mandatae fuerint, eo ipso clerici omnes Ecclesiae illi censeantur adscripti; in cuius territorio legitime exstant. Singulorum Ordinariorum autem erit curare ut documenta omnia et acta, quae tum novam dioecesim Nellorensem, tum archidioecesim Madraspolitanam respiciunt, quamprimum fieri poterit earum Cancellariis respective tradantur ut in singulis archivis, serventur.

Hisce itaque ut supra dispositis, ad eadem omnia exsecutioni mandanda deputamus venerabilem fratrem Eduardum Mooney, in Indiis Orientalibus Delegatum Apostolicum, eidem tribuentes necessarias et opportunas facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum, eidemque onus imponimus ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide authenticum exemplar

peractae exsecutionis transmittendi infra sex menses a praesentibus Litteris acceptis computandos.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore ac ratione de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio vel quolibet alio inexcogitato defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et si secus super bis a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides quae hisce Litteris tribueretur, si originali ter exhibitae vel ostensae forent.

Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum dispensationibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, evectionis, unionis, concessionis, statuti, derogationis, mandati et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero, ausu temerario, hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo octavo, die tertia mensis Iulii, Pontificatus Nostri anno septimo.

FR. ANDREAS CARD. FRÜHWIRTH,
Cancellarius S. B. E.

G. M. CARD. VAN ROSSUM,
S. C. de Prop. Fide Praefectus.

Alfonsus Carinci, *Protonotarius Apostolicus*
Hector Castelli, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco *i%t* **Plumbi**

Reg. in Cane. Ap., vol. XXXVIII. n. 42. - **M. Riggi.**

II

BBISBANENSIS ET ROCKAMPTÖNENSIS

ARCHIDIOECESIS BRISBANENSIS IN AUSTRALIA DISMEMBRATIO, AC NOVA ERIGITUR DIOECESIS TOOWOOMBAËNSIS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Christiano nomini latius propagando et animarum saluti utilius ac salubrius consulendae maxime confert recta catholici orbis circumscriptio, ad quam assequendam dioecesium territorium aliquando dismembratur ac in novas erigitur dioeceses, ut, aucto Pastorum numero, possit dominicus grex facilius necessaria ad christianam vitam subsidia et spiritualia adiumenta uberiora percipere. Hoc animo Nos ducti, venerabilis fratris Iacobi Duhing, hodierni Archiepiscopi Brisbanensis in Australia, oblatas preces, quibus a Nobis semel ac iterum postulavit, ut suae archidioecesis territorium, quod nimium amphtudine patet, dismembraretur, nova ac distincta dioecesis in regione centrali et occidentali erigeretur, atque septemtrionalis eiusdem territorii pars notabilis finitimae dioecesi Rockamptonensi uniretur, benigne excipiendas censuimus. Quare, de consulto venerabilium fratrum Nostrorum S. B. E. Cardinalium Sacrae Congregationi de Propaganda Fide praepositorum, suppleto, quatenus opus sit, quorum interest vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis, ea quae sequuntur Apostolica auctoritate decernimus: I. Ex archidioecesi Brisbanensi, in Statu foederali Australiano Queenslandiae, territorii partem, ut infra definiendam, seiungimus et dismembramus, atque novam in ea. et distinctam dioecesim erigimus, quam Toowoombaënsem ab urbe illius regionis principe *Toowoomba* nuncupari volumus. II. Huius novae dioecesis limites erunt: Ad septemtrionem gradus vigesimus quintus latitudinis australis a iugis montium qui Amburni, vulgo *Ariburn Mange* vocantur, in parte orientali, usque ad fines Territorii foederatis Septemtrionalis, ut dicitur, vulgo *Northern Territory,* in regione occidentali. Ad meridiem fines Status Novae Galliae meridionalis, a limitibus Status Australiae meridionalis usque ad coniunctionem montium Macphersonum, vulgo *Macpher-*

son Bange, cum mentibus continuis, qui montes Principales, vulgo *Main Bange* vocantur. Ad orientem series montium, qui Magni Dividentes vulgo *Great Diviäing Bange,* vocantur, usque ad vigesimum quintum gradum latitudinis australis. Ad occidentem fines Status Australiae meridionalis et fines Territorii Septemtrionalis, intra limites Status Novae Galliae meridionalis et quem supra diximus vigesimum quintum gradum latitudinis. III. Novae huius erectae dioecesis Toowoombaënsis sedem in urbe vulgo *Toowoomba* figimus, quam proinde ad civitatis episcopalis gradum et fastigium evehimus. Episcopi vero cathedram in ampliore et aptiore eiusdem urbis ecclesia constituimus, quam idcirco ad ecclesiae cathedralis dignitatem extollimus; ei propterea eiusque pro tempore Episcopis iura omnia tribuimus, honores, insignia, favores gratias et privilegia, quibus ceterae cathedrales earumque Episcopi iure communi vel legitima consuetudine in Australia pollent et gaudent, eosque iisdem oneribus et obligationibus adstringimus, quibus ceteri per orbem Episcopi subiiciuntur. IV. Novam autem dioecesim Toowoombaënsem sufiraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Brisbanensis eiusque proinde Episcopos metropolitico iuri Archiepiscopi Brisbanensis subüeimus. V. Cum vero temporum adiuncta modo prohibeant quominus canonicorum Capitulum in cathedrali ecclesia erigatur, indulgemus ut interim pro canonicis dioecesani Consultores ad normam iuris instituantur. VI. Vehementer insuper exoptamus ut in nova dioecesi Toowoombaënsi ubi primum fieri poterit saltem parvum Seminarium iuxta canonicas leges et normas a Sacra Congregatione de Seminariis traditas instituatur, omni cura adhibita ut in eo alumnorum, qui in spem Ecclesiae succrescunt, pietas et morum probitas atque doctrina vigeat et floreat. VII. Episcopalem mensam constituent, praeter fidelium oblationes, in quorum bonum dioecesis haec erecta est, et curiae episcopalis emolumenta, cathedraticum, quod ad tramitem iuris in signum subiectionis Episcopo est solvendum, necnon peculiaris pars ecclesiae cathedralis redituum, quae Episcopo iuxta loci consuetudinem competit. Insuper eidem Episcopo, ut episcopali dignitati aptius consulere queat, facultatem facimus, iuxta morem in Australia vigentem, ex dioecesis paroeciis unam vel duas paroecias sibi reservandi. VIII. Quod autem attinet ad dioecesis Toowoombaënsis regimen et administrationem, ad Vicarii capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi servanda iubemus quae sacri canones decernunt. IX. Quum vero Brisbanensis archidioecesis, etiam post ab ea avulsum territorium ex quo nova dioecesis Toowoombaënsis est efformata, nimis adhuc pateat, regiones ad septemtrionem gradus vigesimi quinti latitudinis australis exstantes ab ipsa archidioecesi separamus et

finitimae dioecesi Rockamptonensi adiungimus. X, Quod vero ad clerum praecipue spectat, decernimus ut simul ac Constitutio haec exsecutioni mandata fuerit, eo ipso clerici omnes Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio legitime exstant. XI. Singulorum Ordinariorum autem erit curare ut documenta omnia et acta, quae regiones illas respiciunt hisce Nostris Litteris ab archidioecesi Brisbanensi separatas, a cancellaria eiusdem archidioecesis quam primum fieri poterit extrahantur et cancellariis dioecesium Toowoombaënsis et Rockamptonensis tradantur ut in singulis archivis serventur. XII. Nobis denique et Apostolicae Sedi facultatem reservamus novam ineundi circumscriptionem tum archidioecesis Brisbanensis, tum novae dioecesis Toowoombaënsis, quandocumque id in Domino expedire visum fuerit. XIII. Eebus itaque ut supra dispositis, ad eadem omnia exsecutioni mandanda deputamus venerabilem fratrem Bartholomaeum Cattaneo, Archiepiscopum titularem Palmyrenum, Delegatum Apostolicum in Australasia,* eique propterea tribuimus necessarias et opportunas facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in officio vel ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus imponimus ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide authenticum exemplar peractae exsecutionis infra sex menses a praesentibus Litteris acceptis transmittendi.

Volumus tandem ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides quae hisce Litteris tribueretur, si originaliter exhibitae vel ostensae forent. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore ac ratione de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio vel quolibet alio inexcogitato defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum dispositionibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, evectionis, unionis, concessionis, statuti, derogationis, mandati et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero, ausu temerario, hoc attentare prae-

sumpserit; indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Eomae, apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo nono, die vigesima octava mensis Maii, Pontificatus Nostri anno octavo.

FR. ANDREAS CARD. FRÜHWIRTH, *Cancellarius S. B. E.*

Gr. M. CARD. VAN ROSSUM *S. G. de Propaganda Fide Praefectus.*

Ioannes Zani Caprelli, *Protonotarius Apostolicus.*
Hector Castelli, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco Plumbi

Heg. in Cane. Ap., vol. XL, n. 35 - M. RIGGI.

III

TRIDENTINA

SEDES EPISCOPALIS EVEHITUR AD ARCHIEPISCOPALEM

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Inter ceteras curas in quas Apostolica Sedes incumbit, ad eas libenter animum intendit, quibus cathedrales ecclesiae, antiquitate mentisque conspicuae et christianis virtutibus florentes, dignioribus titulis condecorentur ac singularibus favoribus cumulentur. Huiusmodi quidem apostolica munificentia digna sane est pervetusta Tridentina Ecclesia, quae praelucet tum religiosa fidelium observantia eorumque quam maxima cum Romanis Pontificibus coniunctione, tum praecipue quia in Tridentina urbe, uti celeberrimum est, sextodecimo saeculo habita fuit memoranda oecumenica Synodus, quae ad ingruentes novatorum errores reiiciendus et ad ecclesiasticam disciplinam restaurandam plurimum conduxit, cuiusque salutares effectus in cleri populique christiani moribus etiam nunc persentiuntur. Cum itaque nuper clerus et fideles dioecesis Tridentinae, occasionem nacti quod solemnia peragantur pro vicesimo quinto expleto anno quo venerabilis frater Caelestinus Endrici dioecesim regendam suscepit, Nobis enixas preces porrexerint ut, ob eiusdem Tridentinae Ecclesiae praestantiam, eam

ad sedis archiepiscopalis honorem et fastigium evehere dignaremur: Nos., omnibus mature perpensis, ad Ecclesiae Tridentinae decus augendum, paternae Nostrae erga civitatem et dioecesim Tridentinam eiusque hodiernum Pastorem, benevolentiae testimonium aliquod praebere volentes, oblatis precibus benigne annuendum censuimus. Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, quorum interest vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, Apostolicae potestatis plenitudine, cathedralem Ecclesiam Tridentinam, Nobis iam pridem et Apostolicae Sedi immediate subiectam, ad Ecclesiae Archiepiscopalis gradum et dignitatem, sine ulla tamen Episcoporum Suffraganeorum designatione, evehimus ac erigimus; eidemque singula iura ac privilegia, quibus ceterae archiepiscopales ecclesiae gaudent, attribuimus et concedimus. Ideoque Tridentino Antistiti pro tempore exsistenti Archiepiscopi titulum concedimus, atque tum Pallii usum, postquam tamen illud in Sacro Consistorio postulatum et impetratum fuerit, tum ius Crucem ante se ferendi iuxta sacrorum canonum praescripta, tum alia iura, insignia, honores et privilegia impertimur, quibus ceteri Archiepiscopi ex iure communi vel legitima consuetudine fruuntur et gaudent. Statuimus insuper ut venerabilis frater Coelestinus Endrici, qui, uti supra diximus, episcopalem Tridentinam Sedem in praesens obtinet, per has praesentes Litteras Archiepiscopus Tridentinus vere sit et àb omnibus habeatur, quin pro sibi aucta dignitate novae Apostolicae Litterae expediantur. Item templi maximi Tridentini, S. Vigilio Martyri dicati, Canonicorum ordinem, ad archiepiscopalis Capituli, honorem ac titulum evehimus et extollimus cum omnibus iuribus ac privilegiis, quibus cetera archiepiscopalia capitula fruuntur. Ad haec autem omnia exsecutioni mandanda eumdem venerabilem fratrem Caelestinum Endrici deputamus ac ipsi propterea necessarias et opportunas facultates tribuimus etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, ac definitive pronuntianda de quavis difficultate vel oppositione quomodolibet oritura, iniuncto eidem onere mittendi ad Sacram Congregationem Consistorialem intra sex menses ab hisce Litteris datis computandos, authenticum exemplar peractae exsecutionis. Volumus autem ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides quae hisce Litteris tribueretur si originaliter exhibitae vel ostensae forent. Decernimus denique hanc Nostram Constitutionem firmam validam atque efficacem exstare et permanere, suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere, contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus. Quae igitur per has Litteras Nostras a Nobis decreta sunt, nulli hominum, nullo unquam tempore infria-

gere aut iis quomodolibet contraire liceat. Si quis vero, quod Deus avertat, ausu temerario hoc attentare praesumpserit, in poenas canonicas se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo nono, die decima quarta mensis Iunii, Pontificatus Nostri anno octavo.

FR. ANDREAS CARD. FRÜHWIRTH, *S. B. E. Cancellarius.*

CAROLUS CARD. PEROSI, *S. C. Consistorialis a Secretis.*

Ioseph Wilpert, *Decanus Göll. Proton. Apostolicorum.*
Dominicus Jorio, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco 5$ Plumbi

Reg. in Cane. Ap. vol. XL, n. 36. - **M. Riggi.**

LITTERAE APOSTOLICAE

I

VENERABILIS SERVA DEI THERESIA MARGARITA REDI A SACRO CORDE IESU, EX ORDINE CARMELITARUM DISCALCEATORUM MONIALIS PROFESSA, BEATA RENUNTIATUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Decor Carmen" filiae eius, quae vestigiis fideles sequutae matrem sanctam Theresiam a Iesu, quasi ex horto concluso mystici flores, suum erga Deum amorem suamque devotionem ex sacris monasteriorum saeptis in odore suavissimo offundunt. Multae quidem Carmeli filiae et plane mirabiles, ubique terrarum, ab incunabulis Ordinis usque ad hodierna tempora exstitere; atque inter eas Venerabilis Dei Famula Theresia Margarita Redi a Sacratissimo Corde Iesu merito adnumeratur. Aretii in Hetruria a piis nobilibusque parentibus orta est anno **MDCCXLVII** Idibus Iuliis; eidemque, lustralibus aquis die sequenti in ecclesia cathedrali ablutae, Annae Mariae nomen impositum est. In timore Domini educata, decennis monasterium florentinum Sanctae Apolloniae est ingressa, ut eiusdem asceterii monialium institutioni committeretur; ibique inter alumnas innocens, simplex, modesta, iugiter docilis atque obediens moderatricibus, obsequens erga maiores natu et erga omnes humanissima, frequentia Sacramentorum admirabilis, animi dotibus supra aetatem exornata, in oratione assidua,

pietate in Deum ac Deiparam conspicua, septem annos mansit. Dein ad paternam domum, ut patris voluntati pareret, reversa, paucos tantum menses in exemplum adducendam vitam ibi transegit; mox enim, ab ipsa sancta Theresia a Iesu extraordinario modo, uti fertur, vocata, Ordinem Carmelitarum Discalceatorum ingreditur. Kalendis Septembribus anni MDCCKAV a sororibus Monasterii Florentini Sanctae Theresiae plenis suffragiis recepta ac brevi in probandarum numerum admissa, die xi Martii anni MDCOLXV, assumpto Theresiae Margaritae a Sacro Corde Iesu nomine, religiosum Carmelitarum habitum induit; ac sequentis anni die xn Martii, cum omnium laude tyrocinio expleto, sollemnia vota, maxima animi sui laetitia, nuncupavit. Sic tandem Yenerabilis Serva Dei id adepta est, quod animo suo maxime voluerat. Adeo enim iam prius flagraverat ardore theresianum habitum induendi atque eiusdem Ordinem ingrediendi, ut saepe humiliter dictitaret se qua sororem saltem conversam velle monasterium intrare ac regulam Carmelitarum profiteri. Asceterium vero ingressa, paucos tantum vitae suae in eodem annos transcurri t; brevi sed tamen explevit tempora multa. Vix quidem novensilis probanda, cunctis monialibus visa est ad perfectionis ápices convolare, quamvis virtutes et dona spiritualia, quibus ornabatur, occulere eadem sollicite conaretur. Mox egregiam se praebint. omnibus imitatricem divae matris Theresiae, atque angelica innocentia et simplicitate in oculis, in verbis, in incessu, in gestu praeditam; puritatis vero suae florem, tanquam exemplar Aloysium Gonzaga sequuta, ad obitum usque intactum servavit. Monialis facta, sereno atque hilari vultu iugiter procedens, sibi semper aequalis, alacritate ac diligentia haud communibus in exercenda officia sibi credita prompte incumbebat: aegrotantium enim monialium curae, sacristiae rebus servandis, velaminum atque lanaeque custodiae addicta, in iisdem aliisque muneribus explendis insignem suam erga proximum caritatem iugiter ostendit, studiumque impensum quo in ea omnia, quae ad salutem animorum et ad gloriam Dei spectarent, continenter intendit. A suscepto quidem regulari instituto sibi proposuit Famula Dei ut nullam elabi unquam sineret occasionem de proximo suo benemerendi, nec propterea famulatum tantum infirmarum, quibus erat acceptissima, et incommoda quaeque tacita ferens, sed rigido silentio atque opportuna dexteritate sermones declinans de iis, quae ad monasterium sive ad moniales pertinerent, verba sua et actiones prudentissime dirigens, ne cui detrimentum unquam afferret; appositis Scripturarum Sanctorumque Patrum dictis animos sodalium, data opportunitate, ad Deum erigens; in oratione ac sacra meditatione ipsamet assidua, ut omnes Deum diligerent atque orarent totis viribus expetens. Vehementissime pietatis sensu perfusa, in divinis laudibus persolvendis attenta,

devotione peculiari tum erga Sacratissimum Cor Iesu, a quo in induendo habitu religioso cognomen sibi delegerat, tum erga Sanctissimam Eucharistiam, tanquam erga centrum totius amoris Dei, enitebat, et, sponsa Christo fidelis, a visibilibus rebus continenter ad invisibilia atque ad Creatoris amorem se erigebat. Ante religiosam professionem propter suam in Deum caritatem iam mirabili patientia incommoda vitae et carnis infirmitates perferebat; elicitis autem votis, carnem flagellis, ciliciis, ieiuniisque excruciavit, et corpus suum castigans, in servitutem illud redegit. Gaudens si res etiam necessariae sibi deessent, paupertatem coluit supra communem religiosarum morem; a primo in monasterium ingressu, regularum consuetudinumque observantissima, se se conformare studuit ad ceterarum monialium vitam, tum victu tum lectulo durissimo; aliquando vero humi cubabat, suumque cibum, ieiunans, pauperibus largiebatur; at egregie coniungebat patiendi desiderium cum prompta obedientia; etenim moderatoribus conscientiae suae ceterisque antistitibus atque etiam aequalibus continenti humilitate obtemperabat. Nil unquam timens praeter peccatum, propriis defectibus perscrutandis operam subtilem et perspicacem cotidie dedit: res, gesta, verba, cogitationes suas unice ad Deum referens, vota, quae caelesti suo Sponso voverat, fideliter exacteque adimplevit, arduam perfectionis viam usque ad obitum calcans. Aetatis suae tertium supra vicesimum annum agens, immatura morte correpta, die **VII** Martii anni **MDOCLXX** ad caelestem suum sponsum Iesum, quem inter acerbissimos postremi morbi dolores instanter invocabat, piissime con vola vit. Virginis monialis pretiosa in conspectu Domini morte commota omnis fere civitas florentinorum, qui eximium eiusdem Famulae Dei candorem ac sanctitatem praedicabant, ad ipsius occurrit religiose invisendum cadaver, quod mirabili plane modo conservatum tunc per quindecim dies inhumatum mansit, sed idem incorruptum ad nostra tempora servari videtur. Christifidelium vero non modo e civitate florentina sed ex Hetruria tota, ob Servae Dei sanctitatis famam iugiter percrebrescentem, pietas erga eiusdem exuvias, ex ipso tempore mortis exorta numquam deferbuit. Statim autem funere absoluto, ipse Florentinus Archiepiscopus, attentis rerum circumstantiis, de vita, virtutibus Dei Famuiae ac de miraculorum fama iudiciales condidit inquisitiones, quibus peractis atque ad Romanam Curiam de more delatis, Decessor Noster rec. mem. Pius Papa VII Introductionis Causae Commissionem, die xv mensis Iulii anni **MDCCCVII** propria manu signavit. Absolutis igitur iis omnibus, quae in huiusmodi iudicio pertractanda erant, disceptari coeptum est super Venerabilis Dei Servae virtutibus, quas vero heroicum gradum attigisse fel. rec. Decessor Noster Gregorius Pp. XVI decimo octavo Kalendas

Maias anno millesimo octingentesimo trigesimo nono sollemni decreto sanxit. Antequam autem de miraculis, quae Dei Famula deprecante divinitus patrata ferebantur, quaestio susciperetur, silentium sexaginta annorum sequutum est, sed tandem primum in Congregatione antepraeparatoria, deinceps in praeparatoria, denique in generan conventu coram Nobis habito quaestione agitata, rebus omnibus acerrimo iudicio investigatis, quinto Nonas Martii anno millesimo nongentesimo vicesimo nono duo proposita miracula constare, ulteriusque propterea in casu procedi posse declaravimus. Cum proinde nihil, secundum sacri fori instituta, aliud superesset nisi ut Patres Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi, ceterique de more consulendi rogarentur, num tuto procedi posse censerent ad sollemnem Venerabilis Dei Famulae beatificationem, in generalibus Congregationis comitiis, quae die vicesima tertia mensis Aprilis nuper elapsi coram Nobis habita sunt, tum iidem S. R. E. Cardinales, tum ii qui aderant Praelati et Consultores, sententiam affirmativam, consensu unanimi dixerunt. Nos autem in re tanti momenti aperire Nostram mentem cunctati sumus donec enixis precibus clariora e caelo antea lumina posceremus. Quod quidem cum fecissemus, octavo Idus Maii huiusmet anni, religiosissime litato eucharistico Sacrificio, adstantibus dilectis filiis Nostris Camillo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Laurenti, Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, nec non Alexandro Cardinali Verde, Causae Ponente, et reverendis dominis Angelo Mariani, eiusdem Sacrae Rituum Congregationis a Secretis - itemque Carolo Salotti, Fidei promotore generali, *tuto* procedi posse ad sollemnem Venerabilis Dei Servae Theresiae Margaritae Redi a Sacratissimo Corde Iesu beatificationem sollemniter ediximus. Quae cum ita sint, precibus permoti totius Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, auctoritate Nostra apostolica, concedimus ut eadem Venerabilis Dei Famula Theresia Margarita Redi a Sacratissimo Corde Iesu, monialis professa Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, *Beatae* in posterum nomine nuncupetur, eiusdemque corpus et lypsana seu relliquiae publicae christifidelium venerationi proponantur, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferenda, itemque permittimus ut imagines eiusdem Dei Famulae radiis decorentur. Eadem praeterea auctoritate Nostra concedimus ut de ipsa Dei Famula quotannis Officium recitetur de Communi Virginum cum lectionibus propriis per Nos adprobatis, et Missa de eodem Communi Virginum cum orationibus propriis, per Nos pariter adprobatis, servatis servandis, celebretur. Huiusmodi tamen Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat largimur in Aretina dioecesi, ubi nata est Serva Dei, atque in archidioecesi Florentina, in qua migravit ad Dominum; itemque in templis et sacellis,

ubique terrarum sitis, quibus utitur Ordo Carmelitarum Exealceatorum, ab omnibus fidelibus qui Horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus, qui ad ecclesias sive sacella in quibus festum agitur, conveniant. Demum facultatem impertimur ut sollemnia beatificationis Venerabilis Dei Famulae Theresiae Margaritae Redi a Sacratissimo Corde Iesu supradictis in templis celebrentur, die a legitima auctoritate designanda, intra annum ab iisdem sollemnibus in sacrosancta Patriarchali Basifica Vaticana rite peractis. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis nec non decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuslibet. Volumus autem ut praesentium Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii memoratae Sacrorum Rituum Congregationis subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides etiam in disceptationibus iudicialibus adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce Litteris ostensis, haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die ix m. Iunii anno **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. C**ARD.** G**ASPARRI,** *a Secretis Status.*

II

VENERABILIS DEI FAMULIS CLAUDIUS DE LA COLOMBIÈRE, PRESBYTER PROFESSUS E SOCIETATE IESU BEATUS RENUNTIATUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Ardenti amore in Iesum, qui nos redeunt pretioso suo sanguine, insignes viri aliquando in Ecclesia Christi suscitantur, qui flamma cantatis, quae illos urget, christifideles omnes accendere conantur, omnia mundana despiciunt ut spirituali tantum proximorum bono prospicere possint, nihil aliud exoptant nisi ut homines Iesu Redemptori illo coniuncti sint amore, quo ipse Filius Dei usque ad mortem homines dilexit. Quos profecto inter insignes viros recensendus est Claudius de la Colombière, moderator spiritualis sanctae Margaritae Mariae Alacoque, quam Iesus ipsemet prae ceteris adhibere dignatus est ad stabiliendum aeque ac dilatandum Sanctissimi Cordis sui cultum, ut nostrae miserrimae aetatis homines cuiusvis generis condicionisve in Corde illo sanctissimo securum refugium, asylum tutissimum, veramque pacem reperire queant. Id enim ad effectum sancta eadem monialis feliciter perduxit, coadiutore Venera-

bili Servo Dei Claudio de la Colombière, qui ob ardens suum studium atque admirabilem sollicitudinem in ipsum Sanctissimi Cordis Iesu cultum provehendum propagandumque non modo sagacem animorum moderatorem sed etiam virum Spiritus Domini plenum, atque omnibus sponsorem de voluntate Dei sese ostendit. Suum ortum habuit ipse Claudius in oppido Sancti Symphoriani de *Ozon,* tunc temporis Viennensis nunc Gratianopolitanae dioecesis intra fines, die secunda Februarii, anno millesimo sexcentésimo quadragesimo primo, ex honestissimis parentibus, qui omni cura atque industria illum christianis institutionibus educarunt; atque assiduae genitorum operae plane respondit puerulus, qui iam a teneris unguiculis pueritia quaeque ita fastidivit, ut in exercitium tantum virtutum studiorumque incumberet. Decennis lugdunense a Nostra Domina, quod e Societate Iesu presbyteri moderabantur, conlegium ingreditur, ex quo post peractum ibi grammaticae curriculum in alterum a Sanctissima Trinitate conlegium transiit, ut in'ipso humanioribus litteris ac philosophiae operam suam navaret. Eisdem vero in conlegiis non modo mirabiles in studiis progressus fecit, sed etiam, inter Marianos sodales adlectus, firme matureque statuit in corde suo, mundanis vanitatibus spretis relictisque, Deum solum sequi atque illius tantum gloriam hominumque salutem in posterum procurare. Ad quod facilius assequendum, variis diversisque difficultatibus superatis, ob tot tantasque rationes de re catholica optime meritam Societatem Iesu ingressus est. In tyrocinio autem Venerabilis Dei Famulus ita continenter se gessit, ut sodalibus aetate provectioribus ac virtute probatissimus tanquam exemplum regularum observantiae atque alumnus divi patris Ignatii omnibus virtutibus ornatus omnibus proponi posset. Tyrocinio cum omnium laude expleto, primisque religiosis votis nuncupatis, ad praelaudatum conlegium a Sanctissima Trinitate reversus, inibi munere functus est professoris eloquentiae. Mox Lutetiae Parisiorum theologicis disciplinis vacavit eademque in civitate magna cum animi sui laetitia sacerdotio auctus est. Lugduni postea concionator et confessarius electus in animorum ministerium totus incubuit; iisdemque sacris in officiis explendis tempestiva doctrina, prudentia studioque haud communibus donatum omnibus se praebuit. Tertium vero probationis annum aggressus de more, eademque schola fortiter affectus, tunc temporis heroico plane voto, usque ad obitum adamussim servato, sese adstrinxit singulas vel minimas etiam Ordinis sui regulas perfecte adimplendi. Tandem die secunda Februarii anno **MDCLXXV** in domus Sancti Iosephi sacello, animi sui plena Dei voluntati deditione, sollemnia vota nuncupavit. Illico Parodium profectus est ut ibi parvo Societatis conlegio praeesset itemque concionatoris munus expleret; quod

divino Consilio factum esse videtur, cum ex eo ipso tempore Venerabilis Dei Famulus Sanctam Margaritam Mariam, tunc temporis in parodiensi monasterio Visitationis monialem, moderatus sit; eandemque consiliis, prudentia, bortationibus adeo in Domino adiuvent, ut magnam ipsimet, quae in angustiis vexationibusque versabatur, tranquillitatem spiritualem restitueret. Mirabilis plane fuit moderandi ratio, quam Venerabilis Dei Servus tunc adhibuit, prudentissimam quidem ac Spiritu Dei perfusam; adeo ut ad id muneris divinitus electus esse haud immerito existimaretur, et non modo ab ipsa sancta Margarita Maria vel ab aliis piis e parodiensi Visitationis monasterio mulieribus, sed a ceteris etiam omnibus cuiusvis generis et condicionis, quorum animos ad Deum atque ad aeternam veritatem direxerat, adhuc in terris vitam agens uti Sanctus haberetur. Ml mirum itaque si, virtutibus tam perspicuis ornatus, qua concionator ad Ducissam Eboracensem missus sit in aula Regis Angliae, in qua verum, procul ab omnibus mundanis rebus et vanitatibus, quae regiis auLis propria sunt, quasi in recessu solitudinis atque in sancto virtutis domicilio vitam ipse transegit, ibique corpus suum omni mortificatiónum genere cruciavit, tot tantosque labores pro gloria Dei provehenda atque animorum salute obtinenda exantlavit, impenso caritatis ardore solertissime, et haereticos ad veram Fidem convertit, et infideles ad Deum adduxit. Iniuriis propterea, contumeliis persecutionibus que Venerabilem Dei Famulum opprimunt haeretici, qui ob eiusdem peculiare rei catholicae studium tanto vitae nitore auctum sic eidem adversantur, ut antea in carcerem conicere, dein ipsum pellere in exsilium quoquo pacto curent. In patriam tandem rediit; ibique, quamvis vexationum caussa carcerisque rigorum, quos iam in Anglia tulerat, graviter aegrotaret, nihil tamen de consueto caritatis ardore remittens, denuo animorum ministerio, indefessa continentique sollertia, functus est, eodemque tempore devotioni provehendae dilatandoque cultui Sacratissimi Cordis Iesu quam maxime operam suam praestitit. Dein Parodium reversus, eo in conlegio ut Dei voluntati pareret moratus est, ibique se Sacro Cordi Iesu totum committens, forti ac fidenti animo vitae mortalis finem expectavit. Die vero dominica decima quinta Februarii, anno millesimo sexcentésimo octogesimo secundo, circa horam vespertinam septimam, Venerabilis Dei Famulus secundum supra quadragesimum annum agens placidissime in Domino obdormivit. Dei Famuli exuvias, quae in ecclesia conlegii Parodiensis antea inhumatae, ob rerum publicarum saeculo decimo octavo vel decimo nono eversiones, varia in loca dein translatae, atque apud sorores monasterii Visitationis diu servatae, nunc exstant Parodii in domo Societatis Iesu, pie continenterque christifideles inviserunt ab ipso tempore mortis eiusdem Venerabilis Dei

Servi, quem ipsa sancta Margarita Maria Alacoque, mire videns in caelis gloriosum, sanctum virum et iam potentem apud Deum patronum declarare non timuit. Demortui quidem Claudii de la Colombière praeclarae sanctitatis fama, illico post eius obitum exorta, progressu temporis nunquam conticuit, sed vividior etiam in dies facta, ubique terrarum se se effudit; plane autem dici potest Venerabilis Dei Famuli nomen tam longe lateque laudatum fuisse, quantum terrarum tenet Sacratissimi Cordis Iesu religio. Nil mirum propterea si post duo circiter saecula ab obitu venerabilis assertoris ac vindicis cultus Cordi Iesu Sacratissimo debiti, de beatorum Caelitum honoribus Servo Dei tribuendis, causa agitari coepta sit penes Sacrorum Rituum Congregationem. Decessor vero Noster rec. mem. Leo Pp. XIII, omnibus rei momentis attento seduloque studio perpensis, per decretum editum die **VIII** m. Ianuarii anni **MDCCCLXXX** Introductionis Causae Commissionem signavit. Absolutis autem iis omnibus, quae in huiusmodi iudicio pertractanda erant, disceptari coeptum est super Venerabilis Dei Servi virtutibus; quae tanquam heroica qualitate praeditae et exornatae, sollemni Apostolicae Cathedrae sententia, sedente memorato Decessore Nostro Leone decimo tertio, tertio Idus Augusti anno millesimo nongentesimo primo, adprobatae deelarataeque fuerunt. Agitata dein quaestione de tribus miraculis, quae a Deo patrata ferebantur per Venerabilis Dei Famuli Claudii de la Colombière intercessionem, post duas congregationes, antepraeparatoriam scilicet et praeparatoriam nec non aliam generalem congregationem, quae coram Nobis die xxni mensis Aprilis proxime praeteriti habita est, rebus omnibus acerrimo iudicio investigatis, Nosmetipsi octavo Idus Maii huius anni millesimi nongentesimi vicesimi noni tria proposita miracula constare sollemniter declaravimus, ulteriusque proinde in casu procedi posse. Cum propterea nihil, secundum Sacri Fori instituta, iam superesset, nisi ut Patres Cardinales Sacrae Rituum Congregationi praepositi ceterique de more consulendi rogarentur, num tuto procedi posse censerent ad sollemnem Venerabilis Dei Famuli beatificationem, in generali conventu, die vicesima octava mensis Maii vertentis anni coram Nobis habito, tum iidem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, tum qui aderant Praelati et Consultores unanimi consensu tuto procedi posse responderunt. Nos vero in re tanti momenti mentem Nostram aperire cunctati sumus ut enixis precibus supernum antea auxilium posceremus. Quod quidem cum impense fecissemus septimo Idus Iunii proxime praeterito, in qua die Sacratissimi Cordis Iesu sollemnitas celebratur, adstantibus dilectis filiis Nostris Camillo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Laurenti, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, nec non Alexandro Sanctae Romanae Ecclesiae. Car-

dinali Verde, Causae relatore, itemque reverendus dominis Angelo Mariani, memoratae Rituum Congregationis a Secretis, et Carolo Salotti, Sanctae Fidei promotore, ad sollemnem Venerabilis Dei Famuli Claudii de la Colombière Beatificationem tuto procedi posse auctoritate Nostra pronunciavimus. Quae cum ita sint, precibus permoti plurium Episcoporum, nec non universae Societatis Iesu, auctoritate Nostra apostolica, praesentium Litterarum tenore facultatem facimus ut Venerabilis Dei Famulus Claudius de la Colombière, presbyter professus e Societate Iesu, *Beati* nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus ac lypsana, seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur; itemque permittimus ut imagines eiusdem Servi Dei radiis decorentur. Praeterea, eadem auctoritate Nostra, concedimus ut de illo quotannis Officium recitetur de Communi Confessorum non pontificum cum lectionibus propriis per Nos adprobatis, et Missa de eodem Communi cum orationibus propriis, per Nos pariter adprobatis, celebretur, servatis servandis, sed tamen in dioecesi dumtaxat Gratianopolitana, in qua Dei Famulus natus est, atque in dioecesi Augustodunensi in qua idem Venerabilis Dei Servus migravit ad Dominum; itemque in templis ac sacellis ubique terrarum sitis, quibus utitur Societas Iesu, ab omnibus fidelibus, qui Horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missas attinet, ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus, qui ad ecclesias in quibus festum agitur conveniant. Denique largimur ut sollemnia beatificationis Venerabilis Dei Famuli Claudii de la Colombière, servatis servandis, in dioecesibus supradictis celebrentur nec non in ecclesiis sive sacellis memoratae Societatis Iesu, diebus legitima auctoritate designandis, intra annum postquam eadem sollemnia in sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana peracta fuerint. Non obstantibus constitutionibus atque ordinationibus apostolicis nec non decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuslibet. Volumus autem ut praesentium Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrae Rituum Congregationis subscripta sint, et sigillo Cardinalis Praefecti obsignata, eadem prorsus fides in disceptationibus, iudicialibus quoque, habeatur, quae voluntatis Nostrae significationis hisce Litteris ostensis, haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvi mensis Iunii anno **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P, C**ARD.** G**ASPARRI,** *a Secretis Status.*

ilt

VENERABILIS DEI FAMULUS DEE, G0MIDAS KEUMURGIAN SEU COSMA DE C AB-BONIAMO, PRESBYTER, ET PAROCHUS ARMENUS, BEATUS RENUNTIATUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Martyrum corona ab incunabulis Ecclesiae ad nostra usque tempora Christi relligio continenter redimita fulsit; ingenti enim numero ad catholicas veritates testandas martyres ubique locorum, omnique tempore, ex quacumque natione sanguinem suum fuderunt. Persecutores pariter ex quacumque exstitere natione, ordine, condicione, ac non modo adversam probati notique nominis Christi, sed etiam falsi fratres saepe fuerunt. Sic quidem evenit Servo Christi Cosmae de Carboniano, qui ex nobilissima ac tam inf elice Armenorum natione, opera praesertim primorum suae gentis, martyrium occubuit. Ex nobili genere, anno millesimo sexcentésimo quinquagesimo sexto natus est Constantinopolitana in civitate Der Gomidas Keumurgian, quem etiam vocant Cosmam de Carboniano. Adhuc adulescens, magistro quodam schismaticorum armenorum Praesule, in litteris valde profecit, atque acri ingenio donatus omnium cum laude in philosophiam aeque ac theologiam incubuit. Suae gentis more postea duxit uxorem atque in omnibus pater familias christianus in exemplum adducendus fuit. Dein sacerdotio auctus atque ad Constantinopolitanum clerum adscriptus, adeo vitae integritate virtutibus que, quibus fulgebat, doctrina rei sacrae, quam alios docebat, sodalium, populique existimationem et reverentiam sibi conciliavit, ut, archipresbyterali dignitate insignitus, ecclesiae paroeciali Sancti Georgii Sulumanistiriensis a moderatoribus suis praepositus sit. Suscepto autem munere functus est sollertia studioque haud communibus; pietate vero in Deum perspicua, eximia in fideles caritate, instituto morum praestanti enituit; in divinarum Scripturarum lectione studioque sedulus, Deo tantum servire contendit ac veritatem addiscendam continenter quaesivit. Ob instantem profecto suum erga veritatem amorem, Dei gratia, catholicam religionem tandem cognoscere meruit, eandemque toto pectore amplecti. Ex eo ipso tempore, plane divino consilio respondens, Apostolicam et Romanam fidem tuendam provehendamque curavit. Nil mirum propterea si ex vehementioribus atque errore magis irretitis schismaticis plures de medio tollere statuere Dei Servum, qui, argumentosus contionator atque insignis, ceteris nationis suae ut, schismate abiurato, ad romanam unitatem redi-

rent faene suadebat. Animos quidem mentesque auditorum alliciebat tum optima contionandi methodo tum nitore vitae, quam in exemplum ducebat. Caritate erga proximum conspicuus, decem annos Venerabilis Dei Famulus pro spirituali Armenorum salute impense laboravit, angustiis vexationibusque spretis, quibus adversariisine intermissione vehementer illum angebant, iugiter totum Dei voluntati sese committens, aliquando etiam exoptans, ut omnes ad unitatem Fidei reducerentur, pro vera Iesu Christi doctrina mortem subire. Eum tandem per vim rapiunt noctu de domo eius adversari! ac milites turcarum a primoribus ducti factionis haereticorum, qui potissimum eiusdem mortem expetebant. Postridie vero non sine contumeliis, iniuriis verberibusque, crimine eversionis rerum turcarum accusatus, in carcerem conficitur. Pluries ad tribunalia ductus, coram magistratibus crimina falsò sibi tributa facile dissolvit; at interea fortiter catholicam fidem ita confessus est, ut denique a quodam iudice, quem amplissimis muneribus haeretici subornaverant, capite damnatus sit. Oblatam sibi postea libertatem ea condicione ut ad Mahumetanorum relligionem transiret, atque honores, quos in praemium princeps turcarum, tanti viri virtute commotus, ei pollicebatur, viriliter recusavit. Die vero quinta Novembris anni millesimi septingentesimi septimi, sacra antea in carcere exhomologesi expiatus et Eucharistia refectus, fortis christianus et Christi Servus symbolum Apostolicum ex corde recitans, capite obtruncato, occisus est. Martyris corpus, funere conf ertissimo ad Graecorum templum delatum atque in a vitum sepulcrum honorifice humatum, pie dein invisere catholici et schismatici, qui ex ipsis gloriosi eiusdem obitus diebus ad nostra usque tempora non modo Venerabilis Servi Dei memoriam, sed eiusdem quoque reliiquias magna pietate studioque servarunt, tanquam reliiquias veri Christi Martyris, iam potentis apud Deum intercessoris ad obtinendas gratias invocandi. His itaque attento studio perpensis, Nos ipsi undecimo Kalendas Maias vertentis anni millesimi nongentesimi vicesimi noni, die dominica tertia post Pascha, de ipsius Cosmae de Carboniano martyrio martyriique causa constare sollemniter decrevimus. Hoc autem Nostrum iudicium paraverant historicae notitiae ex authenticis documentis et iuratis testium depositionibus collectae, quas loco processus informativi rec. mem. Decessor Noster Pius Pp. IX habendas esse benigne indulsit; eisdemque accesserunt decretum huius Causae Introductionis, item conventus de more, antepraeparatorius, scilicet, die vi mensis Martii anno MDCCCCXXVIII habitus et praeparatorius die x v Ianuarii huiusmet anni coactus; ac demum Sacrorum Eituum generalis congregatio, quae die ix mensis Aprilis proxime praeteriti, in Aedibus Vaticanis coram Nobis convocata, communi sententia eorum qui convenerant, de eodem Famuli Dei

martyrio ac de causa martyrii constare affirma vit. Super signis sive miraculis propterea dispensatum est. Qua re cum illud unum superes - set ut Sacrorum Eituum Gardinales et Consultores rogarentur, an, stante adprobatione martyrii causaeque martyrii, nec non dispensatione a signis sive miraculis, tuto procedi posse censerent ad sollemnem eiusdem Cosmae de Carboniano beatificationem, in generalibus comitiis die septima praeteriti mensis Maii, coram Nobis habitis tum iidem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales tum qui aderant Praelati et Consultores tuto procedi posse responderunt. Nos tamen in re tanti momenti mentem Nostram aperire eunctati sumus ut enixis precibus supernum antea lumen poseeremos. Quod quidem cum fecissemus Feria secunda Pentecostes, religiosissime litato Eucharistico Sacrificio, adstantibus dilecto filio Nostro Camillo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Laurenti, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, nec non dilecto filio Nostro Francisco Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Ehrle, Causae ponenti, Remque reverendus dominis Angelo Mariani, eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis a Secretis, et Carolo Salotti, Fidei promotore generali, *tuto* procedi posse ad sollemnem Venerabilis Dei Famuli Cosmae de Carboniano beatificationem sollemniter ediximus. Quapropter precibus permoti Episcoporum ex Armenorum natione nec non catholicorum ex eadem nobilissima gente, auctoritate Nostra Apostolica concedimus ut Venerabilis Dei Servus Der Gomidas Keumurgian, alias Cosma de Carboniano nuncupatus, presbyter et parochus armenus, *Beatus* in posterum vocetur, eiusdemque corpus seu relliquiae publicae fidelium venerationi proponantur, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferenda; itemque permittimus ut eiusdem Dei Servi imagines radiis decorentur. Praeterea, eadem Nostra auctoritate, largimur ut quotannis de eodem Dei Famulo Ofiicium recitetur de Communi unius Martyris cum Lectionibus propriis per Nos adprobatis, et Missa pariter de eodem Communi, servatis rubricis, cum orationibus propriis per Nos item adprobatis celebretur. Huiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus in archidioecesi Constantinopohtana Armenorum, in qua Dei Famulus natus est ac migravit ad Dominum, nec non in omnibus templis ubique terrarum sitis, quae ad nationem Armenorum pertineant, ab omnibus fidelibus, tam saecularibus quam regularibus, qui Horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet, ab omnibus presbyteris ad templa continentibus, in quibus eiusdem Beati festum celebretur. Denique statuimus ut sollemnia Beatificationis eiusdem Venerabilis Dei Servi Cosmae de Carboniano, servatis servandis, in archidioecesi supradicta, die ab Ordinario designando, nec non in tempus praedictis peragantur intra annum ab iisdem sollemnibus in Sacrosancta Patriarchali Basifica Vaticana rite peractis.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuslibet. Volumus autem, ut praesentium Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretam enunciatae Sacrorum Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significatione hisce Litteris ostensis, haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxin mensis Iunii anno **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. C**ARD.** G**ASPARRI,** *a Secretis Status.*

IV

VENERABILIS DEI SERVUS FRANCISCUS MARIA A CAMPORUBEO, LAICUS PROFESSUS ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CAPUCCINORUM, BEATUS RENUNTIATUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Mites corde et pauperes spiritu in Evangelio beati nuncupantur; ipsorum est enim regnum caelorum; quod ad adipiscendum humilitate, mansuetudine, paupertate, in Ecclesia Christi coetus quoque hominum peculiares seu Ordines aliquando constituuntur; qui ab incunabulis suis ad nostra usque tempora viris fulsere continenter, qui spectatissimas easdem virtutes ad exemplum coluere. Quos inter coetus vere memorandus est Capuccinorum Ordo, qui, quamvis sextodecimo tantum saeculo exortus, tot tantisque tamen suis potest gloriari sectatoribus, quos, cum praesertim animi candore et simplicitate enituerint, in virorum Evangelii numerum, qui mites sunt corde et pauperes spiritu, referre debemus. Hisce vero Franciscus Maria a Camporubeo, laicus professus praelandati Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, temporibus nostris est quoque adiungendus, qui, vitam adhuc mortalem agens, quamvis iugiter frater operarius, *Patris sancti* nomen merito sibi comparavit. Ventimiliensis dioecesis intra fines in parvo vico, quem vocant a Camporubeo, Dei Servus die vicesima septima Decembris anno millesimo octingentesimo quarto natus est; eiusque parentes, agricolae honesta vita spectati, illum ad sacrum fontem Ioannem nuncuparunt. A teneris unguiculis puer ad pietatis opera se maxime proclivem ostendit, ac spiritualibus parochi curis, cui instituendus a parentibus traditus fuerat, plane respondit. Adulescens, pascendo gregi paterno

addictus, pie Sacrificio Missae cotidie adstabat; in iuvenilibus vero solaciis fastidiens, vel ad orandum incumbebat vel aetate aequales christianam catechesim docebat. Postea perfectioris vitae christianae institutum aggrediens, biennium *Sexti* in coenobio Fratrum Conventualium mansit; sed ad austeriorem vitam Dei gratia vocatus, primum Vulturii apud Capulatos humili tertiarii condicione fuit, dein Ianuam missus ut in Sancti Barnabae conventu tyrocinium expleret, ibi, sumpto religioso Francisci Mariae nomine, mense Decembri anni millesimi octingentesimi vicesimi sexti sollemnia vota nuncupavit. Haud multo post a moderatoribus translatus est in alterum sub titulo Virginis Immaculatae Ianuensem conventum, in quo usque ad obitum suum vixit. In eadem autem domo, iuvenis adhuc, per septennium humillimo animo ac libentissimo muneribus functus est, quae iuxta Ordinis consuetudines fratribus operariis imponi solent; in eisdemque peragendis, sereno atque hilari vultu iugiter procedens, absoluta moderatorum suorum etiam arduis et perdifficilibus mandatis obedientia, continenti rigidoque silentio, nitida regularum observantia in exemplum enituit. Pari vero sollertia ac diligentia officium postea sibi commissum quaeritandi stipem pro conventu conventusque valetudinario explevit. Sed tunc humile huiusmodi atque obscurum munus Dei Servus mirabiliter ad dignitatem atque efficaciam evexit veri apostolatus, quem tum in viis, tum in plateis, in officinis aliquando, in tabernis quoque cotidie exercuit. Cum enim Dei Servus, sui muneris caussa, inter populares plebeosque ianuenses assidue versaretur, magnam habuit miseriae omne genus et calamitatum notitiam, quibus praesertim vulgus affligitur ac debilitatum propterea que eximia commotos in proximum caritate, ex quacumque causa rationeque opportunitatem arripiens, toto animo in pauperes indigentesque adiuvandos, ad eorundem salutem aeternam intentus, consiliis quoque hortationibusque incumbebat; afnictationesque animorum reficiens, iniurias quandoque sibi inlatas serena fronte sustinens, necessaria pro Christi amore sibi denegans; continenter prudens in rebus agendis, iugiter erga moderatores maioresque obsequens; humilis, benignus usque ad obitum perfectum fratris quaesitoris exemplum se omnibus praebuit. Castitatis autem ac paupertatis amore flagrabat, pietate in Deum ac singulari devotione in Deiparam atque in patronos suos Franciscum Asisiatem et Antonium Patavinum enitebat. Christianis profecto virtutibus omnibus praeter communem modum ornatus, donisque supernaturalibus etiam praeditus, a piis pariter atque ab impiis, a viris dignitate ac scientia praestantibus aeque ac a vulgo uti sanctus, habebatur. Anno vero millesimo octingentesimo sexagesimo sexto Cum pestifer morbus lanuensi in urbe grassaretur, Dei Famulus ut tantum a suorum civium capitibus arceretur exitium, misericordia motus, Deo suam

generose vitam obtulit; oblatumque holocaustum sibi acceptum fuisse Deus significavit, cum brevi Frater Franciscus Mariae a Camporubeo in morbum ceciderit, ac die decima septima Septembris pie sancteque migraverit ad Dominum. Sed Famulo Dei demortuo, vis quoque furentis morbi cito deferbuit, ac penitus brevi tempore exstincta est. Venerabilis Famuli Dei corpus in coemeterio, quod *Stagliene-* nuncupant, rite compositum ac pie reconditum, postea ianuensium pietate impensisque a communi sepulcro in monimentum marmoreum translatum est; ibique illud cives cuiusvis generis atque ordinis grati memoresque hodie adhuc invisunt. Increbrescente vero magis magisque in dies humilis laici professi ex Ordine Capuccinorum fama sanctitatis, ordinaria quoque inquisitione de hac re in curia Ianuensi expleta, penes Sacrorum Eituum Congregationem causa agitari coepta est de Beatorum caelitum honoribus ipsi Dei Servo tribuendis, ac rec. mem. Decessor Noster Leo Pp. XIII die nona Augusti anno millesimo-octingentesimo nonagésimo sexto Introductionis Causae Commissionem signavit. Probationibus dein absolutis de heroicis virtutibus ipsius Dei Famuli, Nos, sollemni decreto, decimo sexto Kalendas Ianuarias anni millesimi nongentesimi vicesimi secundi edito, Venerabilis Dei Servi Francisci Mariae a Camporubeo virtutes heroicum attigisse fastigium pronunciavimus. Agitata dein quaestione de duobus miraculis, quae a Deo patrata ferebantur per eiusdem Venerabilis Dei Famuli intercessionem, post duas congregationes, antepraeparatoriam scilicet die xix mensis Iunii anno MDCCCCXXVIII habitam et praeparatoriam die xxvi mensis Februarii vertentis anni coactam, nec non aliam generalem congregationem, coram Nobis celebratam die septima praeteriti mensis Maii, rebus omnibus acerrimo iudicio investigatis, Nosmetipsi tertio decimo Calendas Iunii huius anni millesimi nongentesimi vicesimi noni duo proposita miracula constare sollemniter declaravimus, ulteriusque proinde in casu procedi posse. Cum autem esset de gradu heroico virtutum ac de miraculis prolatum consilium, illud tantum supererai discutiendum, num Venerabilis Dei Famulus inter Beatos coelites tuto foret recensendus. Hoc dubium propositum est a venerabili fratre Nostro Ianuario Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Pignatelli di Belmonte, Episcopo Albanensi, Causae Relatore, in Comitiis generalibus coram Nobis habitis die xxvni mensis Maii nuper elapsi, omnesque qui aderant tam Cardinales quam Sacrorum Rituum Consultores ac Praelati unanimi consensu affirmative responderunt. Nos tamen in re tanti momenti Nostram mentem aperire distulimus donec enixis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem die septima Iunii, in qua sollemne est actum festum Sacratissimi Cordis Iesu, divinis devotissime operati, accitisque dilecto filio Nostro Camillo Sanctae

Eomanae Ecclesiae Cardinali Laurenti, Sacrorum Eituum Congregationi Praeposito, nec non venerabili fratre Nostro Ianuario **S.** E. E. Cardinali Pignatelli di Belmonte, Episcopo Albanensi, Causaeque Eelatore, una cum reverendus dominis Angelo Mariani Sacrorum Eituum Congregationis a Secretis, et Carolo Salotti, Sanctae Fidei Promotore generali, ad sollemnem Venerabilis Dei Famuli Francisci Mariae a Camporubeo beatificationem *tuto* procedi posse, auctoritate Nostra, ediximus. Quae cum ita sint, universi Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum vota implentes, auctoritate Apostolica Nostra, praesentium Litterarum tenore facultatem facimus ut Venerabilis Dei Servus Franciscus Maria a Camporubeo, laicus professus praelaudati Ordinis Capuccinorum, *Beati* nomine in posterum nuncupetur; atque eius corpus ac lipsana, seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferenda, publicae fidelium venerationi proponantur; eiusdemque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Nostra Apostolica auctoritate largimur ut de illo quotannis recitetur Officium de Communi Confessorum non pontificum cum lectionibus propriis per Nos adprobatis, et Missa de eodem Communi cum orationibus propriis, pariter per Nos adprobatis, celebretur, servatis servandis, sed tamen in dioecesi dumtaxat Ventimiliensi, in qua Dei Famulus natus est, atque in archidioecesi lanuensi in qua idem Venerabilis Dei Servus ad. Dominum migravit; itemque in templis ac sacellis ubique terrarum sitis, quibus utitur Ordo Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, ab omnibus fidelibus, qui Horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad. Missas attinet, ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus, qui ad ecclesias in quibus Beati festum agitur conveniant. Denique concedimus ut sollemnia beatificationis Venerabilis Dei Famuli Francisci Mariae a Camporubeo, servatis servandis, in dioecesibus supradictis celebrentur, nec non in templis sive sacellis memorati Ordinis Capuccinorum, diebus legitima auctoritate designandis intra annum postquam eadem sollemnia in sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana peracta fuerint. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis nec non decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuslibet. Volumus autem ut praesentium Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrae Eituum Congregationis subscripta sint, et Sigillo Cardinalis Praefecti obsignata, eadem prorsus fides in disceptationibus, iudicialibus quoque, habeatur, quae voluntatis Nostrae significatione hisce Litteris ostensis, haberetur.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxx mensis Iunii anno **MDCCCOXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. C**ARD.** G**ASPAKRI,** *a Secretis Status.*

ACTA **SS.** CONGREGATIONUM
ACTA

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. omen

I

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 3 Iunii 1929

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis S. Officii, Emi ac Rmi DD. Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito DD. Consultorum voto, praedamnatum esse declararunt, iuxta can. 1399, 2, 3, 4, et in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt, tum in originali lingua dana, tum in versione germanica, opus, cui titulus:

DITLEF NIELSEN, *Den hisioriske Jesus.* Forlagt af H. Aschehoug et Co. Kobenhavn, 1924.

DITLEF NIELSEN. *Der geschichtliche Jesus.* Deutsche Bearbeitung von **HILDEBRECHT HOMMEL** nach dem erweiterten dänischen Original. Meyer und Jessen Verlag, München.

Et insequenti Feria V, die 4 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. D. Pius divina Prov. Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii concessa, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, 27 Iulii 1929.

A. Subrizi, *Supremae S. C. S. Officii, Notarius.*

II

DUBIUM

Huic Supremae Sacrae Congregationi Sancti Officii proposito dubio: «Utrum licita sit masturbatio directe procurata ut obtineatur sperma, quo contagiosus morbus, *blenorragia* scientifice detegatur et quantum fieri potest curetur »

Emi ac Revmi DD. Cardinales Inquisitores generales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito RR. PP. Consultorum voto, feria IV, die 24 Iulii 1929, respondendum esse censuerunt: *Negative.*

Et in sequenti feria VI, die 26 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. D. Pius divina Prov. Pp. XI, in audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit et publicandam iussit.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 2 Augusti 1929.

A. Subrizi, *Supremae S. C. S. O. Subst. Notarius.*

SACRA CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

NORMAE OBSERVANDAE IN PROCESSIBUS SUPER MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO AD PRAECAVENDAM DOLOSAM PERSONARUM SUBSTITUTIONEM.

1 In processibus conficiendis super matrimonio rato et non consummato aliquando malo fato evenire potest, quod quis coram tribunali ad deponendam, aut ad se subiciendum peritorum examini physicorum sistens, alteram personam in ius vocatam, aut quomodolibet in processu partem habentem, dolo substituat. Praesertim in magnis urbibus, ob tam facilem et frequentem de uno in alium locum transmigrationem, hoc facinus est praecavendum.

Haec Sacra Congregatio proinde de sanctitate tanti Sacramenti sollicita, et ne iudicialis inquisitio ad fraudes potius texendas quam ad veri-

tatem cognoscendam inserviat, in huiusmodi processibus has normas servandas esse decrevit.

1. § 1. Officiales huiusmodi causis instruendis praepositi in processus instructione de identitate personarum, quae in tribunali sistunt, et in primis oratoris partisque conventae, diligenter inquirant; et ad hoc expostulent appositum documentum a potestate ecclesiastica aut civili rite confectum, in originali aut in authentico exemplari in actis asservandum.

§ 2. Authenticum exemplar, si singulas personarum notas in huiusmodi documentis signari solitas referre non valeat, ut puta imaginem arte photographica expressam, eas tamen sedulo referat, quae unam personam ab alia non aequivoce distinguant.

§ 3. Quod si huiusmodi documentum haberi non possit, per alia aequipollentia documenta, vel per testes, in tuto ponatur personarum identitas: et huiusmodi documenta aut attestationes in actis pariter serventur.

§ 4. Si vero iudex instructor aut vinculi defensor aut actuarius probe noscant oratorem seu oratricem aut partem conventam, praetermisso apposito documento identitatis, de certa qua pollent notitia ipsorum in actis fidem faciant.

2. In iudiciali continuanda inquisitione eaedem cautelae serventur quoad testium personas et peritorum quoque, seu obstetricum.

3. Huiusmodi cautelas studiosius, prouti qualitas personarum expostulat, observare oportet, quoties aut orator, aut pars conventa, aut testes aut periti ex commissione rogatoria apud aliam Curiam excutiendi sint.

4. § 1. Quoties orator vel pars conventa physicum experimentum subire debeat, documenta de personae identitate iam in actis asservata, aut eorum exemplaria dentur peritis aut obstetricibus, ut ipsis bene explorata sit persona examini subiicienda.

§ 2. Quoties periti, obstetrices aut matrona, respective, quodam in examine partem habentes, personam explorandam personaliter cognoscant, adeo ut sit supervacaneum praefata documenta transmittere, de hac circumstantia in actis fides fiat.

§ 3. Peracto examine, dum peritis aut obstetricibus consueta interrogatoria fiunt, ad comparendum coram tribunali citetur etiam persona examini subiecta, ut de personae identitate interrogationes ei appositae fiant.

§ 4. Quod si persona comparere nolit aut non possit, de identitate ipsius experimento submissae aeque fiant interrogationes, habita ratione tum peritorum relationis, tum documentorum, quae ad hunc finem transmissa fuere, ut dictum est in § 1.

5. Huiusmodi cautelae severius, prout casus feret, erunt observandae, si experimentum habeatur apud aliam Curiam ex mandato rogatorio. •

6. Fieri potest quod nonnullis omissis cautelis, vel iisdem non rite observatis, aut non satis proficientibus, substitutio personae dolosa accidat et detegatur, idque contingat:

I° processu adhuc durante;

2° clauso, processu sed nondum Romam transmisso;

3° processu iam Romam transmisso.

1° - § 1. Processu adhuc durante, iudex inquirat an orator seu oratrix aut pars conventa substitutionem procuraverit; et si hanc pars oratrix comparaverit, et conventa non se opponat, audito vinculi defensore, decernat partem oratricem iure decidisse instantiam ulterius producendi, et hoc apposito decreto declaret, in actis asservando.

§ 2. Si pars conventa se opponat, iudex, aeque audito vinculi defensore, statuat utrum et quibus adhibitis diligentiis sit ulterius procedendum.

§ 3. Quod si pars conventa sibi comparaverit dolosam substitutionem, iudex, audito oratore seu oratrice et vinculi defensore, edicat quid in casu praestandum sit ad fraudis effectus penitus removendus, et factorum veritatem stabiliendam attentis omnibus casus circumstantiis.

§ 4. Si pars oratrix et conventa in dolosam substitutionem conspiraverint, processualem inquisitionem haud ulterius procedere-posse declaret et decernat iudex, eidemque finem imponat.

§ 5. Parti oratrici, quae facti poenitens se excuset, et novis adductis argumentis petat ad ulteriora procedi, iudex instructor, re collata cum defensore vinculi, habita ratione praecipue novarum deductionum, et alterius fraudis omni excluso periculo, poterit annuere, decernendo ulteriorem instructionis prosecutionem.

§ 6. Si substitutio dolo facta sit non a parte oratrice aut conventa, sed ab alia persona, iudex statuat, accedente defensoris vinculi consilio, quomodo fraudis effectibus consuli possit, ne veritas aliarum attestationum, aut totus processus labefactetur.

2° - § 1. Detecta dolosa substitutione, et clauso iam processu, at Romam nondum transmisso, Ordinarius, audito iudice instructore et defensore vinculi., statuat utrum ex dolosa substitutione sua vi destituatur integer processus, aut tantum ex quadam parte; et utrum expediat per actorum supplementum occurrere dolosae substitutionis vitio.

§ 2. Casu quo dolosa substitutio acciderit ad impetëndam oratoris aut oratricis intentionem, adeo ut eamdem magis confirmari praesumi liceat, Ordinarius in transmittendis actis Romam, rem distincte explicet et declaret.

§ 3. At non semel expediens erit, servatis servandis, ut acta processus ulterius compleantur, ad facta clarius explicanda.

'3° Quoties detegatur dolosa substitutio, processu iam Romam transmisso, Ordinarius satagat illico ad banc Sacram Congregationem transmittere suas animadversiones, audito iudice instructore et vinculi defensore, referens singulas circumstantias facti, et praesumptam causam fraudis et occasionem.

7. Ad compescendum huiusmodi facinus, iudices, instructores et Ordinarii prae oculis habeant praescripta canonum 1743 § 3°, 1755 § 3° et 2362 eaque applicent, congrua congruis referentes.

In his edendis normis, mens est huic Sacrae Congregationi, ut hae censeantur quid unum efficere cum Regulis editis die 7 Maii 1923; quae iam uberes fructus attulerunt in processuum instructione super matrimonio rato et non consummato, atque maiores in posterum allaturas esse sperare fas est, si istae exactius in usum forensem traducantur et intimius perspiciatur earumdem intentio, quae plurimum in partium ac testium bona fide fundatur; haec autem asseritur et confirmatur per iusiurandum, quo in praestando, maxime partes exploratum et sibi firme persuasum habere debent, tantummodo veritati obsequendum esse, ne animabus suis, et forte filiis, malum paene irreparabile inferant. Hoc sedulo iudex explicare et inculcare numquam praetermittat.

Cum porro Emi ac Revmi Patres Cardinales Sacrae Congregationi de disciplina Sacramentornm praepositi, praefatas normas maturo examini subiecissent, in plenariis Comitiis diei 23 martii c. a. easdem probarunt et publici iuris fieri, si ita SSmo placuerit, rescripserunt. SSmus autem D. N. Pius Papa XI, in Audientia die 27 Martii 1929 habita ab infrascripto Secretario S. C, haec omnia adprobare et confirmare dignatus est.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die 27 Martii 1929.

£g M. CARD. LEGA, Episcopus Tusculanus, *Praefectus.*

L. © S.

D. Jorio, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO CONCILII

AD R. P. D. ACHILLETJM LIÉ WART, EPISCOPUM INSULENSEM, DE QUODAM CONFLICTU INTER OPIFICES HEROSQUE OPERARUM IN REGIONE SUBORTO.

Ulme ei Revme Seigneur. -— Cette Sacrée Congrégation du Concile, saisie d'un recours de M. Eugène Mathon, au nom du *Consortium* des Patrons de la région Roubaix-Tourcoing, et priée de donner son jugement sur le conflit qui s'est élevé entre ledit *Consortium* et les syndicats ouvriers chrétiens de la même région, après un attentif et mûr examen de la grave et délicate question, a pris les délibérations suivantes, qu'elle communique à Votre Grandeur, dans l'espoir que, notifiées aux parties intéressées, elles pmssent faire cesser le différend et opérer la concentration de toutes les forces des catholiques contre les ennemis de la religion et de l'ordre social.

Avant tout, la Sacrée Congrégation juge opportun de rappeler qu'on ne saurait mettre en doute la compétence de l'Eglise en pareille matière, sous le prétexte qu'il s'agit d'intérêts purement économiques. Léon XIII proclama cette compétence lorsque, envisageant, dans l'Encyclique *Rerum novarum,* les rapports entre patrons et ouvriers, il déclarait: « C'est avec assurance que Nous abordons ce sujet, et dans toute la plénitude de Notre droit ». De même Pie X, dans l'Encyclique *Singulari quadam,* du 24 Septembre 1912, disait: «La question sociale et les controverses qui s'y rattachent relativement à la nature et à la durée du travail, à la fixation du salaire, à la grève, ne sont pas purement économiques et susceptibles, dès lors, d'être résolues en dehors de l'autorité de l'Eglise ». Il sera par conséquent utile, et même nécessaire, de rappeler aux parties, dans leurs grandes lignes, les principes de la doctrine sociale catholique et les directives pratiques d'ordre moral, émanées de la suprême Autorité ecclésiastique en vue de régler les organisations et l'activité des syndicats chrétiens.

L — *L'Eglise reconnaît et affirme le droit des patrons et des ouvriers de constituer des associations syndicales, soit séparées, soit mixtes, et y voit un moyen efficace pour la solution de la question sociale.*

« Les maîtres et les ouvriers eux-mêmes peuvent singulièrement aider
« à la solution, par toutes les œuvres propres à soulager efficacement l'indi-
ce gence et à opérer un rapprochement entre les deux classes... Mais la
« première place appartient aux corporations ouvrières qui, en soi, embras-

«senta peu près toutes les œuvres... Aujourd'hui, les générations étant « plus cultivées, les mœurs plus policées, les exigences de la vie quotidienne « plus nombreuses, il n'est point douteux qu'il ne faille adapter les corpo- « rations à la condition nouvelle. Aussi est-ce *avec plaisir que Nous voyons « se former partout des sociétés de ce genre, soit composées des seuls ouvriers, « soit mixtes,* réunissant à la fois des ouvriers et des patrons; *il est à désirer « qu'eues accroissent leur nombre et Vefficacité de leur action* » (Léon XTIT, *Berum novarum,* 15 Mai 1891).

« Quand il s'agit de se grouper en sociétés, il faut bien prendre garde « de ne pas tomber dans l'erreur. Et ici Nous voulons parler nommément « des ouvriers, *qui ont certes le droit de s'unir en associations afin de pourvoir « à leurs intérêts: l'Eglise y consent et la nature ne s'y oppose pas* » (Léon XIII, *Longinqua Oceani,* 6 Janv. 1895).

II. — *L'Eglise, dans l'état acUiél des choses, estime moralement nécessaire la constitution de telles associations syndicales.*

« Jamais assurément, à aucune autre époque, on ne vit une si grande « multiplicité d'associations de tout genre, surtout d'associations ouvrières. « D'où viennent beaucoup d'entre elles, où elles tendent, par quelle voie, ce « n'est pas ici le lieu de le rechercher. Mais c'est une opinion confirmée par « de nombreux indices, qu'elles sont ordinairement gouvernées par des chefs « occultes et qu'elles obéissent à un mot d'ordre également hostile au nom « chrétien et à la sécurité des nations: qu'après avoir accaparé toutes les « entreprises, s'il se trouve des ouvriers qui se refusent à entrer dans leur « sein, elles leur font expier ce refus par la misère. Dans cet état de choses, « les ouvriers chrétiens n'ont plus qu'à choisir entre deux partis: ou s'ins- « crire dans ces associations périlleuses pour la religion, ou en former eux- « mêmes d'autres et unir ainsi leurs forces afin de pouvoir se soustraire « hardiment à un joug si injuste et si intolérable. *Qu'il faille opter pour ce « dernier parti,* est-il personne, ayant vraiment à cœur d'arracher le plus « grand bien de l'humanité à un péril imminent, qui puisse avoir là-dessus « le moindre doute? » *(Berum novarum).*

III. — *L'Eglise exhorte à constituer de telles associations syndicales.*

« Nous exhortons en premier lieu à constituer parmi les catholiques « de ces sociétés qui s-établissent un peu partout à l'effet de sauvegarder « les intérêts sur le terrain social. Car ce genre de sociétés est très adapté «à nos temps: elles permettent à leurs membres d'aviser à la défense de «leurs intérêts en même temps qu'à la conservation de la foi et de la « morale » (Pie X, aux Archevêques et Evêques du Brésil, 6 Janvier 1911).

Le même Pontife exhortait le Comte Medolago Albani, par une lettre

du 19 Mars 1904, en ces termes: «Continuez donc, cher fils, comme vous « l'avez fait jusqu'à présent, à promouvoir et à diriger, non seulement des « institutions de caractère purement économique, mais encore d'autres qui « leur sont apparentées, les Unions professionnelles, ouvrières et patrona- « lès, établissant entre elles la bonne entente; les Secrétariats du peuple, « qui donneront des conseils d'ordre légal et administratif...; les encourage- « ments les xjlUS réconfortants ne vous manqueront pas ».

Et aux Directeurs de l'*Union Economique Italienne,* il adressait ces paroles: « Quelles institutions devrez-vous de préférence promouvoir dans « le sein de votre Union? Votre industrieuse charité en décidera.

(Quant à Nous, celles qu'on appelle des Syndicats Nous semblent très « opportunes ».

Benoît XV écrivait, le 7 Mai 1919, au chanoine Murry, d'Autun, par l'intermédiaire du Cardinal Secrétaire d'Etat, qu'il « désire voir faciliter «l'accès des syndicats vraiment professionnels, et se répandre sur toute « l'étendue du territoire français, de puissants syndicats animés de l'esprit « chrétien, rassemblant en de vastes organisations générales, fraternellement « associés, travailleurs et travailleuses des diverses professions. Il sait bien « qu'en formulant ces encouragements, il sert tout ensemble, avec lés inté- « rets les plus sacrés de la classe ouvrière, ceux de la paix sociale, dont il « est le suprême représentant, et aussi ceux de la noble nation française, « qui lui tient tant à cœur ».

Le Pape Pie XI, glorieusement régnant, faisait écrire, le 31 Décem- bre 1922, par le Cardinal Secrétaire d'Etat à M. Zirnheld, Président de la Confédération française des Travailleurs Chrétiens: « C'est avec le plus vif « plaisir que le Saint-Père a appris le progrès de ce groupement, qui tâche «d'obtenir l'amélioration des classes laborieuses par la mise en pratique « des principes de l'Evangile tels que l'Eglise les a toujours appliqués à « la solution des questions sociales ».

« Le Saint-Père forme les meilleurs vœux, afin que les membres catholi- « ques de vos groupements aient toujours à cœur de maintenir leur foi vive « et leur piété fervente par la fréquentation régulière des différentes prati - « ques religieuses catholiques dans lesquelles ils puisent, avec les moyens « de sanctification personnelle, les ardeurs du zèle et du dévouement qu'ils « témoignent dans les associations syndicales... »

IV. — *L'Eglise veut que les associations syndicales soient établies et régies selon les principes de la Foi et de la Morale chrétienne.*

« On doit prendre pour règle universelle et constante d'organiser et de « gouverner les corporations de façon qu'elles fournissent à chacun de leurs

« membres les moyens propres à lui faire atteindre, par la voie la plus aisée « et la plus courte, le but qu'il se propose, et qui consiste dans l'accroisse« ment le plus grand possible des biens du corps, de l'esprit, de la fortune. « Mais il est évident qu'il faut viser avant tout l'objet principal, qui est le « perfectionnement moral et religieux; c'est surtout cette fin qui doit régler «toute l'économie de ces sociétés; sinon elles dégénéreraient bien vite et « tomberaient, ou peu s'en faut, au rang des sociétés où la religion ne tient « aucune place » (Léon XIII, *Berum novarum).*

« Tel est précisément le motif pour lequel Nous n'avons jamais engagé « les catholiques à entrer dans des associations destinées à améliorer le sort « du peuple, ni à entreprendre des œuvres analogues, sans les avertir en « même temps que ces institutions devaient avoir la religion pour inspi« ratrice, pour compagne et pour appni » (Léon XIII, *Graves de communi,* 18 Janvier 1901).

« Quoi qu'il fasse, même dans l'ordre des choses temporelles, le chré« tien n'a pas le droit de négliger les intérêts surnaturels; bien plus, les « prescriptions de la doctrine chrétienne l'obligent à tout diriger vers le « Souverain Bien comme vers la Fin dernière » (Pie X, *Singulari quadam,* 24 Septembre 1912).

Y. — *VEglise veut que les associations syndicales soient des instruments de « concorde et de paix, et dans ce but elle suggère Vinstitution de Commissions « mixtes comme un moyen d'union entre elles.*

« Ceux qui se glorifient du titre de chrétiens, qu'ils soient pris isolément « ou en tant que groupés en associations, ne doivent pas, s'ils ont conscience « de leurs obligations, entretenir entre les classes sociales des inimitiés et des «rivalités, mais la paix et la charité mutuelle » (Pie X, *Singulari quadam).*

« Que les écrivains catholiques, en prenant la défense de la cause des « prolétaires et des pauvres, se gardent d'employer un langage qui puisse « inspirer au peuple de l'aversion pour les classes supérieures de la société... « Qu'ils se souviennent que Jésus-Christ a voulu unir tous les homnies par le « lien d'un amour réciproque, qui est la perfection de la* justice et qui en« traîne l'obligation de travailler mutuellement au bien les uns des autres » (Instruction de la Sacrée Congr. des Affaires Ecclésiastiques Extraordinaires, 27 Janvier 1902).

« Ceux qui président à ce genre d'institutions (ayant pour but de pro« mouvoir le bien des ouvriers) doivent se souvenir... que rien n'est plus « propre à assurer le bien général que la concorde et la bonne harmonie « entre toutes les classes, et que la charité chrétienne en est le meilleur trait « d'union. Ceux-là travailleraient donc fort mal au bien de l'ouvrier qui,

« prétendant améliorer ses conditions d'existence, ne l'aideraient que pour « la conquête des biens éphémères et fragiles d'ici-bas, négligeraient de dispo- « ser les esprits à la modération par le rappel des devoirs chrétiens, bien plus, « iraient jusqu'à exciter encore davantage l'animosité contre les riches, en « se livrant à ces déclamations amères et violentes par lesquelles des hommes « étrangers à nos croyances ont coutume de pousser les masses au boulever- « sèment de la société » (Benoît XV à l'Evêque de Bergame, .11 Mars 1920).

«... Que les droits et les devoirs des patrons soient parfaitement conci - « liés avec les droits et les devoirs des ouvriers. Afin de parer aux réclama- « tions éventuelles qui s'élèveraient dans l'une ou l'autre classe au sujet « de droits lésés, il serait très désirable que les Statuts eux-mêmes char- « geassent des hommes prudents et intègres, pris dans son sein, de régler « le litige en qualité d'arbitres » (Léon XIII, *Berum novarum).*

« Les associations catholiques doivent, non seulement éviter, mais encore « combattre la lutte des classes comme essentiellement contraire aux prin- « cipes du christianisme... Il est opportun, utile et très conforme aux princi- « pes chrétiens de continuer, en principe, pour autant que cela est pratique- « ment possible, la fondation simultanée et distincte d'Unions patronales et « d'Unions ouvrières, en créant, comme point de contact entre elles, des « Commissions mixtes chargées de discuter et de trancher pacifiquement, « suivant la justice et la charité, les différends qui peuvent surgir entre « les membres de ces deux sortes d'Unions ouvrières » (Lettre du Cardinal Gasparri à *V Union Economique Sociale,* 25 Février 1915).

VI. — *L'Eglise veut que les associations syndicales suscitées par des catholiques pour des catholiques se constituent entre catholiques, sans toutefois méconnaître que des nécessités particulières puissent obliger à agir différemment.*

« Les catholiques doivent s'associer de préférence à des catholiques, à « moins que la nécessité ne les contraigne à agir différemment. C'est là un « point très important pour la sauvegarde de la foi » (Léon XIII aux Evêques des Etats-Unis, 6 Janvier 1895).

Ad perpetuam rei memoriam. — Commissum Nobis divinitus supremi Apostolatus officium postulat ut Ecclesiarum omnium felici statui consulamus et ea sollicito studio decernamus quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere ac feliciter eveniant. Iamvero rec. me. Praedecessor Noster Pius Pp. XI, auctoritate Apostolica exstinxit et abolevit titulum primatialem atque archiepiscopalem Armeniae Constantinopolitanae Ecclesiae; deinde Constantinopolitanae! ecclesiasticam Armenorum provinciam Patriarchatu! Ciliciae perpetuo univit, mandans ut novus Patriarcha eiusdemque successores titulo fruerentur Patriarcharum Ciliciae Armenorum; ut iidem in urbe Constantinopolitana résidèrent eandemque Constantiuopolitauam Ecclesiam ordinaria iurisdictione gubernarent. Voluit insuper ut praedictus Patriarchatus iisdem limitibus coërceretur, quibus Ciliciae Patriarchatus et Primatiatus Constantinopoleos tunc tem-

poris continebantur. Verum cum in praesenti, rerum conditiones aliae omnino sint ac tunc temporis fuerunt, Patriarcha Ciliciae Armenorum hodiernus, venerabilis frater Paulus Petrus XIII Terzian, vota exprimens Armenorum Episcoporum in Urbe congregatorum, Nos enixis precibus flagitavit ut residentiam Patriarchae ipsius eiusque successorem a Constantinopolitana civitate in Libánum transferre velimus. Nos autem votis his annuentes, de consilio venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationi praepositis pro Ecclesia Orientali, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, decernimus ac mandamus, ut, attentis praesentibus rerum adiunctis, sedes seu residentia Patriarchae Ciliciae Armenorum eiusque successorum restituatur in Libano, scilicet in urbe *Beyrouth* prope Bzommar, ubi iam primi Patriarchae Armeni sunt commorati.

Id concedimus, mandamus, statuimus decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum futuris temporibus suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate quavis, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xv mensis Octobris an. MDCCCCXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

IV

RESTITUITUR ARCHIEPISCOPALIS ECCLESIA CONSTANTINOPOLITANA ARMENORUM.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Praedecessor Noster, rec. me., Pius Pp. IX Apostolica auctoritate exstinxit atque abolevit titulum primatialem atque archiepiscopalem Armeniae Constantinopolitanae Ecclesiae. Deinde Constantinopolitanam ecclesiasticam Armenorum provinciam Patriarchatu! Ciliciae perpetuo univit, mandans ut novus Patriarcha, eiusque successores titulo fruerentur Patriarcharum Ciliciae Armenorum, ut iidem in urbe Constantinopolitana résidèrent, eandemque Constanti-

nopolitanam Ecclesiam ordinaria iurisdictione gubernarent. Voluit insuper ut praedictus Patriarchatus iisdem limitibus eoërceretur, quibus Ciliciae Patriarchatus et Primatiatus Constantinopoleos tunc temporis continebantur. Sed cum, inspectis mutatis rerum conditionibus, quae aliae omnino sunt in praesentiarum quam quae tunc temporis fuerunt, votis annuentes tam hodierni Patriarchae Ciliciae Armenorum Pauli Petri Terzian, quam aliorum Episcoporum Armenorum in Urbe congregatorum, de potestatis apostolicae plenitudine, per Apostolicas Litteras hac ipsa die sub anulo Piscatoris datas, sedem sive residentiam ipsius Patriarchae Ciliciae Armenorum et successorum eius in posterum, ex urbe Constantinopolitana in Libanum restituerimus, opportunum etiam visum est consilium archiepiscopali iterum titulo Ecclesiam Constantinopolitanam Armenorum decorare. Auditis itaque venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Congregationi praepositis pro Ecclesia Orientali, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae similiter Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore Ecclesiam Constantinopolitanam Armenorum titulo archiepiscopali iterum decoramus, sine ecclesiastica provincia, et volumus ut idem Ecclesiae, sic per Nos ad archiepiscopalem dignitatem restitutae, praeficiatur Antistes qui eam iure ordinario gubernet ac regat; firmis tamen manentibus memorata sedium unione, titulo Patriarchae-Ciliciae Armenorum, et iurisdictione Patriarchae in totum Patriarchatum, quem ad modum Decessor Noster praelaudatum statuit.

Haec volumus atque statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate quavis, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xv mensis Octobris an. MDCCCCXXVTII, Pontificatus Nostri septimo.

P. CARD. GASPABEI, *a Secretis Status.*

V

TITULO AC PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS HONESTATUR TEMPLUM IMMACULATI CORDIS B. M. V. IN CIVITATE SANCTI IACOBI DE CHILE, CONGREGATIONIS MISSIONARIORUM FILIORUM EIUSDEM IMMACULATI CORDIS.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis in ditione Chilensi Moderator provincialis Nos edocet hoc anno quinquagesimum recurrere anniversarium a dedicatione templi, quod sub titulo Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis Missionarii Filii Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis Sancti Iacobi de Chile in civitate primum erexerunt. Structura praenobili, ampHtudine ac magnificentia templum ipsum praefulget, decem altaribus exornatur affabre confectis, pluribusque imaginibus devotis ac sacris reliquiis decoratur. Aptis inibi sacris vasis, pretiosis et praedivitibus supellectilibus paramentisque divinus cultus peragitur a frugiferae Congregationis praefatae clero, qui templo addictus religiosam vitam in adiectis aedibus vivit. Frequentes in templo christifideles sacris functionibus adsunt, sacramenta suscipiunt, verbum Dei audiunt; in eodemque templo plures piae sodalitates et catholicae consociationes, quae ad bonum christifidelium spirituale spectant, propriam sedem habent. Cum propterea provincialis Moderator Congregationis Missionariorum Filiorum Cordis Immaculati Beatae Mariae Virginis, communia vota depromens utriusque cleri populariumque, enixas nunc Nobis preces adhibuerit ut quinquagesimi anni praedicti occasione titulo ac privilegiis Basilicae minoris honestare velimus templum ipsum: Nos, attenta quoque amplissima commendatione tum venerabilis fratris Archiepiscopi Sancti Iacobi de Chile tum dilecti fifi Procuratoris generalis laudatae Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis, ut pietas christifidelium erga Beatissimae Deiparae Immaculatum Cor impensius foveatur itemque peculiare sit Congregationi praefatae Nostrae benevolentiae testimonium, ultro libenterque huiusmodi supplicationibus adnuendum existimavimus. Conlatis itaque consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Congregationi Sacrorum Rituum praepositis, de certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum enunciatum templum in honorem Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis Deo dicatum in civitate atque archidioecesi Sancti Iacobi de Chile, dignitate aa

titulo Basilicae minoris decoramus cum omnibus privilegiis, quae iuxta dispositiones apostolicas vel decreta ecclesiis hoc titulo honestatis competunt.

Contrariis non obstantibus quibuslibet. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas, atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos pertinent seu pertinere poterunt plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die vi m. Februarii an. MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri octavo.

P. CAED. GASPARRI, *a Secretis Status.*

VI

DISMEMBRATO TERRITORIO EX VICARIATU APOSTOLICO DE SIWANTZE ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA DE TSINING IN SINIS, CLERI INDIGENI CURIS TRADENDA.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Ex Apostolico munere, quo divinitus fungimur, ad rei christianae incrementum procurandum sollicito studio consulimus ut in nimium amplis terrae plagis, aucto operariorum numero, apta iurisdictio ecclesiastica opportune constituatur. Quapropter cum venerabilis frater Episcopus titulo Paroecopolitanus, Vicarius de Siwantze Apostolicus, Nos edocuerit territorium suae iurisdictioni subiectum late extensum ac multitudine incolarum conspicuum esse, ideoque Nos rogaverit ut suus de Siwantze vicariatus ad catholicam fidem validius inibi promovendam in duas partes divideretur, ex qua una clero indigenae committenda esset: Nos huiusmodi votis, suffragio amplissimo auctis venerabilis 'fratris Celsi Costantini, Archiepiscopi titulo Theodosiopolitani, Delegati Apostolici Nostri in Sinis, concedendum ultro libenterque existimavimus. Quapropter conlatis quoque consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui Propagandae Fidei negotiis sunt praepositi, omnibusque rei momentis attente perpensis, motu proprio atque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore mandamus

ut ex nunc et in posterum territorium, quod civiles subpraefecturas de *Feng-cJieng, Leang-TcJieng, Kining, Tao4in* complectitur, a vicariatu apo^ stolico de Siwantze seiungatur; atque idem territorium sic separatum in novum vicariatum apostolicum erigimus, cui nomen facimus *de Tsining.* Ipsum vero vicariatum apostolicum de Tsining ad Nostrum et Sanctae huius Sedis beneplacitum cleri indigenae curis tradimus.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exsistere et fore, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectare poterit in omnibus plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritum que ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII m. Februarii an. MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri octavo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

VII

FINES IMMUTANTUR INTER VICARIATUM APOSTOLICUM DE BRAZZAVILLE ET PRAEFECTURAM APOSTOLICAM DE UBANGHI-CHARI IN AFRICA.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Pastorale officium Nobis commissum nihil Nos magis sollicitat quam spiritualibus locorum necessitatibus, ut christifideles opportunis praesidiis adiuventur, omni, quo cum Deo possumus, studio sollerter providere. Hac ratione commoti, cum Vicarius Apostolicus de Brazzaville ad utilitatem vicariatus nimium ampli sui provehendam atque ad rei catholicae progressum inibi procurandum Nos rogaverit ut septentrionalem eiusdem vicariatus partem, quam *de la Haute Sangha* nuncupant, finitimae praefecturae apostolicae de Ubanghi Chari adiungere seu adnectere velimus, atque ad id plenus etiam consensus accedat Praefecti Apostolici de Ubanghi Chari, Nos huiusmodi supplicationibus concedere censuimus. Quapropter, conlatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Eomanae Ecclesiae Cardinalibus, qui negotiis Propagandae Fidei praepositi sunt, omnibusque rei momentis attente perpensis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore

a vicariatu apostolico de Brazzaville septentrionalem partem *de là Haute Sangha* nuncupatam, separamus sive dismembramus, atque idem territorium sic separatum sive dismembratum praefecturae apostolicae de Ubanghi Chari tribuimus sive adnectimus: quod bonum, felix faustumque in Domino siet.

Haec statuimus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere: illisque ad quos pertinent, seu pertinere poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super bis, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die viii m. Februarii an. MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri octavo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

VIII

ORDINARIIS, SACERDOTIBUS ET CHRISTIFIDELIBUS DIOECESIUM AC DITÌONUM AMERICAE LATINAE PRIVILEGIA AC FACULTATES AD DECENNIUM CONCEDUNTUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Litteris Apostolicis sub anulo Piscatoris datis die xvin m. Aprilis, an. MDCCCXCVIT, rec. mem. Decessor Noster lieo Pp. XIII ad trentennium valitura Episcopis, presbyteris, christifidelibus Americae Latinae conspicua concessit privilegia, quae propterea transacto concessionis tempore nunc suo robore destituta sunt. Sed cum impensa, qua premimur, sollicitudo de Dominici gregis Nobis concrediti salute ad ea procuranda impellat Nos, quae in evidentem christifidelium utilitatem, feliciusque eorundem regimen noverimus redundare, privilegia memorata certo quodam modo renovanda existimavimus. At, ob iuris canonici Codicis promulgationem et mutatas temporum rerumque condiciones, nonnullae desiderabantur immutationes in priscae concessionis tenore; ideoque novum schema privilegiorum, quae sunt nunc concedenda, Sacris Romanae Curiae Congregationibus, pro materia ad unamquamque spectante, propositum est atque ab eisdem recognitum. Nunc autem, audita praesertim dilecti filii Nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis a Secretis Sacrae

Congregationis Consistorialis relatione, exhibitas Nobiá Episcoporum Americae Latinae preces ultro libenterque excipientes, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a praecedenti facultatum recensione illis, quae haud necessaria videbantur vel in iuris canonici Codice iam continebantur, privilegiis ablatis, praesentium Litterarum tenore ad proximos decem annos, ab harum Litterarum data computandos, prorogamus facultates, quas omnibus et singulis dioecesium ac ditionum Americae Latinae Ordinariis, sacerdotibus et christifidelibus, ut infra, tribuimus. Earundem vero facultatum tenor sequens est:

1) Ordinarii locorum parochis vel missionariis, in regionibus seu locis in quibus ob magnam distantiam vel ob aliud impedimentum eisdem perdifficile sit, ex fontibus baptismalibus, ubi asservatur, desumere et secumferre aquam Sabbato Sancto et Pentecoste benedictam, possunt facultatem concedere aquam baptismalem benedicendi ea breviore formula, quae, a rec. mem. Decessore Nostro Paulo III missionariis in Peruvia apud Indos concessa, nunc in Appendice Ritualis Romani legitur.

2) Parochi et missionarii, si propter temporis defectum improbamque defatigationem vel aliis gravibus de causis omnes adhibere pro baptismo adultorum praescriptas caeremonias haud facile valeant, solis ritibus qui in Constitutione rec. mem. Pauli Pp. III *Altitudo* die 1 m. Iunii an. MDXXXVII data designantur, uti licite poterunt, praevio tamen Ordinarii consensu.

3) Item Ordinarii locorum deputare possunt, ad Sacramentum Confirmationis administrandum, sacerdotes quantum fieri potest in aliqua dignitate ecclesiastica constitutos, vel munere Vicarii foranei fungentes; nunquam vero simplices sacerdotes commorantes illis in locis in quibus praedictum Sacramentum administrandum erit; servata nova Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum *Instructione* pro simplice sacerdote ex Sedis Apostolicae delegatione Sacramentum Confirmationis administrante.

4) Iidem Ordinarii ad assistendum nuptiis iuxta formam a iure statutam delegare possunt sacerdotes¿ qui Missionum causa ad evangelizandos fideles vel ad aliud exercitium pietatis implendum in longinquas regiones, a parochiali aede dissitas, pergunt, iisdem Missionibus perdurantibus, absente Ordinario, vel parocho, vel Vicario cooperatore, atque iis servatis, quae, prouti res ferat et loci ac temporis condiciones observari permittant, matrimonii celebrationi ad normam Codicis iuris canonici canonis 1919 et seq. praemitti debent; facta tamen huius Apostolici indulti expressa mentione in unoquoque casu et iugiter firmis sacrorum canonum praescri-

ptionibus tum de iuribus parochi servandis tum de inscriptione in libris paroecialibus facienda.

5) Ordinarii pariter dispensare valent super matrimonialibus iuris dumtaxat ecclesiastici impedimentis, a quibus Sancta Sedes dispensare consuevit, exceptis proinde impedimentis, quae ex sacris Ordinibus maioribus vel ex affinitate in linea recta consummato matrimonio proveniunt: excepto quoque ob rei gravitatem impedimento de quo in canone 1075 nn. 2, 3; exceptis denique mixtae religionis et cultus disparitatis impedimentis, nisi speciales,a Suprema Sacra Congregatione Sancti Officii facultates obtentae fuerint.

- Pariter veniam iisdem facimus decernendi atque declarandi legitimam prolem nupturientium, dummodo ipsa in adulterio ne sit concepta: facta tamen in unoquoque casu, etiam in concedendis dispensationibus, huius Apostolici Indulti expressa mentione.

6) Fidelibus autem matrimonium contrahentibus largimur ut quocumque anni tempore nuptiarum benedictionem accipere possint, dummodo illis temporibus, in quibus ab Ecclesia nuptiae prohibentur, a nimia pompa abstineant; cauto tamen ut, si extra Missam benedictio nuptialis concedatur, formula in appendice « de Matrimonio » Ritualis Romani adhibeatur.

7) Concedimus pariter ut sacra Olea etiam antiqua, non tamen ultra duos annos, adhiberi possint, dummodo ne sint corrupta et nova vel recentiora sacra Olea, peracta omni diligentia, haberi nequeant.

8) Ordinarii permittere queunt sacerdotibus usum altaris portatilis, ita tamen ut huiusmodi usus sit tantum in fidelium bonum, atque illis in locis in quibus ecclesiae vel publica oratoria desint, aut paroecialis ecclesia sit longe distans, non vero in mari; dummodo celebrationis locus sit decens atque honestus, super petra sacra celebretur, et parochi ceterique sacerdotes, quibus haec facultas tribuetur, Sancti Evangelii explicatione vel catechesis traditione fideles' Sacro adstantes instruant.

9) Ordinarii concedere possunt sacerdotibus facultatem celebrandi in navi sacrosanctum Missae' Sacrificium, durante dumtaxat tempore itineris, dummodo locus, in quo Missa peragenda est, nihil indecens aut indecorum praeseferat, mare aut flumen sit adeo tranquillum, ut quodcumque e Cauce effusionis sacrarum Specierum periculum absit; atque alter sacerdos, superpelliceo indutus, si adsit, celebranti presbytero adsistat.

10) Omnibus autem Americae Latinae christifidelibus permittimus ut a dominica Septuagesimae usque ad festum Sanctorum Apostolorum Petri ac Pauli praecepto annuae Confessionis et Communionis satisfacere possint.

11) Iisdem christifidelibus largimur, si loca inhabitent ubi prorsus impossibile vel saltem admodum sit difficile ad confessarium accedere, ut lucrari queant Indulgentias ac Iubilaea, quae Confessionem, Communionem et ieiunium requirunt, dummodo, servato ieiunio, sint corde saltem contriti, addito firmo proposito admissa, quamprimum poterunt, confitendi.

12) Denique largimur ut in causis tam criminalibus, quam ceteris quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus, quae in rem iudicatam iam non transierint, fieri possit appellatio in tertia instantia ad alterum Metropolitam vel Episcopum eiusdem provinciae, viciniorem ei **a** quo primo fuit lata sententia; integra tamen manente facultate ad Apostolicam Sedem, ad iuris tramitem, recurrendi.

Haec suprascripta, ut spirituali bono christifidelium in Americae Latinae regionibus degentium quantum in Domino possumus prospiciamus, concedere existimavimus, abrogatis deletisque auctoritate Nostra Apostolica omnibus et singulis Indiarum Occidentalium privilegiis quocumque nomine vel forma a Sancta Sede prius concessis. Contrariis quibuslibet, etiam speciali et individua mentione dignis, non obstantibus.

Datum Eomae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **xxx** m. Aprilis an. MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri octavo.

P. CAED. GASPAEKI, *a Secretis Status.*

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACKA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

BOLIVARENSIS

DISMEMBRATIONIS ET UNIONIS

DECRETUM

Cum ab Apostolica Sede expostulatum fuerit ut territorium paroeciae *Macas* e dioecesi Bolivareusi seiungeretur et iurisdictioni Sacrae Congregationis de Propaganda Fide subiceretur, Ssmus Dominus Noster Pius div. Prov. PP. XI, probe noscens id in bonum animarum cessurum, atque attento voto R. P. D. Caroli M. De La Torre, Episcopi Guayaquilensis et Administratoris Apostolici dioecesis Bolivarensis, oblatis precibus annuendum censuit. Quapropter idem Ssmus, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, hoc Consistoriali decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae expedirentur, territorium memoratae paroeciae *Macas* e dioecesi Bolivarensi seiungit et iurisdictioni Sacrae Congregationis de Propaganda Fide subiicit, ut missionariis ab ea dependentibus illud committere valeat. Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 25 Aprilis 1929.

C. CARD. PEROSI, *Secretarius.*

L. £8 S.

V. Santoro, *Substitutus.*

II

PORTUS PRINCIPIS - CAPITIS HAITIANI ET GONAIVENSIS

DISMEMBRATIONIS ET UNIONIS PAROECIARUM

DECRETUM

Ad maiorem ecclesiastici regiminis commoditatem et utilitatem Ssmus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI benigne statuit ut territorium dioecesis Gonaivensis, nuper de suo Pastore primum provisae,

comprehendat integram provinciam civilem vulgo appellatam de *Artibonite.* Cum autem nonnullae paroeciae, ad archidioecesim Portus Principis et ad dioecesim Capitis Haitiani spectantes, intra limites memoratae civilis provinciae reperiantur, idem Ssmus Dominus Noster de plenitudine suae potestatis, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel sua interesse praesumant consensu, praesenti Consistoriali decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae desuper expeditae fuissent, paroecias vulgo nuncupatas *Hinche, Maissade, Marmelade, S. Michel,* cum omnibus et singulis clericis, fidelibus et ecclesiis ibidem exstantibus, a dioecesi Capitis Haitiani, cui usque adhuc pertinebant, separat, et Ecclesiae Gonaivensi in perpetuum coniungit; similiter paroeciam vulgo *de Thomonde* ab archidioecesi Portus Principis seiungit et cum clero, fidelibus et ecclesiis exstantibus eidem Gonaivensi dioecesi attribuit; contrariis non obstantibus quibuscumque. Ad haec autem exsecutioni mandanda idem Beatissimus Pater deputat E. P. D. Petrum Cogliolo, Antistitem Urbanum, et Secretarium Apostolicae Internuntiaturae Haitianae, eidem tribuens necessarias et opportunas facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet ecclesiasticum virum in dignitate constitutum, cum onere mittendi ad hanc Sacram Congregationem, intra sex menses a data praesentium computandos, authenticum exemplar executionis peractae.

Datum Eomae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis die 25 Iunii 1929.

C. CARD. PEROSI, *Secretarius.*

L. £8 S.

f Fr. Raphael C, Archiep. Thessalonicen., *Adsessor.*

III

DE FINIUM DIOECESIUM MUTATIONE

Ssmus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XI, decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, sequentes mutationes finium dioecesium benigne statuere dignatus est:

7 Iunii 1929. — PLOCENSIS-VARSAVIENSIS. Pagus «Rynia» a paroecia « Zegrze » et a dioecesi Plocensi divisus est atque paroeciae « Nieporet » archidioecesis Varsaviensis perpetuo coniunctus.

— GNESNENSIS ET POSNANIENSI. Pagi « Orzechowo » et « Pieczkowo » a paroecia « Debno » et ab archidioecesi Posnaniensi separati sunt atque decanatui « Miloslaw » archidioecesi Gnesnensis perpetuo uniti.

28 Iunii. — QTJEBECENSIS-SANCTI GERMANI. Pagus «Blier» una simul eum territorio adiacente per circiter duo millia passuum, separatus est a paroecia S. Eleutherii et ab archidioecesi Quebecensi atque paroeciae S. David de Sully, in dioecesi Sancti Germani, perpetuo incorporatus.

IV

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Pominus Noster Pius divina Providentia Papa XI successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

19 Iulii 1929. — Metropolitanae Ecclesiae Sancti Andreae et Edimburgi praefecit R. D. Iosephum Mac Donald, O. S. B. hactenus Abbatem monasterii ad S. Benedictum in civitate *Fort-Augustus,* dioecesis Aberdoniensis.

26 Iulii. — Abbatiae *nullius* Sancti Pauli extra moenia Urbis, R. D. Hildebrandum Vannucci, O. S. B. Congr. Casinensis.

2 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Garanhunensi, R. P. D. Antonium De Paiva, hactenus Episcopum Ilheosensem.

— Cathedrali nuper erectae Ecclesiae de Lages in Brasilia, R. P. Danielem Hostin, O. P. M.

— Cathedrali Ecclesiae Uberabensi, R. P. Antonium Colturato, in Ordine F. M. Capuccinorum Aloisium a Sancta Anna.

6 Augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Lamiensi, R. D. Henricum Lemiroy, decanum Yprensem, deputatum coadiutorem, cum iure futurae successionis, R. P. D. Gustavi Iosephi Waffelaert, Episcopi Brugensis.

16 Augusti. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Cotradensi, R. P. D. Eham Ioannem Iosephum Morel, hactenus Archiepiscopum Pondicheriensem.

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

APPROBATIONES

Ssmus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI decretis Sacrae Congregationis negotiis Religiosorum sodalium praepositae:

12 Martii 1929. — Institutum Sororum, vulgo *Petites Sœurs Dominieaines Garde-Malades des Pauvres* nuncupatarum, approbavit una cum eius Constitutionibus, sed has ad septennium tantum, experimenti gratia.

— Constitutiones Instituti Sororum vulgo *Ausiliatriei delle anime del Purgatorio* nuncupatarum, definitive approbavit.

—. Constitutiones Instituti Sororum vulgo *Suore della Dottrina Cristiana* nuncupatarum, definitive approbavit.

— Constitutiones Instituti Sororum Vulgo *de la 'Retraite. Chrétienne* nuncupatarum, ad septennium experimenti gratia approbavit.

— Institutum Sororum vulgo *Francescane della S. Famiglia* nuncupatarum, cuius domus princeps in dioecesi Treviren. sita est, laudavit, eiusque Constitutiones ad septennium experimenti gratia approbavit.

30 Aprilis. — Institutum Sororum a S. Ioseph cuius domus princeps in dioecesi Treviren. sita est, laudavit, eiusque Constitutiones ad septennium, experimenti gratia, approbavit.

— Institutum Sororum vulgo *Petites Sœurs de la Sainte Famille* nuncupatarum, cuius domus princeps in dioecesi Sherbrooken. sita est, laudavit, eiusque Constitutiones ad septennium, experimenti gratia approbavit.

-— Institutum Sororum vulgo *Missionarie dell'Immacolata Concezione della Madre di Dio* nuncupatarum, cuius domus princeps in Praelatura *"nullius* Santaremen. sita est, laudavit, eiusque Constitutiones ad septennium experimenti gratia approbavit.

— Institutum Sororum *Mariae Ssmae Consolatricis* cuius domus princeps in archidioecesi Mediolanen, sita est, approbavit una cum eius Constitutionibus, sed has ad septennium tantum, experimenti gratia.

—- Institutum Sororum *a Sacra Familia* cuius domus princeps in dioecesi Mechlinien, sita est, approbavit una cum eius Constitutionibus, sed has ad septennium tantum experimenti gratia.

— Constitutiones Sororum *a Doctrina Christiana,* definitive approbavit.

— Institutum Sororum, vulgo *Francescane Missionarie di Maria Ausiliatrice* nuncupatarum, cuius domus princeps in dioecesi Carthaginen. sita est, laudavit, eiusque Constitutiones ad septennium experimenti gratia, approbavit.

— Institutum Sororum vulgo *Povere Scolastiche del Terzo Ordine di S. Francesco Serafico* nuncupatarum, cuius domus princeps in dioecesi Lincien. sita est, laudavit, eiusque Constitutiones ad septennium, experimenta gratia, approbavit.

— Institutum Sororum vulgo *Terziarie Domenicane di Nostra Signora del S. Cuore* nuncupatarum, cuius domus princeps in dioecesi Capifonten. sita est, laudavit, eiusque Constitutiones ad septennium, experimenti gratia approbavit.

— Constitutiones Instituti Sororum vulgo *di S. Francesco della B. V. M. degli Angeli* nuncupatarum, cuius domus princeps in dioecesi Treviren. sita est definitive approbavit.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

ANDEGAVEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI IOANNAE DELANOTJE INSTITUTRICIS SORORUM SANCTAE ANNAE A PROVIDENTIA NUNCUPATARUM.

SUPER DUBIO

An eonstet de virtutibus theologalibus, nempe Fide, Spe et Caritate in Deum et proximum, necnon cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine ac Temperantia earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agiturf

Oppidum haud ignobile, Salmurium nuncupatum, intra dioecesis Andegavensis fines nascentem vidit, saeculo xvn, Servam Dei Ioannam Delanoue, ex piis honestisque parentibus, qui modicam exercentes mercaturam in timore Domini vitam degere satagebant. Pueritia nitide exacta, ubi primum virtutis meritum et vitii dedecus plane intelligere valuit,fpeccatum horrescere coepit, et quidquid vitium saperet in aliis quoque reprehendebat, saepe matre de suis defectibus admonita. Subinde conscientiae stimulis vexata, ad confessarium saepe accedebat, qui quum esset lansenianorum doctrinis imbutus, nullum opportunum Ioannae praebere remedium sciebat.

Parentibus orbata, in saniorem confessarium incidit, qui statim ei praecepit, ut negotiationi, quam a patre veluti hereditatem acceperat, minime vacaret diebus festis. Annuit Ioanna, quamvis loci consuetudo contrarium suaderet, paratamque se exhibuit potius ad quamlibet temporalem iacturam, quam animae detrimentum subeundum. Ex illo tempore mira in eius animo facta est mutatio, qui ad avaritiam pronus videbatur, et totus in caritatis opera conversus est. Itaque paulo post, relicta rerum temporalium negotiatione, evangelicam assequi perfectionem impenso studio sibi constituit, arctamque sanctitatis viam alacriter est ingressa. Olim vero per oppidi semitas obviam habuit puellam quae externo corporis habitu in egestate et desolatione sese versari patefaciebat. Dei Eamula misericordia mota eam tamquam orphanam secum duxit in domum suam, ubi pium

Institutum collocare voluit pro puellis excipiendis probeque educandis. Caelesti visione illustrata, statim alias adulescentulas recepit piasque feminas adiecit, novam condidit societatem, divinae Providentiae praesidio omnino innixam, quam Sanctae Annae a Providentia nuncupavit. Atque msperatas opes a Providentia saepe recepit, quibus exordientis societatis calamitatibus et necessitatibus non semel commode occurrere valuit. Ita aperte a Dei Providentia adiuta caritatem suam ad exteros egenos et infirmos extendebat, eamque nemini denegabat. Piae societati opportunas tradidit regulas, advigilabatque attente ne disciplinae vigor elangueret. Ipsa vero Dei Famula caelestem sibi conciliare opem maxime studebat, insuetis corporis poenitentiis carnes suas macerabat, modico et insuavi cibo vescebatur. Hoc vitae austerissimae genus tenens, plures piae societatis domos diversis in locis instituit, omnigenis caritatis operibus intenta, ad aetatis suae annum septuagesimum pervenit, quo sancte in Domino requievit, relicta singulari sanctitatis fama, quae demortuae virtutes ac laudes ubique celebrabat.

Exinde exortum desiderium Famulae Dei caelestes honores comparandi, conditisque Ordinaria et Apostolica auctoritate inquisitionibus, servato iuris ordine, de eiusdem heroicis virtutibus habita est Congregatio Antepraeparatoria in aedibus Reverendissimi Card. Andreae Friihwirth, Causae Relatoris, die 20 Aprilis anno 1920, quam secuta est Congregatio Praeparatoria in Palatio Apostolico Vaticano die 24 Maii anno 1927. Novissime vero, scilicet die 28 mensis Maii vertentis anni, coactus est universus disceptandum coetus coram Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI, in quo a memorato Cardinali Ponente Dubium ad discutiendum propositum fuit: *An constet de virtutibus theologalibus, nempe Fide, Spe et Caritate in Deum et proximum, necnon cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine ac Temperantia, earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur?* Qui aderant omnes tum Reverendissimi Cardinales, tum Patres Consultores suffragia sua ediderant, quae Beatissimus Pater intento animo prosecutus est, suum tamen pronunciare iudicium in alium diem distulit precesque continuandas esse hortatus est adstantes pro maiore divini luminis copia impetranda.

Mentem autem suam pandere volens hodiernam diem qua solemnia in honorem sacratissimi Cordis Iesu peraguntur, selegit. Quare, Sacro devotissime facto, accitisque Reverendissimis Cardinalibus Camillo Laurenti, sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, et Andrea Friihwirth, Causae Ponente, una cum R. P. Carolo Salotti, sanctae Fidei Promotore generali, meque infrascripto a secretis, eisque adstantibus, Pontificio solio assidens solemniter edixit: *Ita constare de heroicis virtutibus Ven. Serme Dei Ioannae*

Delanoue, nempe de Fide, Spe, - Caritate in Deum ae proximum, nec non de Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur, ut ad quatuor miraculorum discussionem procedi queat.

Hoc vero decretum evulgari et in acta sacrorum Rituum Congregationis inseri iussit, septimo idus Iunii anno millesimo nongentesimo vicesimo nono.

C. CARD., LAURENTI, *S. R. C. Praefectus.*

L. © S.

A. Mariani, *Secretarius.*

. II

VENETEN.

BEATIFICATIONIS SEU **DECLARATIONIS MARTYRII** SERVI DEI PETRI **RENATI ROGUE PRESBYTERI CONGREGATIONIS MISSIONES, IN ODIUM** FIDEI, **UTI FERTUR,. 1NTEREMPTI.**

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agiturf

Inter illos vigiles fortesque in fide viros utriusque cleri qui ad exemplum sacrorum antistitum in nefanda perturbatione gallica saeculi x VIII exeuntis, non armis mortiferis corporeisque viribus sed divino iustitiae et veritatis spiritu afflati, pro Christo et Ecclesia satanae eiusque sectatoribus constanter obstiterunt, atque in extremo discrimine de impio et maligno hoste illustri victoria triumpharunt, alter accenseri potest ipsius Christi et Ecclesiae minister Petrus Renatus Rogne, sacerdos e Congregatione Missionis, de cuius causa et fama sanctitatis et martyrii apud sacrorum rituum Congregationem disceptatum est. Interim de eius vita et gestis quaedam breviter narrare iuvat ex actis processualibus desumpta: Petrus Renatus in urbe Venetensi e piis honestisque parentibus Claudio Rogne, Andegavensi, et Francisca Loyseau, Riturieensi, die 11 Iunii 1758 natus, eadem die baptismi sacramento regeneratio est.

Genitore defuncto, puer sub tutela et disciplina matris educatus, modestia et pietate profecit. In celebri Collegio Venetensi litteris bonisque moribus institutus, superiorum et condiscipulorum aestimationem et amorem sibi concilia vit, illicque, decimum sextum aetatis annum agens, studiorum

curriculum laudabiliter absolvit. Ad statum ecclesiasticum se vocatum sentiens, et precibus, consiliis votisque suae conscientiae moderatoris et matris probatus, ingressus est Seminarium Venetense ubi superiora studia et sacram theologiam diligenter coluit atque uberius percepit. Tempore debito et opportuno, Dei famulus scientia et virtute ornatus, dignus est habitus, qui ad sacros Ordines per gradus ascenderei; quos ipse suscepit ...per manus sui Ordinarii Emi Améiot, Episcopi Venetensis, in ecclesia parochiali Beatae Mariae Virginis *du Mené* nuncupatae. Ad sacerdotium evectus die 21 Septembris anno 1782, superiorum Seminarii consilio et suffragio atque proprii antistitis auctoritate et mandato, novensilis presbyter capellani munere fungitur penes sorores a Recessu Venetensi appellatas, quod cum christianae doctrinae institutione et praedicatione in utilitatem ipsarum sororum et fidelium, spiritu, zelo et opere sacerdotali per quatuor annos exercuit. Quum vero a presbyteris Congregationis Missionis instructus et educatus esset atque inde ab initio sui sacerdotii eandem sodalitatem amplecti cuperet, postquam omnia impedimenta ipsiusque genitricis difficultates superare potuerit, hac etiam annuente, de consensu et venia sui Episcopi, sanctum propositum assequutus est per optatam acceptionem in Seminario Parisiensi S. Lazari die 25 Octobris 1786, praelaudatae Congregationis Superiore generali Rmo D. Jacquier et Seminarii rectore-Michaele Renato Eerrand. In novitiatu, caritatis et sanctitatis spiritum et regulas sancti fundatoris Vincentii a Paulo utiliter hausit et libavit, eoque rite absoluto, religiosa vota nuncupavit. Deinde missus, uti magister sacrae theologiae, ad Seminarium maius Venetense, hoc munus intenso studio optime implevit cum laude et approbatione aliorum professorum speciatim D. Le Gal, iam sui superioris et amici, atque aestimatione et profectu alumnorum. Magistrum quoque se exhibuit eximium in sacris ministeriis, atque pietatis, diligentiae ac prudentiae exemplar, in sacro litando, in caeremoniis exequendis, in sacramentis ministrandis speciatim in conscientiis dirigendis suorum filiorum spiritualium. Mirabilis eius caritas enituit erga pauperes et afflictos, praesertim tempore pestilentiae et persecutionis, dum suum opus laboriosum, spirituale et corporale impendebat in "ipsorum levamen et auxilium, palam vel secreto iuxta~varios casus et pluries cum gravi -suae vitae periculo. In natione enim gallica ob quasdam leges non minus unitati et libertati quam iuribus et constitutionibus Ecclesiae adversas et ab hac expresse reprobatas, ex. gr. « De constitutione civili cleri » et de iuramento dicto *libertatis* et *aequalitatis* eidem clero imposito, religiosi et clerici, maxime perturbati sunt. Inter religiosos et sacerdotes qui divina gratia et protectione suffulti, legibus iniuste impositis et iuri ^divino et ecclesiastico rectaeque bonorum subditorum conscientiae contrariis obedire

recusarunt, dispositi ac parati ad minas, careares et supplicia pro catholica religione viriliter perferenda, non infimum tenet locum noster Petrus Renatus qui suam fidei professionem et scriptam contestationem contra leges iniquas patefecit coram Tribunali criminali Venetensi, prouti legitur in huius regestis sub n, 11 anno 1796 archivo *de Morbihan.* Interea Dei famulus in Seminario absconditus mansit per aliquod temporis spatium, donec ab eo expulsus, officium suum secreto adimplere potuit usque ad diem 24 Decembris horam nonam de sero anno 1795. Tunc enim a nequam viro denuntiatus et ab excubiis comprehensus, ad aedem Districtus deductus est. Ab eius membris in sessione congregatis statim postulavit atque obtinuit sacras Species quas pro viatico viro infirmo deferebat, sumere, quod devotissime fecit, adstantibus genuflexis eas adorantibus. Advenientibus militibus in carcere inclusus, concapti-vis monitor, consolator et exemplar exstitit acceptissimus. De vitae ratione agenda in captivitate, ordinatam congruamque regulam sibi statuit quam fideliter servavit. Insuper canticum, composuit pietate, spe et expectatione bonum de proximo transitu animae suae a vinculo corporis solutae ad Christum et cum Christo in civitatem sanctam Ierusalem novam, canticum laetitiae quasi inspiratum a davidico psalmo (121): « Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi in domum Domini ibimus. Stantes erunt pedes nostri in atriis tuis, Ierusalem ». Sed in carcere et in vinculis diu non mansit, namque die 2 Martii 1796 a tribunali supplicio damnatus et die sequenti ad patibulum perductus, morte imminente, elevatis oculis et manibus in caelum, ore et animo vuituque sereno laetus dicens: « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum », capite plexus est, eiusque angelica anima de hoc exilio et vita in, caelestem patriam et vitam migravit. Fama sanctitatis et martyrii Servi Dei Petri Renati post obitum magis magisque in dies usque in praesens clara et diffusa ita eluxit, ut super ea Processus informativus in ecclesiastica Curia Venetensi institutus sit, et ad sacram Congregationem, Rituum transmissus. Instante vero admodum Rev. D. Iosepho Scognamilio Congregationis Missionis et huius Causae postulatore, quum observato iuris ordine, et revisione scriptorum eiusdem Servi Dei peracta, per decretum S. R. C. diei 22 Martii 1922 nihil obstet quominus ad ulteriora procedi possit et omnia in promptu sint, attentis litteris postulatoriis quorumdam Emorum S. R. E. Cardinalium, Rmorum Archiepiscoporum et Episcoporum Galliae et Italiae necnon Superiorum generalium Ordinum et Congregationum religiosarum, ac Revmi D. Francisci -Verdier, Superioris generalis Congregationis Missionis, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Ianuarius Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopus Albanensis et eiusdem Causae Relator, in Ordinariis sacrorum rituum Congregationis comitiis subsignata die ad

Vaticanas aedes coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu ei ad effectum de quo agitur?* Et Emi ac Emi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto E. P. D. Carolo Salotti Fidei promotore generali, omnibus sedulo perpensis, rescribere censuerunt: *Affirmative seu signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit.* Die 4 Iunii 1929.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XI per infrascriptum Cardinalem Sacrae Eituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua rescriptum eiusdem sacri Consilii ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem introductionis Causae beatificationis seu declarationis martyrii Servi Dei Petri Eenati Eogue, presbyteri Congregationis Missionis. Die 12 Iunii 1929.

C. CARD. LAURENTI, *S. R. C. Praefectus.*

L. © s.

A. Mariani, *Secretarius.*

III

SANCTI FLORI

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVAE DEI CATHARINAE JARRIGE, VIRGINIS E TERTIO ORDINE S. DOMINICI.

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?

Catharina Jarrige, Petri et Mariae Céìarier filia in oppido *Doumis,* dioecesis tunc Claromontanae, nunc S. Fiori, die 4 Octobris anno 1754 nata et sequenti die baptizata, Virgo e Tertio Ordine S. Dominici, post sanctam et operosam vitam et senectutem pie obiit die 4 Iulii anno 1836. In tristissimis terroris et perturbationis gallicae temporibus pretiosam navavit operam in levamen cleri et plebis loci, nominatim eorum qui in respectivis proprii status et conditionis officiis et laboribus se suamque religionem catholicam heroica virtute tuebantur. Pietate enim et caritate pollens, necessitatibus publicis et privatis, quantum potuit, per se et per alios largiter succurrebat; unde merito appellabatur Soror *Providentia* et *mater pauperum,* tota Deo devota et confisa atque Deiparae

ope et amore suffulta. Licet humili loco et genere orta, habuit tamen parentes honestos et christianos, qui eam in pueritia, sicut alios filios tres mares et tres feminas, una cum peculiari devotione erga Beatissimam Virginem Mariam, cuius speciosa et prodigiosa imago ab universo populo loci *Mauriac* colebatur, congrua et catholica institutione ad pietatem et ad laborem educabant. Ob inopiam familiae, ipsa vix novennis famulatui fuit addicta, successu temporis in bonis et christianis familiis, quarum laudem, fiduciam et amorem sibi comparavit. Bene praeparata ad primam communionem, eam angelico candore et ardenti cordis affectu suscepit, magis in dies aetate, religione et virtute progrediens. Quum esset duodecim annorum, Dei famula dilectam genitricem Mariam Célarier gravi morbo afflietam cunctisque sacramentis ecclesiae recreatam amisit, in pago *du Cher,* die 22 Decembris 1767. Post aliquod tempus et signanter post nuptias propriae sororis quibus ipsa interfuit, tepescente pietate viribusque animi languentibus, levitati et inconstantiae, mundique voluntatibus **et** sanationibus aliquantum indulsit, fidei tamen morumque integritatem custodiens. Luctam in corde suo sentiebat inter vocem saeculi et vocem Domini, auctam quoque timore periculi mortis, sed excelsae Reginae Pacis invocato et obtento auxilio, caelesti lumine mentis et pacifica tranquillitate animi ad meliorem frugem reversa est Catharina. Ludis, vanitatibus **et** choréis valedicens, gravibus seriisque rebus satisfaciens, orationi vacare coepit atque inter Tertiarias Dominicanas per manus sui parochi *Ronnat* adscribi voluit, atque, iuxta normam et morem huius Instituti, virtutibus christianis, potissimum caritatis erga pauperes et aegrotos in propria paroecia sedulo incubuit, inde ab anno aetatis suae vigesimoquarto. Sed iam tempus advenit, quo Catharina," uti aurum in igne probanda erat simulque eximiis caritatis operibus exercendis destinata. Tunc nobilis illa gallorum natio acerbissimo incendio conflagrata per plures annos magnas et multas rerum hominumque perturbationes vidit et passa est, rationi, iustitiae **Te**ctisque legibus non obtemperantes imo infensas et contrarias. In hac turbulentissima Reipublicae tempestate per quam humana et sacra cum magna crudelitate et sanguinis effusione subversa sunt, Dei famula velut angelus pietatis et caritatis, multis miseriis et indigentiis animae et corporis subvenire studebat. Insuper non solum ob dictas Reipublicae calamitates afflicta erat, sed etiam propter statum suae familiae per gravem morbum suae sororis et per obitum dilectissimi sui patris qui in aetate septem et septuaginta annorum die 28 Decembris anno 1790 migravit ad Dominum, in extremis ea cogitatione ac sensu recreatus quod superstitem relinquebat piam et actuosam filiam Catharinam utique orphanam et in medio tribulationum, sed in- adiutorio Altissimi habitantem et in prote-

etione Dei caeli non minus commorantem quam bene sperantem. Interim Dei famula quum iam se devovisset assistentiae pauperum et aegrotorum et cum presbyteris et fidelibus communicare soleret, omnem adhibuit industriam, dexteritatem, prudentiam et vigilantiam, ne sibi et aliis praesertim presbyteris pericula et damna imminerent. Tempore enim illo presbyteri fideles qui iuramentum ab iniqua lege impositum praestare nolebant, in domibus vel in sylvis vel in praeruptis montibus et locis se occultare eurabant, ne in manus persecutorum inciderent; et Catharina stipem studiose colligebat apud matronas et divites, interdum etiam apud dissidentes moderatos, ad necessaria et opportuna subsidia egenis et presbyteris distribuenda, facta veluti ancilla apud dominos, currens huc et illuc officiis humanitatis et caritatis gerendis. Ob quas causas non semel in carcerem missa et ab eo, populi motu ac tumultu, liberata in suis misericordiae operibus constanter perseveravit. Prudenti silentio, responsis ambiguis et signo crucis munita, cauta et moderata exstitit in secretis proferendis; **et** plura evasit pericula et discrimina pro se et pro aliis. Eebus demum in Gallia compositis et tranquillitate ac pace restituta Catharina reliquos suae vitae annos circiter quadraginta in oppido *Mauriac* humanitatis, religionis et sacrificii apostolatum prosecuta, thesaurum bonorum operum auxit in gloriam Dei et salutem animarum. Frequens erat in templo ad sacra, et assidua oratione precibusque Rosarii cum mysteriis meditatis spiritum suum fovebat. Tandem aetate ac gravi pectoris morbo confecta et laboribus fracta, post quinque dies, extremis ecclesiae sacramentis devotissime receptis, hanc miseram et mortalem vitam cum altera beata et aeterna feliciter commutavit, die quarta Iulii anno 1836. Fama sanctitatis, quam Dei Famula ante et post obitum adepta fuerat, progressu temporis usque in praesens adeo invaluit, ut super ea Processus informativus ' in ecclesiastica curia Sancti Fiori, ordinaria auctoritate constructus fuerit, idemque absolutus Romam ad sacram rituum Congregationem delatus sit. Instante autem Rmo P. Francisco Maria Guerrini, Ordinis Praedicatorum et huius causae legitimo postulatore, quum, observato iuris ordine, omnia in promptu sint et nihil obstet quominus ad ulteriora procedatur, attentis litteris postulatoriis quorumdam Emorum S. R. E. Cardinalium, Rmorum Archiepiscoporum et Episcoporum praesertim Galliae et Italiae, necnon Capituli Cathedralis, Archipresbyteratus et Decanatus, dioecesis S. Fiori, communitatum religiosarum, personarum spectabilium atque fidelium paroeciae loci *Mauriac,* Emus ac Rmus Dnus Andreas Cardinalis Friihwirth, S. R. E. Cancellarius, et eiusdem Causae Relator* in Ordinario sacrorum rituum Congregationis coetu subsignata die ad Vaticanas aedes coacto, sequens dubium discutiendum proposuit: *An sit signanda Commissio introductionis Causae*

in casu et ad effectimi de quo agitur? Et Emi ac Emi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto E. P. D. Carolo Salotti, Eidei Promotore generan, omnibus sedulo discussis ac perpensis rescribere censuerunt: *Affirmative seu signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit.* Die 4 Iunii 1929.

Facta postmodum de his per infrascriptum Cardinalem sacrae rituum Congregationi praefectum relatione Sanctitas Sua resolutionem eiusdem Sacrae Congregationis ratam habens, propria manu signare dignata est Commissionem introductionis causae beatificationis et canonizationis Servae Dei Catharinae Jarrige, Virginis e Tertio Ordine S. Dominici. Die 12 Iunii 1929.

C. C**AED.** L**AURENTI,** ***S. R.*** *C. Praefectus.*

L. $ S.

A. Mariam, *Secretarius.*

IV

COMUNICATO

Alcune Riviste di materie ecclesiastiche e liturgiche hanno recentemente pubblicato una risposta di questa Sacra Congregazione dei Riti concernente dei dubbi sull'interruzione della Messa solenne, da parte dei celebrante, per attendere il compimento di alcune cérémonie, con data 14 Novembre 1928.

Si dichiara che tale risposta non proviene dalia Sacra Congregazione, e che non sono autentiche le firme appostevi.

Con questa occasione si rammenta che l'unica promulgazione ufficiale per i decreti generali della Sacra Congregazione, è il Bollettino Ufficiale, *Acta Apostolicae Sedis.*

10 Agosto 1929.

A. Mariani, *Segretario.*

S. CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

VITERBIEN. ET TUSCANEN.

DE UNIONE SEMINARIORUM VITERBIENSIS ET TUSCANENSIS IN SEMINARIUM INTERDIOECESANUM VITEREII CONSTITUENDUM.

DECRETUM

Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus peropportunum iampridem duxerat statuendum esse ut duo Seminaria dioecesium Viterbien. et Tnscanen., quae aeque principaliter sunt unitae, in unum coalescerent; sic enim clericorum institutioni efficacius consuleretur.

Consilium hoc Ssmus Dominus Noster Pius Pp. XI omnino probavit, simulque huic Sacrae Congregationi commisit ut ea omnia provideret, quae ad huiusmodi unionem rite perficiendam conducerent.

Proinde Sacra -Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus, Ut muneri sibi commisso faciat satis, quae sequuntur decernit:

I. Ex duobus Seminariis Viterbien. et Tuscanen. nunc exsistentibus unum fiat, quod in civitate Viterbien. constituatur, sit utrique dioecesi proprium et Seminarium Interdioecesanum Viterbien. et Tuscanen. nuncupetur.

II. Bona et reditus, iura et onera simul et privilegia ad Seminaria Viterbien. et Tuscanen. spectantia Seminario Interdioecesano exinde adiudicentur;

III. In eligendo Deputatorum coetu sive pro disciplina, sive pro bonorum temporalium administratione, ad normam can. 1359, Episcopus utrumque Capitulum Viterbien. et Tuscanen. audiat.

R. P. D. Ordinario Viterbien. et Tuscanen. Sacra Congregatio tribuit facultatem, quae superius statuta sunt, exsequendi, eique mandat ut de peracta exsecutione ad ipsammet referat.

Contrariis quibuslibet, etiam specifica mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, die xv Iunii anno **MDCCCCXXVIII.**

C. CARD. BISLETI, *Praefectus.*

L. & s.

f I. Sinibaldi, Ep. Tiberien., *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

MARIANOPOLITANA

NULLITATIS MATRIMONII (VIAU-CHARLEBOIS)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Hadriani Charlebois in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, via delia Dataria, 94) die 15 Novembris 1929, hora 12, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione:

An confirmanda sit vel infirmanda sententia Rotalis diei 5 Aprilis 1929 in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Hadriani Charlebois curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

L.)$j S. F. Parrillo, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 10 Augusti 1929.

Ioannes Ladelci, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Hadrien Charlebois, défendeur en cette cause, Nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Via della Dataria, n. 94), 15 Novembre 1929, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la cause devant la Rote.

Boit-on confirmer ou casser la sentence Rotale du 5 Avril 1929 dans ce cas ?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit M. Hadrien Charlebois, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

ACTA OFFICIORUM
ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO
AD CODICIS CAMOTES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Emi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula :

I. - DE LITTERIS DIMISSORIIS

D. - An vi canonis 310 § 2, conlati cum canone 958 § 1 n. 4, Provicarius apostolicus intra annum a sede vacante litteras dimissorias concedere possit.

B. - *Affirmative.*

II. - DE MATRIMONIO ACATHOLICORUM

D. - An *ab acatholicis nati,* de quibus in canone 1099 § 2, dicendi sint etiam nati ab alterutro parente acatholico, cautionibus quoque praestitis ad normam canonum 1061 et 1071.

B. - *Affirmative.*

III. - DE IEIUNIO IN CONSECRATIONE ECCLESIAE

D. - An ieiunium in consecratione ecclesiae, de quo in canone 1166 § 2, moderandum sit secundum communem legem ieiunii ecclesiastici.

B. - *Affirmative.*

IV. - DE SEPULTURA ECCLESIASTICA

D. - An praescriptum canonis 1221 extendatur etiam ad postulantes et ad alumnos scholarum apostolicarum in religionibus.

B. — *Negative.*

V. - DE ALIENATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM

D. ~ An vi canonis 1532 § 1 n. 2 requiratur licentia S. Sedis ad alienandas per modum unius plures res ecclesiasticas eiusdem personae, quae simul sumptae valorem excedunt triginta millium libellarum seu fmncorum.

22. - *Affirmative.*

Datum Romae, die 20 mensis Iulii anno 1929.

P. Card. GASPARRI, *Praeses.*

L. © s -

I. Bruno, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE CONCISTORIALE

AVVISO DI CONCORSO

Nella Segreteria della Sacra Congregazione Concistoriale avrà luogo il giorno 29 Ottobre p. v., ore 8,30 antimeridiane, un concorso al posto di Officiale della medesima S. Congregazione.

I sacerdoti che volessero prendervi parte, purché non abbiano oltrepassato gli anni 45, dovranno esibire alla Segreteria della detta Sacra Congregazione, entro il 20 Ottobre p. v. la domanda, munita del *nulla osta* del proprio Ordinario, e gli altri titoli e documenti che ritenessero opportuno presentare.

Sarà tenuta in particolare considerazione la conoscenza di lingue estere.

II concorso consisterà in una prova scritta, riguardante particolarmente la materia di competenza della stessa Sacra Congregazione.

Roma, dalla Segreteria della Sacra Congregazione Concistoriale, 2 Settembre 1929.

f Fr. Raffaello C, Arci v. di Tessalonica, *Assessore.*

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 6 Agosto 1929, presso l'Emo e Revmo Signor Cardinale Alessandro Verde, Ponente della Causa di Beatificazione e Canonizzazione della Ven. Serva di Dio Paola Frassinetti, Fondatrice dell'Istituto delle Suore Dorotee, si è tenuta la Congregazione *Antipreparatoria,* nella quale dai Revmi Prelati Officiali e Consultori teologi della medesima, si è discusso il dubbio su due miracoli che si asseriscono da Dio operati per intercessione della stessa Venerabile, i quali vengono proposti per la sua Beatificazione.

TRIBUNALE DELLA S. R. ROTA

AVVISO

Si notifica che le domande di ammissione allo *Studio* della Rota, per il prossimo anno giuridico, si ricevono negli Uffici del Tribunale dal 20 Settembre al 20 Novembre.

13 Agosto 1929. M. Massimi, *Decano.*

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari ai S. S.:

24 Giugno 1929. Monsig. Carlo Cuttat, della diocesi di Basilea.
28 » Monsig. Natale Oliva, dell'archidiocesi di Milano.
» » Monsig. Luigi Nava, della medesima archidiocesi.
5 Luglio » Monsig. Ludovico Pichler, della diocesi di Gratz.
» » Monsig. Giovanni Pauli, della medesima diocesi.
» » Monsig. Walter Tomschitz, della medesima diocesi.
10 » Monsig. Nicomede Donzelli, dell'archidiocesi di Ancona.
12 » Monsig. Guglielmo Solil, della diocesi di Sebenico.
28 » »• Monsig. Teodoro Marino Pietro Bekkers, della diocesi di Haarlem.
30 » * Monsig. Fortunato Zocchi, dell'archidiocesi di Milano.
10 Agosto » Monsig. Michele J. Whalen, della diocesi di Newark.
» » » Monsig. Guglielmo F. Lawlor, della medesima diocesi.
»• Monsig. Guglielmo A. Griffin, della medesima diocesi.
» Monsig. Giovanni J. Dauenhauer, della medesima diocesi.

Camerieri Segreti di Spada e Cappa Soprannumerari di S. S.:

5 Agosto 1929. Il sig. William V. Griffin, della diocesi di Trenton.
10 » » Il sig. Tommaso J. Maloney, della diocesi di Newark.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

10 Luglio 1929. Monsig. Antonio Rossi, della diocesi d'Ivrea.
20 » » Monsig. Michele Colombo, della diocesi di Asti.

Camerieri d'onore di Spada e Cappa Soprannumerari di S. S. :

22 Luglio 1929. 11 sig. Alvaro Camiro de Angulo, della diocesi di Barcellona.
18 » » Il sig. Dott. Jan Jirì Riickl, dell'archidiocesi di Praga.
24 » » I I sig. Costantino Silvino Jakimowicz, dell'archidiocesi di Varsavia.

NECROLOGIO

5 Agosto 1929. L'Emo sig. Card. ANTONIO MENDES BELLO, del titolo dei Ss. Marcellino e Pietro, Patriarca di Lisbona.

Annus XXI - Vol. XXI 1 Octobris 1929 Num. 13

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMRNTAEIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

NOTANDUM

In nota ad art. 6, § i, *Sollemnis Conventionis inter Sanctam Sedem et Borussiae Rempublicam, in calce p. 527 huius* Commentarii Officialis, *verba « alium etiam eligere qui sit extra elenchos » legenda, seu, si mavis, intellegenda sunt ita: «alios etiam eligere qui sint extra elenchos».*

CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE SEMINARIO RUSSICO

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quam curam de Orientalibus ad catholicam unitatem reducendis, ut sacram Nos hereditatem a Decessoribus Nostris accepisse, haud semel, sed praesertim Litteris Encyclicis ***Berum Orientalium*** anno superiore datis, sollemniter testati sumus, ea Nos ad nova pro illarum gentium salute excogitanda remedia semper impellit, quo citius et plenius optatus dissitorum filiorum reditus comparetur.

Yerum maxima prae ceteris Nos tenet pastoralis sollicitudo de nobilissimis Russicae ditionis gentibus, quas in profundum paene maiorum detrusit lugenda omnium cum divinarum tum humanarum rerum ibi iam diu furens perturbatio. Nam cum teneris ado-

leseentibus potissimum diabolicam struantur insidiae, ut, iniquissimis doctrinis infecti, homines atque etiam ipsum. Deum (horribile dictu!) acerrimo odio prosequi consuescant, nulla humanitus affulget spes fore ut brevi res in melius cedant.

Sed quoniam etiam ***contra spem in spem credere (Rom.,*** IV, 18) fides Nostra Nos edocet, quia ***non erit impossibile apud Deum omne verbum*** (Luc, I, 37) et quoniam supremi regiminis officium Nos urget ut, quantum in Nobis est, omnia praesto habere curemus, quae ad novam illius gentis spiritualem resurrectionem divinae Providentiae consiliis, cum primum misericordiae tempus advenerit, efficacius inservire possint, nihil aliud tam necessarium tamque opportunum ducimus, quam impensum studium de catholico clero instituendo, cui huiusmodi cura incumbit et qui hodiernis sacerdotibus pondus diei et aestus strenue portantibus, sed laboribus et aerumnis iam iam confectis atque etiam non sine quadam quasi martyrii palma in dies succumbentibus, in auxilium veniat, et novos, quos ex miserentis Dei bonitate firmiter speramus copiosissimos, animarum manipulos colere et colligere et in horrea Domini reponere possit.

Iamvero ad haec Nostra vota opere adimplenda, post diuturnas ad Deum preces et collatis consiliis cum dilecto filio Nostro Aloisio Sancti Georgii in Velabro S. E. E. tunc Diacono nunc Presbytero Cardinali Sincero, Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali Secretario eodemque Nostrae Commissionis pro Russia Praeside, Seminarium seu Collegium Eussicum in Urbe condere statuimus; in hoc, dicimus, totius catholici orbis centro et capite, unde romano spiritu omnino imbuti ad suos cives novi apostoli redeant. Proposito autem huic Nostro tempestive propitia adfuit e caelis, quam nuper simul cum S. Francisco Xaverio Missionum omnium catholicarum Patronam ediximus, S. Teresia a Iesu Infante; dum enim haec animo volvebamus, sponte Nobis, ipsius Lexoviensis Virginis nomine, oblata est sat copiosa pecuniae vis, quae ad aedes Collegio Eussico exstruendas instruendasque fere esset par. Quavis igitur abrupta mora, tam aperto divino freti auxilio, aptum ad S. Mariae Maioris in Exquiliis locum selegimus, ubi superiore

anno millesimo nongentesimo vigesimo octavo, die undecima Februarii, in festo Immaculatae Virginis apud Lapurdium visae, auspicalem novi Collegii lapidem idem dilectus filius Noster Aloisius S. E. E. 'Cardinalis Sincero nomine Nostro sollemniter posuit. Cuius quidem rei feliciter tunc inchoatae gratam in aevum memoriam, annuo Pontificatus Nostri nomismate id referente, servari voluimus.

Nunc vero, cum novum illud aedificium in eo sit ut compleatur, perficiendae huic magni momenti rei manus admovere cupientes, vehementerque exoptantes ut hoc ipso Nostri sacerdotii anno quinquagesimo selectus clericorum numerus illuc recipi possit, ad eiusdem Seminarii seu Collegii iuridicam erectionem dévenire statuimus. Quod itaque ad maiorem divini Nominis laudem ac religiosae rei incrementum cedat et verae Christi Ecclesiae inter slavicas gentes praesertim promovendae benevertat, Seminarium seu Collegium Russicum, cui Sanctae Teresiae ab Infante Iesu nomen indimus, in Urbe conditum, Apostolica Nostra auctoritate constituimus eique legitimi Pontificii Collegii iura tribuimus. Volumus autem ut in illud adolescentes in primis e Russica ditione ac ritu slavico-byzantino recipiantur, qui suis civibus fide catholica excolendis, Deo inspirante, operam navare cupiant; aliique praeterea iuvenes, qui, ex qualibet gente oriundi, ritu slavico -byzantino plerumque suscepto, se totos populis reipublicae Russicae ad unicum Christi ovile reducendis dedicare firmiter statuerint. Hi omnes in Collegio Russico, pro cuiusque praeteritorum studiorum genere, apto annorum numero alentur, iis philosophicis ac theologicis atque etiam peculiaribus aliis disciplinis applicati, quas legitimi Superiores, iis necessarias esse autumaverint, secundum particularia, mox condenda et a Nobis probanda, huius Collegii statuta. Potissimum vero in his futuris Evangelii praeconibus instituendis curandum erit ut, solida admodum pietate ac scientia in primis informati, apostolico zelo de catholica unitate procuranda vehementer inflammentur et aptis ad id instruantur adiumentis; qua in re peculiaris habenda erit ratio de propriis Russorum aliarumque Russicae ditionis gentium historia et moribus cognoscendis,

de sacris slavici-byzantini ritus caeremoniis digne addiscendis exercendisque atque de illarum regionum erroribus scite refutandis.

Ad Collegii regimen quod attinet, cum Eussicum apud Nostrum Institutum Orientale exsurgat eique non modo contiguum sed etiam affine dici possit, et frequens inter haec duo Instituta commercium habeatur necesse sit, eidem religiosae familiae utrumque commissum volumus. Quapropter decernimus ut Collegium Eussicum Societatis Iesu Sodalibus regendum et moderandum tradatur ad eas leges, quae ex praescriptis Pontificiae Commissionis pro Eussia et ex peculiaribus statutis pro hoc Seminario a Nobis adprobandi s, servandae erunt.

Dum igitur humillimas Deo referimus gratias quod haec perficere Nobis concessit, certam fovemus spem fore ut hoc carissimum Nostrum Eussicum Collegium complurium sacerdotum secundum Cor Iesu revera effectorum seminarium evadat, nec minus efficaciter ad Eussicarum gentium salutem conferat, quam alia lectissima huiusmodi Collegia in Urbe olim condita, ut venerabile Anglorum Collegium et Pontificium Collegium Germanicum-Hungaricum, quorum opera quantum res catholica in illis regionibus magnas inter temporum difficultates adiuta et promota sit, publicae testantur historiae.

Cum autem Eussicum S. Teresiae ab Infante Iesu Collegium, ut diximus, ad S. Mariae Maioris in Exquiliis, ad Marianam scilicet Aedem principem et velut sub materna Deiparae Virginis umbra exstrui contigerit, faustissimum inde omen repetimus, quippe qui pro certo habeamus Immaculatam Christi Matrem, cuius cultus apud Orientales, etiam post miseram eorum ab Ecclesiae unitate defectionem, tanti semper fit, hoc Nostrum Institutum in suam proximam clientelam feliciter esse accepturam. Eidem praeterea adsit a caelo potens Missionum Patrona, cuius nomine Collegium hoc insignitur, eiusque valido patrocinio, quemadmodum coeptum est, magis in dies evolvatur et floreat.

Volumus autem ut harum Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis,

eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si originaliter exhibitae vel ostensae forent.

Quae denique hisce Litteris statuimus, decrevimus, indiximus, ea rata omnia firmaque permanere auctoritate Nostra volumus, iubemus: quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petram, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo nono, die decima quinta mensis Augusti, in Festo Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Pontificatus Nostri anno octavo.

FR. ANDREAS CARD. FRÜHWIRTH, *Cancellarius S. R. E.*

ALOISIUS CARD. SINCERO, *S. C. pro Ecclesia Orientali Secretarius.*

ioseph Wilpert, *Becanus Collegii' Protonotariorum Apost.*
ioannes Zani Caprelli, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco Plumbi

Reg. in Cane. Ap., vol. XL, n. 75 - **M. Riggi.**

LITTERAE APOSTOLICAE

I

ERIGITUR- IN SYRIA DIOECESIS BERYTENSIS ARMENORUM

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Litteris apostolicis Nostris sub anulo Piscatoris datis die xv mensis Octobris anno **MDCCCCXXVIII**, ab urbe Constantinopolitana sedes Patriarchatus Ciliciae Armenorum - in Libanum translata est, ita ut in posterum sit sedes seu residentia Patriarchae Ciliciae Armenorum in *Bzommar* prope Berytensem urbem, ubi iam primi Patriarchae Armeni commorati sunt. Nunc autem ut rebus Patriarchatus eiusdem melius prospiciamus, conlatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui negotiis Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali praepositi sunt, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine praesentium Litterarum tenore, novam erigimus in Syria dioecesim,

quae ex nunc erit peculiaris dioecesis hodierni Patriarchae Ciliciae Armenorum eiusque pro tempore successorum. Hanc vero novam dioecesim, quae a principe urbe Berytensi nuncupabitur *Berytensis Armenorum,* sequentibus limitibus constituimus: ad boream videlicet dioecesis ipsa fines attingat Aleppensis dioecesis; ad orientem Monte Antilibano ac Syria interiore circumscribatur; ad meridiem vero limitibus terminet Palaestinae; ad occidentem denique mari Mediterraneo alluatur. Sedes autem atque episcopalis cathedra eiusdem- dioecesis Berytensis Armenorum erit in urbe Berytensi, ac propterea, dum ecclesiam Armenorum, quae in honorem Sancti Eliae Deo dicata est, ad dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus, praecipimus ac mandamus ut in eadem ecclesia cathedrali Sancti Eliae cathedra episcopalis siet peculiaris Patriarchae; integra tamen facultate remanente, eidem Patriarchae quoties ei benevisum fuerit, in propinquo loco *Bzommar* apud aedes Armenas atque ecclesiam Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae commorandi; Patriarcha vero in urbe Berytensi suam tum Patriarchalem tum Episcopalem peculiarem Curiam constituat. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas, atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectant sive spectare poterunt plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque atque inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxv mensis Ianuarii anno **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri septimo.

P. C**AED.** G**ASP ARRI,,** *a Secretis Status.*

II

LIMANUM TEMPLUM B. M. V. A ROSARIO, ORDINIS PRAEDICATORUM, BASILICAE MINORIS TITULO ET HONORIBUS DECORATUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Peruvianis in finibus atque in civitate Limana exstat ecclesia Conventui Ordinis Praedicatorum adnexa, quae sub titulo Sacratissimi Rosarii Beatae Mariae Virginis Deo dicata est. Prior vero Provincialis Ordinis ipsius in Peruvia Nos edocet, ecclesiam ipsam, iam saeculo sexto decimo fundatam, a terrae motibus pluries labefactatam,

iterum'atque iterum exstructam, iugiter vero ad meliorem formam redactam fuisse; amplitudine autem atque artis operibus inter conspicuas Limanae civitatis aedes sacras ab omnibus haberi; turri quoque exornatam et tholo, in quo Sanctorum Ordinis Praedicatorum imagines positae sunt. Eodem in templo inter cetera altare Beatae Mariae Virgini a Rosario dicatum in admirationem fidelium se profert, in eoque exstat antiqua prodigiisque clara Imago Beatae Mariae Virginis sub Rosarii titulo, quam omnes non modo Peruviae cives, sed etiam advenae devotissime venerantur. Piae propterea sodalitates christifidelium numero spectatae ipsa in sacra aede floreat; ibique patres, adspirantes ac fratres Ordinis Praedicatorum in adiecto conventu, qui religiosae provinciae peruvianae a Sancto Ioanne Baptista nuncupatae praepositus est, degentes digne continenterque sacras functiones peragunt, in animorum ministerium sollerter fructuoseque incumbunt, christianae vitae conspicua fidelibus exempla praebent. Quapropter cum ipse Prior Provincialis Limanus enixas Nobis supplicationes, suffragio auctas amplissimo tum Nuntii Apostolici Nostri in Peruvia, tum Archiepiscopi Limani, tum denique Procuratoris generalis praelaudati Ordinis Praedicatorum, adhibuerit, ut Limanum ipsum templum dignitate privilegiisque Basilicae minoris augere dignaremur, Nos precibus huiusmodi adnuendum ultro libenterque existimavimus. Quae cum ita sint, audito venerabili fratre Nostro Camillo S. R. E. Cardinali Laurenti, Diacono Sanctae Mariae Scalaris, Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, omnibusque rei momentis diligenter perpensis, motu proprio atque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ecclesiam Beatissimae Virgini a Rosario sacram, in civitate et archidioecesi Limana positam, et curis concreditam Fratrum Ordinis Praedicatorum, Basilicae minoris titulo, cum privilegiis honorificentiisque iuxta constitutiones Apostolicas et decreta competentibus, condecoramus.

Haec vero edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xi m. Februarii an. **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. C**ARD.** G**ASPARRI,** *a Secretis Status.*

in

DISTRACTO TERRITORIO EX VICARIATU APOSTOLICO DE TATSIENLU ATQUE EX DIOECESI CALCUTTENSI ERIGITUR MISSIO INDEPENDENS DE SIKKIM IN SINIS.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — In longinquis latisque terrae regionibus ad christianam fidem latius propagandam Romani Pontifices 'Decessores Nostri sacros, numero ac facultatibus aptos, operarios instituendos opportune continenterque curarunt; ideoque Nos quoque, eorundem vestigia prementes, hac super re postulationibus ad Nos missis attente ac provido consulere satagimus. Quapropter cum Vicarius Apostolicus de Tatsienlou in Sinis Nos edocuerit iam Sacrae Congregationis de Propaganda Fide decretis, die **III** mensis Iulii an. **MDCCCCLXXXIII** et die xx m. Martii anno MDCCCCXii datis, suo vicariatui apostolico, olim de Thibet nunc autem de Tatsienlou nuncupato, aliqua esse addita ex Indiis Orientalibus territoria, quae ad *Boutan* Anglicum et ad *SiMim* pertinebant, ut facilius inibi Evangelium diffunderetur, sed ob nimiam a sua habituali domo distantiam eorundem regionem regimen se servare non posse; ac proinde ipse Apostolicus Vicarius Nos enixe rogaverit ut praedicta territoria, a vicariatu suo seiuncta, in novam atque independentem Missionem erigerentur: Nos, attenta quoque plena rationum cessatione, quae iam ut unionem praefatam décernèrent Patres Sacrae Congregationis Purpuratos persuaserunt votis hisce ad Nos moris concedendum existimavimus. Idque facilius cum amplissimum Delegati Apostolici Nostri in Indiis Orientalibus suffragium accedat, ac venerabiles fratres Nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales Sacrae Congregationi christiano nomini propagando praepositi adnuendtim esse postulationibus huiusmodi censuerint. Itaque omnibus rei momentis attente perpensis, motu proprio atque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore territorium de Boutan Anglicum (ex quo nunc civilis subdivisio de Kalimpong efformatur), nec non territorium, sive eiusdem partem, Status independentis de Sikkim, quae huc usque vicariatui apostolico de Tatsienlou coniungebatur, a vicariatu apostolico ipso separamus; itemque de Calcuttensi archidioecesi reliquam Status de Sikkim partem avellimus sive abstrahimus; ex quibus vero tum de Kalimpong tum integri Status indigenae de Sikkim territoriis novam independentem Missionem efformamus, cui a *SiMim* in posterum nomen facimus. Spi-

ritualem vero curam eiusdem Missionis, quam Calcuttensi ecclesiasticae provinciae adiungimus, ad Nostrum et Sanctae Sedis beneplacitum Sodalibus Seminarii Parisiensis pro Missionibus exteris, auctoritate apostolica Nostra committimus.

Haec statuimus, contrariis non obstantibus quibuslibet, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere-, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super bis, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xv mensis Februarii an. MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri octavo.

. P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

IV

EX VICARIATU DISTRICTUS ORIENTALIS PROMONTORII BONAE SPEI SEPARATO TERRITORIO ERIGITUR MISSIO INDEPENDENS DE QUEENSTOWN.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Ut Evangelium hominibus apte praedicari queat in longe dissitis latisque Orbis regionibus, Romani Pontifices Decessores Nostri consueverunt Dominici agri excolendi, Episcopis Vicariisque Apostolicis concrediti, ipsis in locis limites opportunitate data minuere operariosque propterea Evangelii numero eisdem in regionibus augere. Nos proinde, vestigiis Decessores Nostros sequuti, cum venerabiles fratres Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales rebus Sacrae Congregationis de Propaganda Eide praepositi censuerint vicariatum apostolicum Districtus Orientalis Promontori! Bonae Spei reapse latius pertinere proindeque opportunum esse ut aliqua ex eodem pars distrahatur, aliis Evangelii praeconibus committenda, omnibus rei momentis attente consideratis, haec quae infrascripta sunt statuimus, mandamus. Nimirum motu proprio atque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore novam Missionem independentem, nomine de *Queenstown* appellandam, erigimus. Novae autem huius Missionis territorium distrahimus sive separamus a memorato apostolico vicariatu Districtus Orientalis Bonae Spei

et sequentibus civilibus districtibus* hodiernis finibus circumscriptis, constitutum volumus, videlicet: *Queenstown, Glen Grey, Caiheart, StuMerJieim, T arica, Maraisburg* et *Stockenstron;* eiusdemque novae Missionis curam, ad Nostrum et Sanctae Sedis beneplacitum presbyteris Piae Societatis Missionum, vulgo *Pallottini,* in Domino committimus.

Haec edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exsistere et fore; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritum que ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xx m. Februarii an. **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. C**ARD.** G**ASPARRI,** *a Secretis Status.*

V

A VICARIATU APOSTOLICO DE SWATOW SEPARATO TERRITORIO ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA DE KAYING IN SINIS.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Pastorale officium Nobis ex alto commissum nihil Nos magis sollicitat quam necessitatibus locorum, qui in longinquis nationibus incolarum numero ac latitudine regionis praestant, omni, quo cum Deo possumus, studio prospicere, praesertim ut christifideles inibi degentes ad Suarum animarum salutem assequendam opportunis praesidiis adiuventur. Quapropter cum praefatis rationibus commotus venerabilis frater Apostolicus de Swatow in Sinis Vicarius, plenissime suffragante Delegato Apostolico Nostro in Sinensi Natione, enixis precibus Nos rogaverit ut suus de Swatow vicariatus apostolicus, territorii amplitudine atque incolarum numero omnino conspicuus, nunc ita divideretur, ut ex eodem, ad catholicam Fidem inibi validius promovendam, alia quoque Missio sui iuris constitueretur, huiusmodi supplicationibus ad Nos motis adnuendum libenti animo censuimus. Conlatis itaque consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibusque rei momentis attento ac sedulo studio perpensis, ut in memorata Sinensi regione christianae Fidei progres-

sui aptius prospiciatur, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi, e territorio vicariatus apostolici de Swatow in Sinis civiles subpraefecturas separamus de *Kaying, Taipu, Pingyun, Hingning, Lungchun, Chenping, Hoping, Linping, Chongloh,* pago tamen de *Chong-San* excepto, easdemque subpraefecturas, sic a vicariatu apostolico de Swatow separatas, in novam praefecturam apostolicam erigimus et constituimus. Porro volumus ut post hac ipsa nova praefectura apostolica de Kaying nominetur, eandemque curis, ad Nostrum et Sanctae Sedis beneplacitum, Societatis pro Exteris Missionibus de Maryknoll in Domino committimus.

Haec mandamus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos et integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xx m. Februarii an. MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri octavo.

P. CARD. GASPARRT, *a Secretis Status.*

VI

SANCTUARIUM R. M. V. GRATIARUM IN OPPIDO « SAN GIOVANNI VALDARNO » DIOECESIS FAESULANAE, HONORIBUS BASILICAE MINORIS AUGETUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Eaesulanae dioecesis intra fines in oppido a Sancto Ioanne Vallis Arnensis nuncupato sanctuarium exstat seu insigne oratorium Deo Optimo Maximo dicatum in honorem Beatae Mariae Virginis Gratiarum. Sanctuarium ipsum suam duxit originem ex veteri quodam sacello, saeculo quinto decimo exeunte, exorto, quod postea, saeculo praecipue sequenti, ampliatum est atque operibus artis perspicuis ornatum; saeculo vero praeterito decimo nono instauratum decoratumque ac tandem est completum. Eodem in sanctuario, quod copiosis quidem et divitibus supellectilibus sacris praeditum relhquiisque insignibus locupletatimi est, »acerdotes loci, qui numero ac dotibus apti eidem sunt addicti,

sacras functiones per annum continenter peragunt, animarum ministerio funguntur, cum haud parvo christifidelium tum oppidi a Sancto Ioanne praedicti tum regionis finitimae spirituali emolumento. Ipso quoque in sanctuario, indulgentiis privilegiisque honestato, confraternitates seu piae societates, sociorum numero conspicuae exstant; et saepe earundem societatum cura turmatim christifideles ad sanctuarium conveniunt peregrinantium more ex variis Tusciae locis ad opem auxiliumque implorandum Virginis Gratiarum, cuius vetusta Imago eodem in Vallis Arnensis oratorio colitur. Ultro libenterque propterea precibus concedere volumus, quas venerabilis frater Faesulanus Episcopus una cum Capitulo ecclesiae suae cathedralis et toto sive regulari sive saeculari clero dioecesis, vota commendans fidelium ac magistratuum regionis, ad Nos enixe admovet ut memoratum templum Mariale, sive sanctuarium, dignitate Basilicae minoris augere dignemur. Conlatis itaque consiliis cum dilecto filio Nostro Camillo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Laurenti, Diacono Sanctae Mariae Scalaris, Sacrorum Rituum Congregationis Propraefecto, motu proprio atque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum oratorium sive sanctuarium Beatae Mariae Virginis Gratiarum in oppido Sancti Ioannis Vallis Arnensis intra dioecesis Faesulanae fines titulo ac dignitate Basilicae minoris decoramus, nec non privilegiis atque honoribus, quae iuxta Sacrae Rituum Congregationis decreta sacris aedibus hoc titulo auctis de iure competunt.

Haec largimur decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exsistere ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xx m. Februarii an. **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. C**ARD.** G**ASPARRI,** *a Secretis Status.*

VII

DISMEMBRATO TERRITORIO EX VICARIATU APOSTOLICO DE WUIIU ERIGITUR VICARIATUS APOSTOLICUS DE ANKING IN SINIS.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Ut, aucto Pastorum numero, spiritualibus christiani gregis necessitatibus consultius provideamus, Nos supremum Nobis commissum in Ecclesia Christi clavium munus instanter admonet. Quapropter cum venerabilis frater Apostolicus de Wuhu in Sinis Vicarius Nos edocuerit opportunum sibi videri a vicariatu suo, qui latissimo territorio conspicuoque incolarum numero constitutus est, quasdam partes auferendas esse ut ex eisdem novae, aliis in vinea Domini operariis concredendae, Missiones constituerentur: Nos, omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Eomanae Ecclesiae Cardinalibus, qui rebus Sacrae Congregationis a Propaganda Fide praepositi sunt, votis huiusmodi, amplissimo quoque suffragio auctis Delegati Apostolici Nostri in Sinis, ultro libenterque annuendum existimavimus. Itaque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore totum territorium quod subpraefecturas civiles complectitur de *Anhing, Hohfei, Hwoshan, Kweichich, Linan, Lukiang, Shucheng, Susung, Taihu, Tungcheng, Tungliu, Tsienshan, Tsiupu, Wanglciang, Yingshan,* a memorato de *Wuhu* vicariatu separamus, atque in novum apostolicum vicariatum constituimus, erigimus, cui nomen de *Anhing* facimus. Eundemque vero vicariatum presbyteris Societatis Iesu, de catholica religione in tota regione eadem tam bene meritae, ad Nostrum et Sanctae huius Sedis beneplacitum committimus.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxi m. Februarii an. **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

VIII

EX VICARIATU APOSTOLICO DE WUHU SEIUNCTO TERRITORIO ERIGITUR VICARIATUS DE PENGPU IN SINIS.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Ea, quae catholicae Fidei propagandae aeternaeque hominum saluti feliciter eveniant, ut opportune praestemus Nos continenter admonet supremum munus quo Dei gratia, licet immeriti, in terris fungimur. Quapropter cum Vicarius Apostolicus de Wuhu in Sinis Nos enixe rogaverit ut, ad catholicam fidem aptius provehendam in vicariatus sui territorio latissimo, quasdam ab eodem separaremus partes, ex quibus nova ecclesiastica efformaretur circumscriptio aliis evangelicis operariis assignanda: Nos hisce supplicationibus, suffragio quoque auctis amplissimo venerabilis fratris Delegati Apostolici Nostri in Sinis, annuendum, quantum in Domino possumus, existimavimus. Omnibus igitur rei momentis sedulo attenteque studio perpensis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Eomanae Ecclesiae Cardinalibus, qui negotiis expediendis Sacrae Congregationis a Propaganda Fide praepositi sunt, Nos ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi, subpraefecturas civiles nuncupatas de *Chuantsiao, Chuchow, Chuy i Fengtai, Fengyang, Hwaiynan, HwoMu, Kwoyang, Laian, Lingpi, Mengchen, Fochow, Sowchow, Buchow, Szechow, Taiho, Tienchang, Tingyuan, Wuho, Yingchow, Yingshang,* quae huc usque intra limites vicariatus apostolici de Wuhu exsistebant, ab eodem vicariatu seiungimus, easdemque in novum apostolicum vicariatum de *Pengpu* nuncupandum erigimus ac constituimus. Volumus vero ut ipsius de Pengpu vicariatus cura, ad Nostrum et Sanctae Sedis beneplacitum presbyteris Societatis Jesu, tam de re catholica bene meritis in tota eadem Sinensi regione, concredita sit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Haec edicimus, mandamus, decernentes praesentes Litteras Nostras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxi m. Februarii an. MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri octavo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

IX

SACRA AEDES S. GODEFRIDI CONFESSORIS, IN OPPIDO ILBENSTADT DIOECESIS MOGUNTINAE INTRA FINES, O. S. B., HONORIBUS BASILICAE MINORIS AUGETUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Monasterii Sancti Benedicti in loco quem *Ilbenstadt* nuncupant, intra Moguntinae dioecesis fines, Prior ad Nos refert asceterium Ilbenstadiense suum, quod iam erat Praemonstratensium Ordinis, decimo secundo saeculo originem habuisse atque ecclesiam coenobio adiectam anno **MCLIX** ab Archiepiscopo, qui tunc temporis praeerat Moguntinae dioecesi, consecratam esse. Templum idem vetustate renidet, atque structura praenobili ad instar basilicarum fulget, operibusque artis perspicuis exornatur. Ipsa sacra in aede, quae pretiosis paramentis supellectilibusque locupletatur, cultus divini functiones omni cum cura digneque peraguntur a Monachis Ordinis Sancti Benedicti Congregationis a primaeva observantia Cassanensis, qui in adnexo monasterio vitam religiosam ducunt, atque in animorum ministerium sollerter incumbunt, cum templo coenobioque eisdem paroecia quoque civitatis Ilbenstadiensis adiungatur. Coetus propterea christifidelium et confraternitates eadem in ecclesia florent cum haud parvo animorum emolumento; civitatisque incolae peculiares indulgentias eodem in templo lucrari queunt; huc denique, peregrinorum more, Sanctum Godefridum, primi monasterii fundatorem ibique sepultum, veneraturi ex tota non modo Moguntina dioecesi sed e viciniore quoque regione numero conspicui veniunt fideles, qui sanctas festivitates ipsa in sacra aede Ilbenstadiensi studiose celebrant. Eem igitur opportunam Nos facturos existimavimus si Prioris Ilbenstadiensis monasterii optatis concederemus; quod eo libentius facimus, cum id etiam toti Ordini Sancti Benedicti, tam de Ecclesia bene merito, gratum fore putaverimus; reique tam venerabilis frater Noster Antonius S. R. E. Cardinalis Vico, Episcopus Portuensis et S. Rufinae nec non Sacrorum Rituum Congregationis Praefectus, quam venerabilis frater Moguntinus Episcopus amplissime sint suffragati. Itaque apostolica Nostra auctoritate, praesentium Litterarum vi, praefatam ecclesiam Deo optimo Maximo sacram in honorem Sancti Godefridi Confessoris, monasterio Ilbenstadiensi Ordinis S. Benedicti adiectam, intra fines Moguntinae dioecesis, titulo ac dignitate Basilicae minoris perpetuum in modum augemus, illique omnia et singula iura privilegiaque conferimus, quae iuxta morem ac decreta Sacrorum Ri-

tuum Congregationis ecclesiis hoc titulo auctis competunt. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac fore, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illique, ad quam spectant, libenstadiensi ecclesiae, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quoquam, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxm m. Pebruarii an. MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri octavo.

P. CAED. GASPARRI, *a Secretis Status.*

X

TITULO ET HONORIBUS BASILICAE MINORIS AUGETUR TEMPLUM S. JOSAPHAT EPISCOPI ET MARTYRIS, IN CIVITATE MILWAUKIENSI.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Archiepiscopali in urbe Milwaukiensi templum exstat insigne Deo dicatum in honorem Sancti Josaphat Episcopi et Martyris; eidemque templo adnexa est animarum cura pro linguae polonicae christifidelibus, quae Fratribus Minoribus Conventualibus e religiosa provincia Sancti Antonii Patavini in America septentrionali concredita est. Nunc autem tam Milwaukiensium Archiepiscopus quam Sinus Yiridis Episcopus, qui eandem Sancti Josaphat ecclesiam consecrant, una cum Ministro provinciae S. Antonii Patavini praefatae ex Ordine Fratrum Minorum Conventualium, atque etiam cum Procuratore generali laudati Ordinis Nos edocent Milwaukiense ipsum S. Josaphat Episcopi et Martyris templum amplitudine, structura praenobili, conspicuis artis operibus excellere, ita ut non modo inter archidioecesis Milwaukiensis praecipua sacra aedificia, sed totius quoque Americae Septentrionalis merito adnumeretur. Adlectus ecclesiae est item Ordinis conventus, in quo numerosi vivunt Fratres Minores Conventuales, qui sollerter nitideque incumbunt in paroeciale ministerium, magno cum decore in templo eodem sacra implent munera, ac functiones liturgicas peragunt. Quapropter, cum praedicti viri enixas Nobis preces adhibuerint ut ecclesiam ipsam, quamvis eadem sit recentiore tantum tempore largitionibus conspicuis *Sb* Fratribus memoratis in paroecia collectis exstructa, titulo ac dignitate

Basilicae minoris honestare dignemur: Nos, animo repetentes illud S. Josaphat templum in Foederatis Americae Septentrionalis Civitatibus verae pietatis esse Polonorum monumentum, huius anni «Iubilaeo sacri occasione, benevolentiae Nostrae erga Polonos ipsos itemque sollertes erga Sodales Minores, quibus ecclesia est credita, significationem exhibendam ultro libenterque existimavimus. Quae cum ita sint, conlatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Eomanae Ecclesiae Cardinalibus, qui sacris tuendis ritibus praepositi sunt, ecclesiam in honorem Sancti Josaphat Episcopi et Martyris Deo dicatam in civitate et archidioecesi Milvvaukiensi, conventui continentem Ordinis Fratrum Minorum Conventualium provinciae Sancti Antonii Patavini, Basilicae minoris titulo ac dignitate decoramus, privilegiis atque honoribus illi attributis, quae iuxta Apostolicas dispositiones templis hoc titulo auctis de iure competunt. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Haec concedimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos et integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die x m. Martii an. **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. C**ARD.** G**ASPARRI,** *a Secretis Status.*

XI

IMMUTATUR TITULUS PRAEFECTURAE APOSTOLICAE OLIM DE HPYENG-AN NUNC DE PENG-YANG.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Litteris Apostolicis Nostris sub Anulo datis die xvn m. Martii an. **MDCCCCXXVII**, vicariatu apostolico de Seoul in Corea dismembrato, novam praefecturam constituimus apostolicam, quam tunc de Hpyeng-an nuncupavimus. At cum Missiones opportune vocari videantur non secus ac regiones civiles in quibus eaedem sunt constitutae: Nos, conlatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Eomanae Ecclesiae Cardinalibus, qui negotiis Propagandae Fidei praepositi sunt, ex certa scietítia ac matura deliberatione Nostris deque

apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine, praesentium tenore, apostolicae in Corea praefecturae memoratae, quam iam de Hpyeng-an vocavimus, ex nunc et in posterum, suis iisdem finibus quibus nunc constituta est, de *Peng-yang* nomen facimus.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvn m. Martii an. **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. C**ARD.** G**ASPARRI,** *a /Secretis Status.*

XII

DISTRACTO TERRITORIO EX VICARIATU APOSTOLICO DE CHENGTINGFU IN SINIS ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA DE CHAOSHIEN, ET CLERO INDIGENAE COMMITTITUR.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Cum Vicarius Apostolicus de Chengtingfu in Sinis Nos edocuerit sui vicariatus territorium esse latissimum atque incolarum multitudine refertum, ita ut ipso in vicariatu Eidei catholicae propagatio atque animarum christifidelium inibi degentium -ministerium magnis sint plena difficultatibus, visum est Nobis hac uti opportunitate ut ex eodem vicariatu pars quaedam separaretur, quae quidem indigenae clero, tamquam Missio indipendens constituta, committeretur. Ad hanc quoque rem in finem perducendam consensit venerabilis frater Delegatus Noster Apostolicus in Sinis; quapropter collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui negotiis Propagandae Fidei praepositi sunt, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, ab actuali vicariatu apostolico de Chengtingfu totum territorium seiungimus, quod e civilibus subpraefecturis *de ChaosJiien, Ningtsing, Lungping, Paisiang, Lincheng Kaoyi,* constitutum est, idemque in novam praefecturam apostolicam

erigimus, quam de *Chaoshien* nuncupatam curis indigenae cleri in Domino ad Nostrum tamen et Sanctae huius Sedis beneplacitum committimus.

Haec Nos, bono regionis eiusdem prospicientes, studiosa providentia statuimus, decernentes praesentes Apostolicas Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque atque inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum 'Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **XVIII** m. Martii an. **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. C**ARD.** G**ASPARRI,** *a Secretis Status.*

XIII

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE SAPPORO IN J APONÍA AD VICARIATUS APOSTOLICI GRADUM EVEHITUR.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Ad animorum bonum provehendum ac religionis christianae incrementum curandum, Romani Pontifices nil magis vomere quam, opportunitate data, Pastorum numerum augere, qui episcopali charactere honestati sint proindeque potiore etiam congruentique gradu decorare ecclesiasticas terrarum circumscriptiones, quae Pastoribus eisdem in Domino regendae concreduntur. Quapropter cum Delegatus Apostolicus Noster in Japonia amplissime postulationibus suffragetur, quas Nobis adhibet Minister generalis Ordinis Fratrum Minorum, ut praefecturam apostolicam de Sapporo in Japonia, Ordinis sui curis demandatam spiritualibus, in vicariatum apostolicum nunc erigere dignemur: Nos, aequo considerantes conspicua incrementa quae catholica religio iam ipsa in praefectura sollertia studioque Ordinis praefati Fratrum habuit, huiusmodi precibus annuendum ultro libenterque existimavimus. Conlatis igitur consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui Propagandae Fidei negotiis praepositi sunt, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Nostrae apostolicae auctoritatis plenitudine praesentium Litterarum tenore, praefecturam apostolicam de Sapporo in Japonia, suis limitibus, prout nunc est constituta, ad ampliorem vicariatus apostolici dignitatem evehimus, eundemque

novum vicariatum ad Nostrum ac Sanctae Sedis beneplacitum Patrum Ordinis Fratrum Minorum curis committimus.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exsistere ac fore, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxx m. Martii an. **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. C**AED.** G**ASPARRI,** *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD EMUM P. D. ALEXIUM HENRICUM MARIAM TIT. S. SUSANNAE S. R. E. PRESB. CARDINALEM LÉPICIER EUMDEMQUE SACRAE CONGREGATIONIS RELIGIOSORUM PRAEFECTUM, QUEM LEGATUM MITTIT AD SOLEMNIA AURELIANENSI SANCTAE IOANNAE ARCENSI DECRETA.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Mirifice sane dextera Domini, abhinc annos quingentos, extendi visa est ut Gallorum gens nobilissima a discrimine paene extremo eriperetur: siquidem non ducis, bellicae rei peritissimi, virtute, sed ingenuae adulescentis opera, Sanctae Ioannae ab Arc, caelestibus quidem commonefactae vocibus ac roboratae, periclitans Aureliana urbs, periclitans regnum, contra spem omnium, liberata sunt. Itaque, postquam in Lotharingia pueritiam in paterno tuendo grege in rebusque obeundis domesticis transegit, pia virgo in qua, praeter religionis studium, singularis innocentiae candor elucebat, Vallem Colorum, in propinquam nempe urbem, se contulit; cumque ibidem ab arcis duce, Roberto de Baudricourt, impetravisset ut bellatricis vestibus armisque ornaretur, in Caroli VII regis conspectum ducta est, iuxta iussa, uti perhibent, quae a Michaele Archangelo, caelesti quidem Galliae defensore, itemque a sanctis martyribus Catharina et Margarita, patronis suis, divinitus acceperat. Impedimentis omne genus superatis, id factum est ut

Ioanna, non modo militum exercitui legitime praeficeretur, sed etiam ut in bello sane periculosissime, magnum, Deo favente, reportaret triumphum. Etenim, cum acerrime quidem circa Aurelianensem urbem utrimque pugnaretur - propterea quod, si ab hostibus ipsa capta esset, de Gallorum salute desperandum foret - Ioanna, paulo post, in urbis arcem mirifice penetravit et caelestis instar nuntiae recepta est; ubi vexillum suum, Iesu et Mariae imaginibus decoratum, pandendo, et hostem fudit, et Galliam Eegi suo restituit. Haec omnia, dilecte fili Noster, ut probe nosti, memoria tradidit gestarum rerum, gloriosum *Puellae Aurelianensis* titulum Ioannae decernendo. Idque deinde civitas Aurelianensis numquam oblita est, utpote quae, saeculorum decursu, liberatricis suae haud immemor, quotannis sacra et civilia sollemnia in eius honorem quo die mirabile illud accidit, celebrare consuevit. Iamvero universa prorsus nunc Gallia, moderatoribus quidem religiosae civilisque rei praeeuntibus, in eo est ut, post annum quingentesimum, eventum tam faustum rite sancteque commemoret. Quapropter Nostrum esse censemus recordationem huiusmodi participare; eo magis quo vel in natalem sacerdotii Nostri quinquagesimum, vel in libertatem Apostolicae huic Sedi restitutam feliciter sane ea incidit. Nec est praetereundum quae cura fuerit Eomanis Pontificibus ut summa laude et gloria Ioannam ab Arc prosequerentur. Exploratum enim est et Callistum III ipsius innocentiam, aliquot post annos ab eius martyrio, défendisse, et Pium X proximumque decessorem Nostrum Benedictum XV, caelitum eidem decrevisse honores, et Nosmet ipsos, vix ad Pontificatus apicem evectos, per Constitutionem *Galliam, Ecclesiae filiam primogenitam* non modo *alteram* nationis huius *Patronam* ipsam edixisse, sed etiam sub peculiari Virginis Matris Galliam posuisse tutela, ut « avitas gloriosas traditiones, mente, opere et amore foveret, servaret, adaugeret in bonum religionis et patriae ».

Cum igitur Nos iis sollemnibus, quae Aureliae mox agentur, quasi praesentiores esse cupiamus, neminem quidem ex ceteris purpuratis Patribus, te aptiorem, dilecte fili Noster, iudicamus propterea quod, non modo ipse in Sacris Consiliis Nostris Galliam amantissimam repraesentas, sed etiam in ea Vallis Colorum urbe ortum duxisti, unde Sancta Ioanna ab Arc ad coeptum suum tam mirum exsequendum olim profecta est. Ita propterea ut non modo Nostram erga Sanctam Puellam testemur pietatem, sed etiam ut benevolentiam Nostram cum tibi, eiusdem civi, sollertique Aurelianensi Episcopo, tum catholicae Galliae universae iterum declaremus. Quamobrem, perlibenti equidem animo *Legatum Nostrum* te, dilecte fili Noster, his Litteris eligimus, qui, personam Nostram gerens, nomine et auctoritate Nostra, Aurelianensibus sollemnibus, quae imminent, praesis omnibusque sacris praesideas caeremoniis; id plane confisi te quidem,.

virtute honestissimoque munere praestantem, non parum ad dignam tam fausti eventi celebrationem collaturum. Interea, ad rei splendorem animarumque fructum augendum, tibi damus ut, sollemniore die, sacris operatus, adstantibus nomine Nostro benedicas, plenam eisdem admissorum veniam proponens, usitatis videlicet Ecclesiae condicionibus lucrandam. Ac caelestium praenuntia donorum itemque paternae voluntatis Nostrae testis apostolica sit benedictio, quam tibi, dilecte fili Noster, tuisque omnibus effuso animo impertimus.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, die xxn mensis Aprilis anno **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. XI

II

AD R. P. D. FRANCISCUM KORDAC, ARCHIEPISCOPUS PRAGENSEM: IN CONVENTUM DE REBUS ORIENTALIBUS PRAGAE HABENDUM.

PIUS PP. XI

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — A viro eminentissimo Aloisio Sincero certiores facti sumus conventum proxime — auctoribus quidem viris a secretis Apostolatus istius Sanctorum Cyrilli et Methodii — in honoris tui sede amplissima, habitum iri; in quo, te praeside, de orientalibus studiis agetur. Huiusmodi coetus, qui Velehradii pluries, ac deinde Labaci atque Chicagiae celebrati sunt, laeto sane animo Nos probare consuevimus; per eos enim fit ut catholici omnes non modo quidquid bonum est ac praecellens in Oriente christiano pernoscant, sed etiam ut rationes viasque aptiores adhibeant quibus feliciter dissidentes fratres ad sinum Ecclesiae matris revocare contendant. Ad argumenta quod attinet quae in conventu isto agentur, libenter equidem didicimus peritissimos ea viros tractaturos esse, in primisque venerabilem fratrem Michaelem d'Herbigny, Pontificii Instituti Orientalis Praesidem, aliosque Instituti eiusdem doctores. Neque est praetereundum faustum sane eventum hoc anno a vobis celebrari, annum scilicet millesimum ex quo Dei Martyr Wenceslaus, fraterna manu interfectus, sanctissime occubuit; qui cum sit istius gentis Patronus praecipuus, fieri non potest quin vobis, memoriam virtutum eius tam pie recolentibus, opportuna auxilia a Deo impetret, non solum, quo cotidie magis catholicum nomen apud vos vigeat ac floreat, verum etiam ut studia et conata vestra ad dissidentium conversionem plu-

rimum conferant. Equidem confidimus, te moderante, rerum explanationes in singulis coetibus atque disputationes ita fieri ut integra omnino veritas catholica mentibus ostendatur participantium sive catholicorum sive dissidentium: ac praeterea ut quavis accusatione mutua aut offensione vel minima remota, alte charitas Christi in conventu dominetur, iis salvis nimirum tectisque catholicae doctrinae principiis quae cum ad dogmata, tum ad morum sanctitudinem et disciplinam pertinent. Hac spe laeti, ex animo precamur ut res in prosperos cedat exitus; atque caelestium praenuntiam munerum itemque paternae benevolentiae Nostrae testem esse volumus apostolicam benedictionem, quam tibi, venerabilis frater, iisque omnibus qui coetibus intererunt amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die n mensis Augusti anno **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. XI

III

AD R. D. AURELIUM STEHLE O. S. B., ARCHIABBATEM SANCTI VINCENTII IN PENNSYLVANIA, CATHOLICAE STUDIORUM UNIVERSITATIS PEKINENSIS CANCELLARIUM: DE EODEM INSTITUTO.

PIUS PP. XI

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Flagrantissimo illo permoti studio, quo ad omnia intendimus quaecumque cum Fidei nostrae incremento rectaque cleri et iuventutis institutione aliquo pacto copulantur, te, dilecte fili, acciri huc haud. ita pridem iussimus, ut ad Nos de Athenaei Pekinensis statu ac condicione coram copioseque referres. Atque cum magna animi voluptate audivimus non modo quae quantaque, brevi temporis spatio, monachi e tua archiabbatia, itemque abbates et sodales e tota Congregatione Americae Casinensi, te praeeunte, egissent; sed etiam quae quantaque proxime et in posterum iidem omnes in Dei gloriam et Sinensium utilitatem exsequi pararetis. Merito igitur tibi, dilecte fili, et agimus gratias et laudes tribuimus, quas pertinere etiam volumus — ut aequum est — ad eos omnes, quos diximus, cum archiabbatiae Vincentianae sodales, tum abbates et monachos Congregationis istius ex America Casinensis, utpote qui tam sollerter studioseque elaborarint in provehendis Athenaei rebus, quod aliquando, pro Sinensibus sciendi cupidis, inlustre sacrarum doctrinarum ceterarumque disciplinarum domici-

lium et quasi quoddam centrum fore, summopere confidimus. Reversus interea ad tuos, facere, dilecte fili, non potuisti quin ipsis renuntiares quam te benigne admisissemus, quam paterno gratoque animo de Athenaei negotiis deque promeritis in eius causam vestris essemus locuti, quam laeta, denique, certaque uberiorum fructuum exspectatione teneremur. Etenim hoc anno, ab archicoenobio Oasinensi condito decies quaterque saeculari, quid — rogamus — a consilio operaque vestra sperare non liceat? Nihil sane, in tantae rei memoriam, praestare poteritis aut Nobis antiquius aut sanctae Dei Ecclesiae utilius aut insigni Benedicti Patris suboli honorificentius, quam ut, omni voluntatum vestrarum contentione adhibita, Universitati studiorum Pekinensi cum viros aptissimus ad moderandum, ad docendum, ad conformandos pietate animos, tum adiumenta instrumentaque disciplinis, ut par est, tradendis, tum etiam facultates reditusque comparetis. Nec, ceteroqui, spem, praecisuri estis eiusmodi Nostram, quandoquidem, Nobiscum et cum Apostolica hac Sede coniunctissime eo praeterea usu rerum, pro gentis vestrae ingenio ac natura, floretis, ut vobis facile excogitare liceat quibus artibus optatum exitum, assequamini. Sanctissimo igitur operi, quod animose suscepistis ac sustinetis, ut veluti fastigium imponere valeatis, deprecatore utamini Patriarcha vestro Benedicto, qui filiis suis caelestis sapientiae lumina ad recte cogitandum et gratias ad fructuose agendum impetrare non desinet. Horum, interea munerum conciliatrix paternaeque benevolentiae Nostrae testis sit apostolica benedictio, quam, tibi, dilecte fili, abbatibus et sodalibus quos memoravimus, itemque doctoribus et alumnis Athenaei Pekinensis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xx mensis Augusti anno **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. XI

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Die 17 Octobris

S. MARGARITAE MARIAE ALACOQUE VIRGINIS

Duplex

Omnia de Communi Virginum, prœter sequentia

Oratio

Domine Jesu Christe, qui investigabiles divitias Cordis tui beatae Margaritae Mariae Virgini mirabiliter revelásti; da nobis ejus meritis et imitatione, ut te in ómnibus et super omnia diligentes, jugem in eodem Corde tuo mansionem habere mereantur. Qui vivis.

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente

IN II NOCTURNO

Lectio IV

Margarita Maria Alacoque, in pago dioecesis Augustodunénsis, honesto genere nata, jam inde a teneris annis futurae sanctitatis indicia praebuit. In Deiparam Virginem et in augustum Eucharistiae sacramentum amóre flagrans, adolescentula Deo virginitatem devovit, id exoptans unice ut ad christianas virtutes vitam componeret. In deliciis habebat prolixas preces rerumque caelestium contemplationem, sui contemptum, patientiam in adversis, corporis afflictatiónem, caritatem in próximos, praesertim egenos; summóque studio nitebátur ut sanctissima divini Redemptoris exempla pro viribus referret.

1^. Propter veritatem.

Lectio V

Ordinem Visitationis ingressa, statim religiosae vitae fulgóre nitére coepit. Altioris dono orationis a Deo est decorata, aliisque gratiae muneribus et crebris visiónibus. Harum celebérrima fuit cum ante Eucharistiam precánti Jesus semetipsum conspiciéndum obtulit, et divinum Cor in apèrto

pectore flammis incénsum ac spinis constrictum ostendit, praeeepitque ut, ob talem caritatem et ad ingratórum bóminum injurias expiandas, illa publicum Cordi suo cultum, magnis propositis caelestis thesauri praemiis, instituendum curaret, dinotanti ex humilitate seque tantae-rei imparem profìténti amantissimus Salvator addit animum, simulque eximia sanctitate virum, Cláudium de la Colombière, ducem et adiutorem designat; eamque spe fovet illius summa? utilitatis, quae postea e divini Cordis cultu in Ecclesiam dimanávit.

I?. Dilexisti.

Lecito VI

Ut jussa Redemptoris impleret Margarita omni diligentia studebat. Nec tamen illi defuere molestiae plures atque acres contumeliae ab iis qui eam vano mentis erróri obnoxiam esse dictitábant. Quas omnia aequo ánimo tulit, immo apponébat lucro, existimans se per oppróbria et dolores hostiam Deo gratam, fore, et majora ad propositum suum auxilia consecuturam. Religiósa? perfectionis laude florens et per aeternárum rerum contemplationem in dies singulos caelesti sponso conjunctior, ad eum evolavit, anno aetatis suae quadragesimo tertio, reparatae salutis millesimo sexcentésimo nonagésimo. Miraculis insignem Benedictus decimus quintus sanctis adscripsit; ej usque officium Pius undecimus Pontifex Maximus ad universam Ecclesiam extendit.

1^. Afferentur.

IN III NOCTURNO

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum

Cap. XI, 26-30

Lectio VII

In illo tempore, respondens Jesus dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine caeli et terrae, quia absconditi haec a sapientibus et prudentibus et revelásti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia sancti Francisci Salesii Episcopi

(Sermo XXIII in die Pent. alter, circa medium)

Nulla alia est vera scientia, nisi ea quae a Spiritu Sancto datur, sed haec humilibus tantummodo tribuitur. Nonne magnos vidimus theologos qui mira dixerunt de virtutibus, sed ut eas non exercerent? E contra complures vidimus feminas, quae de virtutibus disserere nesciebant,^ sed virtutum ópera digne nóverant adimplere. Eas enim Spiritus Sanctus sapientes effecit, quia et timorem Domini et pietatem et humilitatem habebant.

1$. Haec est.

Lectio VIII

(Fragm. serm. XVI, in III Dom. post Dent., initio)

Dominus noster, magnus et praeclarissimum omnium nostrarum infirmitátum medicus, antequam in hunc mundum veniret, per Prophetas suos palam nuntiaverat: Quod confráctum fuerit alligábo, et quod infirmum fuerit consolidano. Et deinde suo ipse ore clamávit dicens: Yenite ad me omnes qui laborátis et onerati estis, et ego reficiant vos. Quid igitur mirum si ipsum ab aegrotis, a peccatoribus et publicánis circúmdatum cernimus? Nonne medici gloria est ab aegrotis exquiri?

R¿ Média nocte.

Lectio IX

(Fragm. serm. X pro feria II post Pascha, in fine)

Fert ille nostras miserias et eas nobilitat, apponit misériam Cordi suo, ostendit latus. Sed eum redamémus oportet, alioquin qui prae amóre ostendit vulnera, semel ostendet prae ira et indignatióne. Fac, o bone Jesu, ut pacem, quam offers, accipiamus, videamusque vulnera tua, ut quandoquidem manent fides, spes, caritas, fide radicati, spe gaudentes et caritate ferventes, expectemus beatam spem et adventum tuum, ita ut in illo Te, Agnum ad dexteram non leónem ad sinistram videamus; ac pro fide visionem, pro spe possessionem et pro caritate imperfecta perfectam habeamus, in qua gaudébimus in saecula saeculorum. Amen.

Te Deum laudamus.

• *Lectio pro festo commemorato ad Matutinum legenda juxta Rubricas.*

Lectio IX

Margarita Maria Alacoque, in pago dioecesis Augustodunénsis honesto genere nata, jam a teneris annis futurae sanctitatis indicia praebuit. In Deiparam Virginem et in augustum Eucharistiae sacramentum amóre flagrans, adolescentula Deo virginitatem devovit; ac Ordinem Visitationis ingressa, statim religiosae vitae fulgóre nitóre coepit. Altioris dono orationis a Deo est decorata, aliisque gratiae muneribus et crebris visiónibus. Harum celebérrima fuit cum ante Eucharistiam precánti Jesus semetipsum conficiendum obtulit, et divinum Cor in apèrto pectore flammis incénsum ac spinis constrictum ostendit, praeeepitque ut, ob talem caritatem et ad ingratórum hominum injurias expiandas, illa publicum Cordi suo cultum, magnis propositis caelestis thesauri prenais, instituendum curaret. Religiosae perfectionis laude florens et per aeternárum rerum contemplationem in dies singulos caelesti sponso conjunctior, ad eum evolavit, anno aetatis

suae quadragesimo tertio, reparatae salutis millesimo sexcentésimo nonagésimo. Miraculis insignem Benedictus decimus quintus sanctis adscripsit: ejúsque officium Pius undecimus ad universam Ecclesiam extendit.

V esperoß de sequenti, Commemoratio prœcederdis

MISSA

Introitus *C ant. 2, 3.*

Sub umbra illius, quem desideráveram, sedi: et fructus ejus dulcis gutturi meo. .Ps. 83, 2-3 Quam dilecta tabernácula tua, Dómine virtutum! concupiscit et déficit ánima mea in atria Domini.

T. Gloria Patri.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui investigabiles divitias Cordis tui beatae Margaritae Mariae Virgini mirabiliter revelásti: da nobis ejus meritis et imitatione; ut te in ómnibus, et super omnia diligentes, jugem in eodem Corde tuo mansionem habere mereámur: Qui vivis.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Ephesios
Ephes. 3, 8-9 et 14-19

Fratres: Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, m gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacraménti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit. Hujus rei gratia flecto génua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriae suae, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem: Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in caritate radicati, et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, et longitude, et sublimitas, et profundum: scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleámini in omnem plenitudinem Dei.

Graduale Cani. 8, 7 Aquae multae non potuerunt exstinguere caritatem, nec flumina óbruent illam. *f. Ps. 72, 26* Defecit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.

Alleluja, alleluja. *T. Cani. 7, 10* Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. Alleluja.

Post Septuagesimam, omissis Alleluja, *et Versu sequenti, dicitur*

Tractus Ps. 83, 3-4 Cor meum, et caro mea exsultavérunt in Deum vivum. y. Etenim passer invenit sibi domum: et turtur nidum sibi, ubi por nat pullos suos. y. Altaria tua, Dómine virtutum: Rex meus, et Deus meus.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:.

Alleluja, alleluja. *J. Prov. 9,-5* Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. Alleluja. V. *Ps. 30, 20* Quam magna multitudo dulcedinis tua?, Domine, quam abscondisti timéntibus te. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. *Matth. 11, 25-30.*

In illo tempore: Respondens Jesus, dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelásti ea parvulis. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes, qui laborátis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tóllite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde: et invenietis réquiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

Offertorium Zach. 9, 17 Quid bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi fruméntum electorum, et vinum gérminans virgines?

Secreta

Accepta tibi sint. Dómine, plebis tuae munera: et concede; ut ignis ille divinus nos inflámmet, quo, de Corde Filii tui emisso, beata Margarita Maria vehementer aestuávit. Per eumdem Dominum.

Communio Cani. 6, 2 Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.

Postcommunio

Corporis et sanguinis tui, Domine Jesu, sumptis mysteriis: concede nobis, quaesumus, beata Margarita Maria Virgine intercedente; ut, superbis sáculi vanitatibus exutis, mansuetudinem et humilitatem Cordis tui induere mereámur: Qui vivis.

IN MARTYROLOGIO ROMANO

Die 17 Octobris, primo loco

Parédii, in dioecesi Augustodunénsi, sanctae Margaritae Mariae Alacoque, quae, Ordinem Visitationis beatae Mariae Virginis profésa, eximiis in devotione erga sacratissimum Cor Jesu propaganda et público ejúsdem cultu provehendo meritis excélluit; atque in sanctarum Virginum album a Benedicto Papa Décimo quinto relata fuit.

URBIS ET ORBIS

Ad humiles enixasque preces Revmi Domini Hyacinthi, Episcopi Augustodunensis, supplicia quoque depromentis vota plurium Emorum S. E. E.. Cardinalium, fere innumerabilium Sacrorum Antistitum, necnon Superiorum Ordinum et Congregationum religiosarum, praeeunte universa familia Monialium Ordinis Visitationis B. M. V., ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto relatas, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XI - qui per Litteras Encyclicas *Miserentissimus Dominus,* diei 8 Maii 1928, Sacratissimi Cordis Iesu festum, expiatiónis et reparationis more, firmius solemniusque celebrari jusserat, atque ad altiorem ritum et nobiliorem solemnitatem evexerat - alterum quoque festum illi priori et digniori, veluti congruum additamentum, latius amplificare cogitavit et voluit: nempe Sanctae Margaritae Mariae Alacoque, Virginis, quae divini Cordis fidelis discipula et amantissima fifia se totam devovit eius honori et cultui propagando. Quare ipse Beatissimus Pater, votis et postulationibus sibi porrectis libenter obsecundans, festum Sanctae Margaritae Mariae Alacoque, pluribus dioecesibus et piis religiosisque Institutis iam indultum, suprema et apostolica Sua auctoritate, pro utroque Clero ad universam Ecclesiam extendere dignatus est. Insuper officium cum Missa proprium nec non Elogium Martyrologio Romano addendum, prouti ea in superiore prostant exemplo, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, ratum habuit et adprobavit: illudque in festo praefatae S. Margaritae Mariae Alacoque, Virginis, sub ritu duplici, die 17 Octobris quotannis recolendo, ab universo Clero saeculari et regulari adhiberi decrevit; etiam fixe translato et reposito in diem decimum sextum eiusdem mensis festo semiduplici S. Edwigis, Viduae. Mandavit demum ut Kalendario universali in novis editionibus Breviarii et Missalis nec non Martyrologii Romani, huiusmodi festum cum supradictis Officio, Missa et Elogio respective inseratur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 26 Iunii 1929.

C. CARD. LAURENTI, *S. R. C. Praefectus.*

L. *B* S.

A. Mariani, *Secretarius.*

ACTA OFFICIORUM

SECRETARII STATUS

EPISTOLA

AD EMUM P. D. GUSTAVUM FRIDERICUM, TIT. S. MARCI S. R. C. CARD. PIFFL, ARCHIEPISCOPUM VINDOBONENSEM: DE SEXTO EX OMNI NATIONE MISSIONALI CONVENTU VINDOBONAE CELEBRANDO.

Eme ac Revme Domine Mi Observantissime,

Quando quidem, ut omnes norunt, catholicarum Missionum causa Augusto Pontifici summopere cordi est, idcirco facile coniici potest magno Eum animi solacio affectum esse, cum haud ita pridem comperiit sextum ex omni natione Missionalem Conventum proxime apud. Vindobonam celebratum iri. Ac rerum capita quae in eiusmodi coetibus ad disceptandum proponentur tam magni sunt ponderis tamque opportuna videntur, ut omnino inde portendi liceat fore ut et adstantium animi ad sanctissimum coeptum quoquo modo provehendum vehementius excitentur, et collatis consiliis, aptior decernatur via ac ratio ad uberiores cotidie fructus assequendos. Qui quidem sucerescentes sacrarum Missionum fructus quantopere conferant non modo ad optatissimum Iesu Christi Regnum usquequaque proferendum ac stabiliendum, sed ad civilem etiam humanae vitae cultum in barbaris regionibus vel primum instituendum vel, si iam excidit, redintegrandum, nemo est qui non videat. Quam ob rem prorsus decet omnes, quotquot catholicae religionis beneficia omne genus agnoscunt ac fatentur, Missionalium operam pro viribus iuvare omnique contentione prosequi. Quodsi non omnes possunt nobilissimum eorum obire munus, angustiarum saepenumero aerumnarumque plenum, at omnes queunt — sive pro rerum adiunctis, data opera cuiusque sua, sive collata stipe, sive tandem precibus ad Deum suppliciter admotis — apostolicis eorum laboribus obsecundare. Id si impensiore cura ii omnes se acturos spoponderint, qui Yindobonensibus coetibus intererunt, felices utique Conventum vestrum habuisse exitus, ut omnino fore confidimus, profecto dici poterit. Quod ut auspicato eveniat vehementer cupit Augustus Pontifex, qui caelestia vobis laboribusque vestris auxilia

a Deo enixe preeatur. Quorum sit conciliatrix et auspex apostolica benedictio, quam Sanctitas Sua peculiaris benevolentiae Suae pignus cum Eminentiae Tuae, tum iis omnibus qui proximis congressionibus intererunt, peramanter in Domino impertitur. Ego vero, haec ad te referens, occasionem libenter nanciscor sensus venerationis maximae in te meae confirmandi, quibus manus tuas humillime deosculatus me libenter profiteor

Ex aedibus "Vaticanis, 12 Iulii 1929.

Eminentiae Tuae addictissimum
P. CARD. GASPARRI.

PONTIFICIA COMMISSIO PEO RUSSIA

INSTRUCTIO

AD RR. PP. DD. LOCORUM ORDINARIOS, DE RUSSIS AD CATHOLICAM ECCLESIAM REDEUNTIBUS.

Edito in *Actis Apostolicae Sedis* (6 Februarii 1929, pag. 94) Pont. Commissionis Pro Russia decreto « De Russis ad Catholicam Ecclesiam redeuntibus », nonnulli locorum Ordinarii mature huic Commissioni significandum curaverunt se recte vim et mentem intellexisse decreti, utpote debitam in re tanti momenti cautelam praescribentis, praesertim cum de personis vel parum notis vel prorsus ignotis agatur. Obiecerunt tamen aliqui aditum sive ad Pontificiam Commissionem sive ad Legatos Apostolicos plerumque, maxime in casibus urgentioribus, impossibilem evadere vel saltem *in mora,* uti aiunt, non deesse periculum.

Quapropter rogaverunt ut sibi necessariae et opportunae traderentur agendi normae quibus in bonum animarum, nulla interposita mora quae ipsi dissidentium conversioni obesset, ministerium suum explere valerent.

Laetatur quidem haec Pontificia Commissio tanta Ordinariorum in fratres nostros separatos, carissimos sane, cura et sollicitudine; finem autem et mentem eiusdem Decreti confirmat fuisse debitam commendare prudentiam, ut quaevis causa praecidatür Ecclesiam Catholicam calumniis afficiendi, quasi ipsa fratrum nostrorum adversa fortuna abutens eos ad se attrahere studeat. Quapropter admirabilem Ordinariorum zelum in Russos, quos idem Summus Pontifex tanta prosequitur caritate, magnopere laudat atque commendat, iisque normas quae sequuntur, non pro clericis tantum sed etiam pro laicis .attendendas tradit.

I. - **DE LAICIS**

Edicit Pontificia Commissio, cum de laicis agatur, Episcopi esse potestatem non in casibus urgentioribus tantum sed et ordinariis eos admittendi et recipiendi in Ecclesiae Catholicae unitatem, dummodo eos qui admitti postulant ita noverit ut prudens iudicium de recta animi dispositione deque sufficienti circa Fidem et Ecclesiam Catholicam cognitione efformare possit.

In memoriam revocanda sunt de validitate Baptismi et Confirmationis dissidentium responsa et decreta S. Officii.

Praestat vero exquirere utrum in schismate matrimonium contraxerint, quo modo, coram quo, utrum habita dispensatione super aliquo impedimento, qui eam induxerint. Cuius fuerit alter coniux religionis; utrum celebratum matrimonium solutum fuerit, quibus causis et a quo; utrum novum contraxerint matrimonium. Denique omnia ita investigare oportet ut comperiatur quodnam matrimonium validum sit.

Item prudenti atque circumspecta investigatione explorandum est utrum causae et argumenta, quibus ad unitatem Ecclesiae inducti sunt, spiritualia et supranaturalia, an mere humana sint, prouti praesens eorum egestas et inopia: hoc enim in casu potius essent pro posse adiuvandi atque fratrum caritati valde commendandi. Interdum autem ne reiiciantur neve derelinquantur, sed prudenti committantur sacerdoti qui ipsos catholicam doceat doctrinam, praesertim de unitate Ecclesiae, de Romani Pontificis primatu, de Immaculata Virginis Conceptione, de Purgatorio, etc.

Cum sufficienter instructi atque dispositi inveniantur, de ritus electione sunt monendi, quin contra eorum propensionem ad latinum ritum assumendum eos inducere praesumatur. Satius erit dignitatem et pulcritudinem Orientalium rituum explicare, quid Ecclesia catholica de ritibus iisdem sentiat et doceat, et quantum iis favere studeat. Si quis tamen e Russis, omnibus recte perpensis, ritui latino adhaerere maluerit, eidem adscribi poterit.

Formulam abiurationis et Fidei professionis ad Episcopos in quorum dioecesibus frequentes habitant Russi et etiam ad alios Ordinarios qui petierint, remittendam curabit haec Pont. Commissio.

His itaque normis obtemperantes non tenentur Revmi Ordinarii in singulis casibus huic Commissioni recurrere.

Qui cum satis noverint personas de quibus agitur, necnon si casus ferat, statum earum domesticum, atque prudens efformaverint iudicium de earum recto bonoque animo et consilio, deque sufficienti dispositione et doctrina, uti supra dictum est, possunt et debent ad unitatem Catholicae Ecclesiae eas admittere tum in casibus consuetis tum, immo ratione for-

tiori, in urgentioribus, exempli gratia cum sit celebrandum matrimonium, servatis iis quae in abiuratione et mixtis nuptiis Apostolica Sedes servanda constituit.

Sciant tamen Revmi Ordinarii hanc Pontificiam Commissionem semper esse paratam ad qualiacumque, circa Russos in Ecclesiam Catholicam recipiendos dubia vel quaesita examinanda atque solvenda. Dum zelum prudentem Ordinariorum iterum atque iterum laudat, eos vehementer hortatur haec Pont. Commissio, ut singulari studio christianae puerorum et adolescentium russorum institutioni incumbant, cum ipsi animos ad verum et bonum procliviores habeant. Ordinarii autem quotannis de iuniorum reditu ad Ecclesiam Catholicam doceant Pont. Commissionem, nec non de alicuius pueri vel adolescentis ad statum ecclesiasticum amplectendum propensione.

II. - DE CLERICIS, SCILICET SACERDOTIBUS ET DIACONIS

Maiore procedendum est cautela si de sacerdotibus vel diaconis agatur; non diffidendi causa, quod absit omnino, sed quia in clericis diuturnior requiritur institutio; resque est graviore cura attendenda, praesertim quod ad futurum tempus attinet. Experientia enim numquam his in rebus nimiam adhiberi prudentiam docuit.

Itaque praeter diligentiorem amplioremque inquisitionem quam, congrua congruis referendo, pro laicis requiritur, certiores fiant Ordinarii de eorum ordinatione, studiis; quae idiomata loqui legere scribere valeant, et quali perfectione: utrum latinam ita calleant linguam ut possint praelectionibus S. Theologiae dogmaticae et moralis aliquo cum profectu interesse.

Requiratur etiam cuius hierarchiae vel fractionis hierarchicae quisque subditus fuerit, utrum decursu temporis de una ad aliam transierit. An protestanticae sectae adhaeserit eidemve adscribi conatus sit. Utrum post ordinationem sacram absque ministerio ecclesiastico, tamquam laicus vixerit.

Inquisitio insuper fiat circa uniuscuiusque mores et vitae probitatem. Qua expleta inquisitione Ordinarius casum huic referat Commissioni vel si res urgeat, Apostolico in regione Legato, qui iuxta peculiares normas sibi ad rem traditas sese geret.

De clericis in Ecclesiam Catholicam admissis Ordinarii hant Pontificiam Commissionem mature monebunt.

Datum Romae, ex Secretaria Pontificiae Commissionis pro Russia, die 26 Augusti anno 1929.

A. CARD. SINCERO, *Praeses.*

L. ✠ S.

C. Margotti, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

27 Agosto 1929. L'Emo Sig. Cardinale Carlo Perosi, *Membro della Sacra Congregazione dei Religiosi.*

» » » I Revmi Padri: D. Enrico Quentin, della Congregazione Benedettina Maredsolana; D. Nazareno Bergs, della Congregazione Benedettina Cassinese, e P. Celestino da Deggendorf, dei Frati Minori Cappuccini, *Consultori della Sacra Congregazione dei Riti per le Cause di Beatificazione e Canonizzazione.*

31 » » Monsig. Federico Sargolini, *Assistente Ecclesiastico della Gioventù Cattolica in Italia.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

27 Febbraio 1929. L'Erno Sig. Cardinale Bonaventura Cerretti, *Protettore delle Suore di Santa Maria di Oregon.*

24 Luglio » L'Emo Sig. Cardinale Bonaventura Cerretti, *Protettore delle Povere Suore di Nazareth* (Westminster).

» » » L'Emo Sig. Cardinale Bonaventura Cerretti, *Protettore delle Suore Terziarie Francescane dell'Immacolata Concezione* (Mount St. Clare, Davenport).

30 » » L'Emo Sig. Cardinale Donato Sbarretti, *Protettore delle Suore Terziarie Domenicane di Santa Caterina de' Ricci* (Albany, U. S. A.).

31 » » L'Emo Sig. Cardinale Achille Locatelli, *Protettore delle Esclavas del Corazón de Jesus* (Cordoba, Argentina).

» » » L' Emo Sig. Cardinale Francesco Ragonesi, *Protettore delle Suore della Dottrina Cristiana* (Siviglia).

1 Agoste » il sig. avv. Agostino Lenti, *Avvocato Concistoriale.*

» » » Il sig. avv. Roberto Mucci, *Avvocato Concistoriale.*

10 » » L'Emo Sig. Cardinale Francesco Ragonesi, *Protettore delle Benedettine della Provvidenza* (Genova).

13 Agosto 1929. L'Emo-Sig. Cardinale Alessandro Verde, *Protettore delle Religiose della Compagnia di S. Teresa di Gesù* (Barcellona).
20 » » L' Emo Sig. Cardinale Camillo Laurenti, *Protettore delle Suore Terziarie Francescane di San Giuseppe* (Buffalo).
27 » » L'Emo Sig. Cardinale Bonaventura Cerretti, *Protettore delle Suore di San Giuseppe di Corandolet* (St. Louis).

Assistente al Soglio Pontificio:

21 Giugno 1929. Monsig. Giovanni Swint, Vescovo di Wheeling.

Protonotarii Apostolici ad instar participantium:

27 Aprile 1929. Monsig. Carlo Dauray, della diocesi di Providence.
24 Maggio » Monsig. Luigi Huber, della diocesi di Coirà.
28 » » Monsig. Guglielmo Kasperlik, della diocesi di Katowice.
2 Luglio » Monsig. Luigi Drago (Roma).
5 Agosto » Monsig. Giacomo Ryan, dell'archidiocesi di Baltimora.
7 » » Monsig. Matteo Dabrila, della diocesi di Vilkavièkis.
8 » » Monsig. Giovanni A. Dufty, della diocesi di Newark.
3 Settembre » Monsig. Pietro Boccone, dell'archidiocesi di Palermo.

Prelati Domestici di S. S.:

7 Marzo 1929. Monsig. Francesco Zientara, della diocesi di Czestochowa.
10 Aprile » Monsig. Giuliano Gorlier, della diocesi di Susa.
27 » » Monsig. Pietro A. Foley, della diocesi di Providence.
» » » Monsig. Alfredo Laliberté, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giovanni F. Sullivan, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giacomo P. O'Brien, della medesima diocesi.
8 Giugno » Monsig. Giovanni M. Mogan, della diocesi di Nashville.
» » » Monsig. Francesco T. Sullivan, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Timoteo C. Abbot, della medesima diocesi.
10 Luglio » Monsig. Giorgio Giglinger, della diocesi di Davenport.
» Monsig. Carlo Giacomo Donohoe, della medesima diocesi.
» Monsig. Giacomo Guglielmo Gillispie, della medesima diocesi.
23 » » Monsig. Patrizio Giuseppe Me Cormick, dell'archidiocesi di Baltimora.
31 » » Monsig. Giovanni Hunt, della diocesi di Detroit.
2 Agosto » Monsig. Bernardo Me Cabe, della diocesi di Middlesborough.
6 » » Monsig. Camillo Callewaert, della diocesi di Bruges.
» Monsig. Eduardo J. Ellard, della diocesi di Newark.
» Monsig. Vito Masnicki, della medesima diocesi.

8 Agosto 1929. Monsig. Giulio Manteuffel, della diocesi di Newark.
» » » Monsig. Timoteo Douovan, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Domenico Calj, dell'archidiocesi di Messina.
9 » » Monsig. Guglielmo M. Hart, della diocesi di Rochester.
» » » Monsig. Enrico Ward, della diocesi di Trenton.
» » » Monsig. M. Edmondo Brie, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Tommaso A. Roche, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Guglielmo Francesco Dittrich, della medesima diocesi.
26 » » Monsig. Stefano Nioullon, della diocesi di Marsiglia.
28 » » Monsig. Guglielmo Augusto Uberto Bauduin, della diocesi di Ruremonda.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

8 Agosto 1929. Al sig. Tommaso J. Maloney, della diocesi di Newark.

La Commenda con Placca dell' Ordine di 8. Gregorio Magno, classe civile:

27 Agosto 1929. Al sig. Bernardino Nogara, dell'archidiocesi di Milano.
28 » » Al sig. Giovanni Reiser, dell'archidiocesi di Praga.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

16 Maggio 1929. Al sig. Regolo Balbo (Roma).
17 » » Al sig. Nicola delli Muti, dell'archidiocesi di Manfredonia.
» » » Al sig. Francesco delli Muti, della medesima archidiocesi.
18 » » Al sig. prof. Giuseppe Michele Ferrari, dell'archidiocesi di Reggio Calabria.
26 Giugno » Al sig. rag. Claudio Palestrini (Roma).
28 » » Al sig. ing. Antonio Toselli, dell'archidiocesi di Cuneo.
2 Luglio » Al sig. cav. Alfonso Bellemans, dell'archidiocesi di Malines.
4 » » Al sig. Adolfo Rosano (Roma).
10 » » Al sig. Martino J. Wade, della diocesi di Davenport.
23 » » Al sig. Attilio Astaldi (Roma).
» » » Al sig. Enrico Berretta, dell'archidiocesi di Torino.
1 Agosto » Al sig. Augusto Gran din de l'Eprevier, della diocesi di Aire e Dax.
» » » Al sig. Ettore Castiglioni (Roma).
» » » Al sig. Bruno Tartaglia (Roma).

5 Agosto 1929. **Al s: g. Vincenzo Anfossi, dell'archidiocesi di Ancona.**
Al s: g. Roberto E. Jennings, della diocesi di Newark.
Al s: g. Pietro J. Carey, della medesima diocesi.
10 **Al s: g. Alfredo Netti, della diocesi di Orvieto.**
Al s: g. ing. Francesco Barbaro, dell'archidiocesi di Messina.
Al s: g. Giovanni Cardillo, della medesima archidiocesi.
22 **Al s g. Antonio Rota, della diocesi di Novara.**
26 **Al s g. Luigi Frank, dell'archidiocesi di Monaco e Frisinga.**
» **Al s g. Giorgio Knorr, della medesima archidiocesi.**

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

8 Novembre 1928. **A sig. Antonio Perez y Fernandez, della diocesi di Oviedo,**
24 Aprile 1929. **A sig. Eugenio Podvin, della diocesi di Lilla,**
» » » *A* **sig. Luigi Becquart, della medesima diocesi,**
26 » » **A sig, Filippo Bericher, della diocesi di Providence,**
» » » **A sig. Guglielmo Desaulniers, della medesima diocesi,**
» » » **A sig. Norberto Descelles, della medesima diocesi,**
» » » **A sig. Giacomo Lepoutre, della medesima diocesi,**
» » » **A sig. Vilfredo Mathieu, della medesima diocesi,**
» » » **A sig. Giuseppe Roy, della medesima diocesi,**
» » » **A sig. Adelardo Soucy, della medesima diocesi,**
» » » **A sig. Elia Vezina, della medesima diocesi,**
18 Maggio » **A sig. ing. Mariano Francescone, dell'archidiocesi di Reggio Calabria.**
12 Giugno » **A sig. Roukos Abon Nader bey, dell'archidiocesi di Damasco.**
4 Luglio **sig. Francesco Warte], dell'archidiocesi di Arras,**
8 » **sig. Gustavo Meyer, della diocesi di Lilla,**
5 Agosto **sig. avv. Guglielmo Federico Montavon, dell'archidiocesi di Baltimora.**
» **A sig. Vittore Filippo Urbano de Bruyn, dell'archidiocesi di Malines.**
» **A. sig. Antonio J. Botticella diocesi di Newark.**
10 » » **A sig. Luigi Cardillo, dell'archidiocesi di Messina,**
» » » **A sig. Giuseppe A. Ract, dell'archidiocesi di Parigi,**
10 Agosto » **A sig. Gioacchino Leone Castel, della medesima archidiocesi.**
» » » **A sig. Paolo Siegen, della medesima archidiocesi.**
13 » > **A sig. Guglielmo J. B. Schweitzer, della diocesi di Ru.emonda.**
17 » » **A sig. Ludovico Van Tulder, della diocesi di Harlem,**
23 » » **A sig. marchese Max de Lussac, dell'archidiocesi di Tours.**

23 Agosto , 1929. **Al sig. Andrea Stodart Reid, della diocesi di Sälförd.**
» >> » **Al sig. Giovanni Brown, della medesima diocesi.**
26 » » **Al sig. Giorgio Berlinger, dell'archidiocesi di Monaco e Frisinga.**
» » » **Al sig. Giuseppe Schmuderer, della medesima archidiocesi.**

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Silvestro Papa :

3 Luglio 1929. **Al sig. Tommaso Ribeiro de Mello (Portogallo).**

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

IS Giugno 1929. **Al sig. Michele Angelo Crivello, dell'archidiocesi di Torino.**
» » » **Al sig. Domenico Crivello, della medesima archidiocesi.**
26 » » **Al sig. Ferdinando Martini, dell'archidiocesi di Lucca.**
» » » **Al sig. Antonio Sacca, dell'archidiocesi di Reggio Calabria.**
» » » **Al sig. Domenico Francesco Delfino, della medesima archidiocesi.**
28 » » **Al sig. Edoardo Klein-Cominotti, della diocesi di Fano.**
23 Luglio » **Al sig. ing. Alberto Giachetti, dell'archidiocesi di Torino.**
26 » » **Al sig. Domenico Botta, dell'archidiocesi di Napoli.**
1 Agosto » **Al sig. Giovanni De Rosa (Roma).**
7 » » **Al sig. Ascanio Freddi (Roma).**
10 » » **Al sig. Mario Malabotti, della diocesi di Trieste.**
19 » » **Al sig. Celso Colongo, dell'archidiocesi di Torino.**
» » » **Al sig. dott. Giovanni Hermann, della diocesi di Ratisbona.**

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

1 Giugno 1929. **Al sig. Nullo Boriai, della diocesi di Forlì.**
» » » **Al sig. Francesco Luigi Bavaglia, della medesima diocesi.**
» » » **Al sig. Gino Cervesi, della medesima diocesi.**
27 » » **Al sig. Pasquale Vitrioli, dell'archici, di Reggio Calabria.**
» » » **Al sig. dott. Luigi Sorgonà, della medesima archidiocesi.**
» » » **Al sig. prof. Domenico Lodovico Raschellà, della medesima archidiocesi.**
6 Agosto » **Al sig. Ettore Pramaggiore, dell'archidiocesi di Torino.**
» » » **Al sig. Leandro Chenna, della medesima archidiocesi.**
10 » » **Al sig. Giovanni Fabiani (Roma).**
19 » » **Al sig. Rodolfo Ganter, della diocesi di Warmia.**
20 » » **Al sig. Lorenzo Garetti (Roma).**

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XT, felicemente regnante, si è degnato 'di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S.:

18	*Maggio*	*1929.*	Monsig. Pietro F. Adams, della diocesi di St. Georges.
16	*Luglio*	»	Monsig. Stanislao Zela, della diocesi di Olomouc.
»	»	»	Monsig. Francesco Brener, della medesima diocesi.
24	»	»	Monsig. Giuseppe Buhl, dell'archidiocesi di Praga.
»	»	»	Monsig. Vladimiro Jerabék, della medesima archidiocesi.
»	»	»	Monsig. Giovanni Holeéek, della medesima archidiocesi.
»	»	»	Monsig. Ludovico Groch, della medesima archidiocesi.
»	»	»	Monsig. Francesco Vacek, della medesima archidiocesi.
»	»	»	Monsig. Ferdinando Kerda, della medesima archidiocesi.
»	»	»	Monsig. Emanuele Zäk, della medesima archidiocesi.
12	*Agosto*	»	Monsig. Luigi Cavazza, dell'archidiocesi di Gaeta.
18	»	»	Monsig. Teodoro Grabe, della diocesi di Breslavia.
»	»	»	Monsig. Francesco Brückner, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Michele Eich, della diocesi di Magonza.
25	»	»	Monsig. Antonio Sangiorgio, della diocesi di Ivrea.
30		»	Monsig. Baldimiro Marsilla, della diocesi di Yucatán.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S. :

16	*Luglio*	*1929.*	Monsig. Giovanni Hendroth, dell'archidiocesi di Olomouc.
»•	»	»	Monsig. Tommaso Kuliéek, della medesima archidiocesi.
18	»	»	Monsig. Giovanni Zittio, della diocesi di Hradec Kralovè.
»	»	»	Monsig. Antonio Svatós, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Giuseppe Portman, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Francesco Pekarek, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Giuseppe Kovar, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Venceslao Hvezda, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Giuseppe Bekera, della medesima diocesi.

Cappellano d'Onore extra Urbem *di. S. S.:*

8 Agosto 1929. Monsig. Michele Lessi, della diocesi di Trento.

Cameriere Segreto di Spada e Cappa Soprannumerario di S. S.:

21 Febbraio 1929. Il sig. conte Carlo O'Rourke, della diocesi di Pinsk.

NECROLOGIO

7	*Settembre*	*1929.*	Monsig. Giovanni Battista Penon, Vescovo tit. di Cuse.
?3	»	»	L'Emo sig. Card. LUDOVICO ERNESTO DUBOIS, del titolo di S. Maria in Aquiro, Arcivescovo di Parigi.

Annus XXI - Vol. XXI **4** Novembris 1929 Num. 14

ACTA APOSTOLICA!' SHIHS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

SACRUM CONSISTORIUM

I. - CONSISTORIUM PUBLICUM

Feria secunda, die xxvni Octobris 1929 in Aula Consistoriali Palatii Ap. Vaticani fuit *Consistorium Publicum,* in quo Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XI, pontificalem rubrum Galerum solemniter imposuit Reverendissimo Cardinali

PETRO SEGURA Y SAENZ

a se creato et publicato in Consistorio secreto diei xix Decembris 1927.

IL - CONSISTORIUM SECRETUM

Subinde in eadem Aula fuit *Consistorium Secretum* in quo Beatissimus Pater, postquam de more os clausisset Cardinali Segura *j* Saenz, sequentes iam per Apostolicas sub plumbi Litteras renunciatos sacrorum Antistites publicavit, videlicet

ARCHIEPISCOPOS:

Sancti Andreae et Edimburgi, Iosephum Mac Donald.

Babylonensem Syrorum, lulium Behnam Kalian, iam Episcopum Bathnanensem.

Cotradensem, Eliam Ioannem Iosephum Morel, iam Archiepiscopum Pondicheriensem.

Monterrejensem, Iosephum Guadalupe Ortiz y Lopez, iam Episcopum Ancusensem.

Pergensem, Aloisium Bondini.

Lemnensem, Paschalem Gagliardi, iam Archiepiscopum Sipontinum et Administratorem perpetuum Vestanum.

lurritanum, MauriHum Fossati, iam Episcopum ÍTuorensem.

Ferrariensem, Bogerium Bovelli, iam Episcopum Eaventinum et Mutilensem.

Salernitanum cum perpetua administratione cathedralis *Acernensis,* Meolaum Monterisi, iam Archiepiscopum Theatinum et Administratorem perpetuum Vastensem.

Neoeaesariensem, Antonium Drapier, Delegatum Apostolicum in Meso* potamia, Kurdistan et Armenia Minori.

EPISCOPOS:

Garanhunensem, Emmanuelem Antonium De Paiva, iam Episcopum Ilheosensem.

de Lages, dioecesi nuper erecta, Danielem Hostin.

TJberabensem, Aloisium a Sancta Anna, in saeculo Antonium Colturato.

Lamenum, Henricum Lamiroy, Coadiutorem cum iure futurae successionis B. P. D. Gustavi Iosephi WafMaert, Episcopi Brugensis.

Rubensem et Bituntinum Antonium Taccone, iam Episcopum Boven seni.

Cadoënum, Ioannem Buczko, Auxiliarem B. P. D. Andreae Szeptyckyi,. Archiepiscopi Leopoliensis Buthenorum.

De Aguas Calientes, Iosephum a Iesu Lopez, iam Episcopum Dadimensem.

Lamianum, Iosephum Ioannem Desideratum Moussaron, Auxiliarem B. P. D. Francisci Ernesti Bicard, Archiepiscopi Auxitani.

ABBATEM:

Sancti Pauli de Urbe, Hildebrandum Vannucci.

Quibus publieatis, os aperuit Reverendissimo Cardinali Segura y Saenz> cui, tradito Annulo, titulum assignavit Sanctae Mariae trans Tiberini.

Demum postulationes Sacri Pallii factas nomine archiepiscopalium Ecclesiarum *Ferrariensis, Sancti Andreae et Fdimburgi, Monterrejensis, Turritanae, Salernitanae,* benignissime admisit.

CHIROGRAPHUS

AD EMUM P. B. LUDOVICTJM TIT. S. M. IN AQTJIRO S. R. E. PRESB. CARD. DUBOIS, ARCHIEPISCOPUM PARISIENSEM.

PIUS PP. XI -

Notre très cher fils,

Salut et bénédiction apostolique. — Puisque vous vous préparez à célébrer la très douce mémoire de ce jour où, voilà cinquante ans, vous offriez à Dieu les prémices de votre sacerdoce, votre piété envers Nous, non moins que Notre bienveillance à votre égard, exigent que Nous Nous réjouissions avec vous de cet heureux événement. Si nous considérons, en effefc, tout ce que, pendant le cours de votre vie pastorale, soit comme prêtre, soit comme évêque, vous avez fait pour le bien de l'Eglise, Nous avons plus d'un motif d'honorer d'une juste louange vos divers mérites: votre sollicitude pour le salut des âmes, votre diligence dans le gouvernement de divers diocèses, votre zèle admirable pour encourager tout ce qui contribue à l'honneur de la Maison de Dieu, en particulier cette spéciale attention que vous avez donnée au chant ecclésiastique et à la prononciation romaine des textes liturgiques latins.

Mais ces mérites, si nombreux déjà, sont devenus plus éclatants encore lorsque, déjà agrégé au Sacré-Collège des Eminentissimes Cardinaux, vous avez été élevé par Notre Prédécesseur, d'heureuse mémoire, à ce très illustre siège de Paris. Car, comme un bon capitaine, vous avez soutenu la lutte contre cette hérésie (car c'est de ce nom qu'on peut et doit désormais l'appeler) qui tire son nom du journal *VAction Française,* et ce, dès le moment où elle commença de se répandre sur la France. Vous n'avez pas seulement manifesté oralement et par écrit Nos paroles et Notre volonté, vous les avez encore défendues vigoureusement, avec une entière adhésion aux idées (directives, sentiments, etc.) très

ouvertement exprimées par Nous dans Notre allocution consisto^ riale du 20 décembre 1926, confirmées ensuite et sanctionnées de plusieurs manières. Yous avez fait davantage, lorsqu'avec un cœur paternel vous avez exhorté à l'obéissance envers le Pontife Eomain tous les dévoyés, et spécialement les jeunes, qui sont plus exposés à se laisser entraîner par de fallacieuses doctrines. Avec un zèle égal, bien digne d'imitation, vous avez, dans tontes les conférences archiépiscopales, fidèlement et attentivement interprété Nos vues sur ce sujet. Si donc, à cause de votre fidélité au Vicaire de Jésus-Christ, vous avez été l'objet de récriminations, de calomnies et d'injures publiques, jusqu'à être appelé en jugement, vous pouvez bien vous consoler et vous glorifier d'avoir été jugé digne, comme les apôtres, ***pro nomine Jesu contumeliam pati (Act.,*** V, 41).

Ceux, à la vérité, qui se sont comportés ainsi envers vous (agissant d'ailleurs aussi contre Nous et contre le Saint-Siège) ont montré ouvertement de quel irrévérencieux esprit dè révolte, Nous dirons plus, d'impiété et d'infidélité, ils sont animés, si ouvertement que quiconque n'est pas tout à fait aveugle a pu reconnaître avec évidence combien Nos préoccupations et Nos condamnations étaient justifiées.

Heureux de cette magnanime fidélité, Nous n'avons pas cessé devons consoler par des paroles paternelles; aujourd'hui cependant, saisissant une occasion si solennelle, Nous ne voulons pas seulement vous renouveler l'expression de Notre particulière bienveillance pour tout ce que vous avez fait et faites encore, pour ce que vous avez souffert et souffrez avec Nous, mais encore vous renouveler Nos éloges paternels de ce qu'en avertissant les fidèles et en les éloignant de ces erreurs vous n'avez jamais dévié le moins du monde de l'exacte interprétation de Notre intention et de Notre volonté, que vous étiez bien fondé à croire immuables. Si parfois, sous l'influence de cette bienveillance paternelle que Nous éprouvons envers tous nos fils bien-aimés et vénérables frères en Jésus-Christ, Nous avons préféré, en parlant à certains **v** d'entre ceux qui venaient Nous visiter, ne pas user de cette sévérité que plusieurs attendaient, Nous l'avons fait uniquement dans

le désir de voir se réaliser pour Nous aussi cette belle parole de l'Apôtre: ***Noli vinci a malo, sed vince in bono malum (Born.,*** XII, 21). Mais jamais ne s'est amoindrie en Nous la haute estime que Nous avons pour ceux qui se sont montrés les plus obéissants, ceux à qui les catholiques de l'univers entier, autant que ceux de France, doivent une sincère reconnaissance.

Ne cessez donc point, fils bien-aimé, de combattre avec Nous le bon combat; Nous disons ***avec Nous,*** car ils se trompent grandement ceux, s'il y en a, qui prendraient pour de l'oubli Notre silence, en vérité assez souvent interrompu, pour lassitude Notre bénignité, et qui penseraient ou diraient, ce qui est pis, que Nous Nous sommes éloignés, si peu que ce soit, ou sommes prêts à Nous éloigner de Notre première sentence.

Vous savez trop bien pour qu'il soit besoin de vous le rappeler, que jamais ne manquera la grâce de Dieu, par laquelle tout se change eh bien pour ceux qui aiment le Seigneur.

Enfin, implorant du divin Maître, qu'il accorde de longues années encore au Pasteur si diligent et si plein de zèle, afin d'augmenter les fruits spirituels et la splendeur de cet heureux événement, Nous vous permettons de tout cœur de donner à tous les fidèles qui assisteront à la solennité de votre Jubilé la bénédiction papale et l'Indulgence plénière aux conditions d'usage.

Comme gage de Notre paternelle bienveillance et des meilleures faveurs divines Nous vous envoyons, très cher fils, avec pleine effusion de cœur, pour vous et pour tous les fidèles confiés à vos soins, une très spéciale bénédiction apostolique.

Donné à Borne, près Saint-Pierre, en la fête de saint Louis, le 25 août de l'année 1929, la huitième de Notre Pontificat.

PIUS PP. XI

LITTERAE APOSTOLICAE

I

ERECTIO VICARIATUS APOSTOLICI DE BUKOBA IN AFRICA CENTRALI

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Ad fidem catholicam facilius propagandam in latissimis Missionum territoriis iugiter Decessores Nostri ex eisdem territoriis plures, tempore opportuno, minoribus contractas hmitibus Missiones constituere consueverunt; eosdemque vestigiis secuti, •Nos etiam sollerter id agere, occasione data, studemus. Huiusmodi rationibus commoti, cum moderator generalis Societatis Missionariorum Africae, quibus, vulgo *Pères Blancs* nuncupatis, vicariatus apostolicus Victoriae Nyanzensis in Africa centrali concreditus est, de nimia vicariatus ipsius territorii latitudine nec non de magno incolarum ibique degentium numero Nos edoceat, ac propterea ut ex vicariatu eodem plures suis finibus constitutas missiones erigamus enixas ad Nos preces admoveat: Nos, quorum est Ecclesiae bono religionisque provehendae utilitati prospicere, supplicationibus eisdem annuere censemus. Conlatis itaque consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui negotiis Propagandae Fidei praepositi sunt, certa ex scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae plenitudine, praesentium Litterarum tenore ex actualis vicariatus apostolici Victoriae Nyanzensis in Africa centrali integra civili provincia de *BuJcoba,* cui parvam quoque regionem de *Bugufi,* vulgo nuncupatam, ad missionem de Urundi iam pertinentem, adiungimus, nec non ex parte provinciae de Uha, quae ad orientem atque ad septentrionem exstat fluminis Malagarazi (quae pars iam vicariatui de Tabora tributa fuit) novum constituimus apostolicum vicariatum, cui nomen de *BuJcoba* ex nunc facimus. Eiusdem proinde vicariatus de Bukoba limites in posterum erunt; ad septentrionem linea primi gradus latitudinis meridionalis, qua a vicariatu Ugandensi de Bukoba vicariatus di videbitur; ad occidentem flumen *Kagera,* quo a vicariatu de Euanda praefatus de Bukoba vicariatus separabitur, deinde limes qui inter mandatum Belgicum existit et Britannicum, usque ad flumen *Malagarazi* (quod est etiam vicariatus Urundi limes), deinde flumen ipsum *Malagarazi,* quo praedictus de Bukoba vicariatus a Tanganykensi distinguetur; ad meridiem limes septentrionalis vicariatus Tanganykensis a flumine *Malagarazi* ad vicariatum usque Taborensem; ad orientem denique, limes provinciae civilis de Tabora, qui et est limes vicariatus eiusdem

nominis, et regiones *TJgowa, Bugomba, Usumbwa* niincupatas contingit, quae ad provinciam et vicariatum Taborensem pertinent, deinde limes provinciae Mwanzae, quae ad regionem *Butundwe* attingit, denique lacum Nyanza, exclusis insulis, quas *Maisome, Luwondo* vocant, cum ceteris adiacentibus parvis insulis, quae ad provinciam Mwanzam pertinent, sed inclusis aliis omnibus versus septentrionem insulis, scilicet insularum acervis quas *Mazinga, Bumbiro, Bukerebe* nuncupant, cum parvulis ceteris insulis quae eisdem adiacent. Novi quidem vicariatus de Bukoba, praefatis limitibus constituti, curam ad Nostrum et Sanctae huius Sedis beneplacitum Patribus Societatis Missionariorum Africae, * in dicta regione de Fide propaganda optime meritis, in Domino committimus.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad. quos spectant, sive spectare poterunt, suffragari nunc et in posterum; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **VIII** m. Aprilis an. **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. C**ARD.** G**ASPARRI,** *a Secretis Status.*

IT

DISTRACTO TERRITORIO EX VICARIATU APOSTOLICO VICTORIAE NYANZENSIS IN APRICA CENTRALI ERIGITUR VICARIATUS APOSTOLICUS DE MWANZA.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Litteris Apostolicis Nostris, sub anulo Piscatoris die vni m. Aprilis huius anni datis, ex territorii vicariatus apostolici Victoriae Nyanzensis in Africa centrali parte novum constituimus, limitibus eiusdem praefinitis, apostolicum vicariatum, cui a civili de Bukoba provincia nomen de Bukoba fecimus. Nunc autem reliquae partis memorati vicariatus Victoriae Nyanzensis sollicitudo Nobis suadet ut pariter eidem territorio convenientem statuamus rerum ordinem, qui christiani gregis ibique degentis utilitatibus provehendis facilius conducat. Quapropter, conlatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui Sacrae Congregationi de Propaganda Fide negotiis sunt praepositi, ex certa scientia ac matura

deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, ex memorati "Victoriae Nyanzensis "vicariatus civili provincia, quam de *Mwanza* nuncupant, novum ac separatum vicariatum apostolicum constituimus, quem ex ipsius provinciae civilis nomine ex nunc et in posterum de *Mwanza* vocabimus. Sequentibus vero limitibus huiusmodi novus vicariatus concludatur: ad septentrionem a *Kenia Golony* et primo gradu latitudinis meridionalis; ad occidentem a lacu Nyanza, inclusis insulis quas *May some et Luwondo* vocant, deinde provincia Bukoba seu *Bihlamulo;* ac| meridiem provincia civili de Tabora quae regiones contingit dictas *Mbogwe, Busangi, Salawe, Lukombo, Selce, Mondo, Uehungu, Uduke,* deinde flumine *Mayonga* et lacu *Eyassi,* per quem transit provinciarum limes; ad orientem linea quae a puncto maxime septentrionali lacus Eyassi usque ad E 5, 45um longitudinis orientalis gradum protrahatur. Horum autem limitum causa, quos novo de Mwanza vicariatui assignavimus, hodiernos quoque fines vicariatus de Tabora immutavimus. Territorium enim triangulum, quod inter praedictam lineam ab extremitate lacus Eyassi septentrionali ad E 5, eo"^{311} longitudinis orientalis gradum protractam iacet et antiquum vicariatuum Taborensis et Nyanzensis limitem (qui a lacu Eyassi per Montes *N gai* et *Geley* Hmitem Kenya-Colony attingebat), nunc a vicariatu Nyanzae distractum in posterum ad vicariatum Taborensem adiungimus, ita ut Saltem in parte vicariatus cum provinciis civilibus concurrat: nam memoratum triangulum territorium pariter ac pars proxima vicariatus Taborensis ad eundem districtum de Arusha pertinet. Itemque limitis septentrionalis Taborae et meridionalis Nyanzae partem, quae est Orientem versus, non tam clare hucusque definitam, ad provinciarum de Mwanza et de Tabora limites reducimus. Ipsius quidem novi vicariatus apostolici de Mwanza nuncupati, praefatis limitibus constituti curam ad Nostrum et Sanctae huius Sedis beneplacitum Patribus e Societate Missionariorum Africae committimus.

Haec mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die x m. Aprilis an. **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. C**ARD.** G**ASPARRI,** *a Secretis Status,*

EPISTOLAE

I

AD EMUM P. D. EUSTACHDJM TIT. S. LAURENTII IN PANISPERNA S. R. E. PRESB. CARD. TLUNDAIN T ESTEBAN, ARCHIEPISCOPUM HISPALENSEM: DE CONVENTU MARIALI E DITIONIBUS LINGUAE HISPANICAE ET LUSI* TANICAE HISPALIM COGENDO.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster salutem et apostolicam beuedictiouem. — Cum valde equidem, de iis laetemur conventibus, quibus passim per catholicum orbem cultus augetur Sacramenti augusti, tum non minori gaudio perfundimur si alicubi congressiones huiusmodi celebrentur ad pietatem erga magnam Dei Matrem cotidie magis excitandam. Quis enim ignorat qua semper praesentissima ope Virgo divina christiano populo affuerit, prementibus undique difficultatibus omne genus, atque bellis in catholicum nomen, curis nimium, desaevientibus? Quamobrem mirum non est si Ecclesia omnem suam spem, post Deum, in Virgine potenti nullo non tempore collocant, eandemque maximis laudibus precibusque prosecuta sit. Hac vero aetate nostra, unde rei christianae salus est exspectanda nisi ab Ea quam *qui invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino?* Ex his intelliget dilecte fili Noster, quam libenter [3]abs te didicerimus mox Hispali, tui quidem honoris sede amplissima, Marialem congressionem celebratam iri, ac fideles istuc conventuros esse non ¿modo ex Hispania universa et Lusitania, sed etiam ex America inferiore, plurimis praesentibus nationum harum episcopis. Cum igitur de re agatur tam magni ponderis, ideoque Nosmet ipsi conventum istum quodam modo participare velimus, te, dilecte fili Noster, his litteris ehgimus, qui, Nostram gerens personam, nomine et auctoritate Nostra congressui isti mariali praesis, coetibusque omnibus ac caerimoniis praesideas, non dubitantes quin ipse, qui auctor reines eamque digne apparare sollertissime studes, pro tua in Virginem Matrem pietate, ad optatos exitus sollemnia sacra sis adducturus. Ac fore confidimus ut vera inde erga augustam Deiparam religio excitetur, quae scilicet in sanctitate morum ac virtutum laude consistit: ita magis magisque Hiberiae populi, Maria patrona et auspice, non modo pulcherrimo pacis dono fruentur, sed etiam omni prosperitate et gloria florebunt. Hac spe laeti, ad rei splendorem animarumque fructum augenlum, tibi damus ut, sacris operatus, nomine Nostro praesentibus benedicas, plenam admissorum veniam eisdem propo-

nens, usitatis Ecclesiae conditionibus lucrandam. Interea, cum tuam tum aliorum, quos habes operis socios, sollertiam dilaudantes in conventu apparando, caelestium conciliatrix munerum ac paternae benevolentiae Nostrae testis apostolica sit benedictio, quam tibi, dilecte fili Noster, iisque omnibus qui istuc conventuri sunt, imprimisque sacris pastoribus, effuso animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xx mensis Februarii anno **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. XI

II

AD EMUM P. D. ALEXIUM TIT. S. CALLISTI S. R. E. PRESB. CARD. ASCALESI, ARCHIEPISCOPUM NEAPOLITANUM, QUEM DEPUTAT LEGATUM SUUM AD CONSECRANDAM NOVAM AEDEM CATHEDRALEM MESSANENSEM.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quemadmodum haud multis ante annis, cum Messana, Siciliae urbs nobilissima, subito urgentique terrae motu disiecta ac pervastata esset, ad eius cives nimio dolore terroreque perculsos paternus pervolavit animus Iesu Christi Vicarii, qui eorum aerumnas pro viribus relevare studuit, ita in praesens, cum in eadem urbe, maximam iam partem e minis excitata suis, nova cathedralis aedes, quae veteris lineamenta refert ampli tudinemque, in eo sit ut sollemni ritu dedicetur, temperare sibi non potest communis omnium Pater, quin et clero populoque Messanensi vehementer gratuletur, et proxima eorum soUemnia aptiore quo potest modo participet. Quamobrem, ut quae studiose apparantur sacra, alicuius Purpurati Patris praesentia augustiora fiant, placet te, dilecte fili Noster, Legatum Nostrum deligere — ut, harum fide litterarum, deligimus — qui sollemnibus eiusmodi dedicationis ritibus nomine et auctoritate Nostra praesideas. Atque iam nunc faustum eventum prospicientibus Nobis, eiusque praecipientibus felicissimi exitus laetitiam quasi ante oculos obversatur spectaculum plane mirandum: Messanenses scilicet ex omni ordine cives Legatum Nostrum summo excipere honore, in eodemque vereri ac colere potestatem dignitatemque Nostram; novum, quod concordi animo coniunctisque viribus exstruendum qrnandumque curarunt templum, tam laetabundos ingredi ut sibimet ipsis videantur pervetustum illud tot memoriis gloriisque sacrum, quasi nunc

prodigialiter reviviscere vehementer admirari; sacris caerimoniis pientissime interesse, ac Deiparam Virginem in caelum receptam, cui cathedralis illa aedes dedicatur, suppliciter instanterque rogare, ut se suamque urbem ne desinat in posterum materno patrocinio suo validissimo sospitare atque tueri. — Quibus quidem Nos publicis supphcationibus preces item Nostras libentissime addemus, id enixe implorantes ut velit benignissima Dei Mater, non modo caducae huius vitae calamitates et aerumnas a filiis Nobis carissimis arcere atque depellere, sed quae potissimum a caelesti vita aeternaque beatitate avertunt homines, ea praesentissimo tutelae suae praesidio, ab eorum animis, removeat atque prohibeat; avitam eorum fidem non tam servet incolumen, quam vividiorem actuosiorenique reddat; morum integritatem, christianae familiae decus et firmamentum, custodiat; ad omnium denique virtutum laudes Messanensem populum excitet suaque ope dirigat. In comperto enim est felicitatem veri nominis, quantacumque in terris frui licet, eum solummodo populum assequi posse, *cuius Dominus Deus eius.* Haec, dilecte fili Noster, animi Nostri sensa et vota tuum erit interpretari luculenter, cum pro tuo officio, adstantium multitudinem alloquens; eosdemque hortaberis, ut Nosmet ipsos Ecclesiamque universam caelesti omnium Matri communibus precibus commendent. Divinorum interea munerum auspex, paternaeque benevolentiae Nostrae pignus apostolica sit benedictio, quam tibi, dilecte fili Noster, solertissimo Messanensium Archiepiscopo, iisque omnibus qui sacris intererunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die **xvin** mensis Iulii, anno **MDCCOCXxrx,** Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. XI

III

AD EMUM P. D. GULIELMUM, TIT. SS. CRUCIS IN IERUSALEM, S. R. E. PRESB. CARD. VAN ROSSUM, SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE PRAEFECTUM, APPETENTE NATALI QUINQUAGESIMO SACERDOTII EIUS.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Magnopere laetamur, iam diem haud. longe abesse, cum ad sacrum altare, vehementiore incensus et renovato quodam pietatis aestu, conscendes, gratias benignissimo Deo acturus, quod te, tot caelestibus locupletatum usque adhuc muneribus, frui illo etiam voluerit — quo quidem frui plerisque e clero non licet —

ut quinquagesimum sacerdotii natalem assequereris. Quodsi, cum quinquaginta ab edita religiosae vitae professione eompleres annos, tibi, dilecte fili Noster, faustum per litteras Nostras gratulando participandoque eventum, bene precati sumus, at multo hodie libentius prospera tibi omnia ac felicia ominamur, cuius geminatam laetitiam praecipimus habebimusque tecum cum tuisque communem. Geminatam laetitiam, inquimus: eorum enim sollemnium, quae die septimo decimo mensis Octobris—ipso scilicet, quo primum litasti, die cum aetate floreres — inter Urbaniani Conlegii alumnos et veluti ante oculos Nostros agentur, similia ante per mensem Septembrem, in Hollandia illa tua, Nobis tibique carissima, ubi tum aliquamdiu versaberis, cum Ligoriani sodales, tum cives tui habituri certatim sunt. Utramque profecto eiusmodi celebrationem probamus, quae cum auctiore Dei gloria coniungetur; siquidem qui tua recte facta recolat ac commemorem facere is non potest quin Dei caritatem bonitatemque agnoscat ac praedicet, quo dante, per diuturnum hoc sacerdotalis vitae spatium, in Ecclesiae incrementum animarumque salutem graves fructuososque labores ferre ac sustinere tibi licuit, iam tum praesertim cum, promeritis debita tuis, romana purpura es auspicato honestatus. Quid, quod, Sacro Consilio de Fide Propaganda praefectus, sic proximo decessori Nostro, sic Nobis, ad catholicas Missiones provehendas proferendumque latius Christi regnum, operam navas ti tuam, ut multa effeceris, quae et laudari satis nequeant et caelesti dumtaxat remuneratione digna videantur? Bene igitur veniat natalis hic sacerdotii tui quinquagesimus, afferatque tibi, praeter spiritualium fructuum copiam, cum novum a Nobis grati animi testimonium, tum meritissimis a Conlegis, a sodalibus, a civibus familiaribusque tuis gratulationes laetitiaeque communis significationes. Qua quidem rei faustitate, dilecte fili Noster, ad maiora, si fieri potest, excitatus, pergito ingenii animique vires, ac quicquid experiundo didicisti, in sacrarum Missionum causam impendere, quae demum est Dei ipsius causa; atque utinam diutissime, prudentia, qua flores, usuque rerum, Ecclesiae et Apostolicae huic Sedi prosis, quacum tam arcte amanterque cohaeres. Interea incolumitatem eiusmodi, cum divinorum munerum effusione coniunctam, conciliet atque adiuvet apostolica benedictio, quam, paternae benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili Noster, ex animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xv mensis Augusti anno MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. XI

IV

AD EXIMIAM DOMINAM CATHARINAM SCHYNSE, PRAESIDEM MULIERUM AC PUELLARUM SOCIETATIS MISSIONIBUS CATHOLICIS PROVEHENDIS.

PIUS PP. XI

Dilecta in Christo filia, salutem et apostolicam benedictionem. — In. comperto equidem iam pridem habebamus istam mulierum ac puellarum societatem, quam tu piissimo consilio, multis abhinc annis, constituendam curasti, curis laboribusque non parcere, ut catholicorum missionalium expeditiones nec instantium ad Deum applicationum praesidio, nec corrogatae stipis auxilio, neque iis omnibus rebus careant, quae sunt ad litandum necessariae. At sacra illa instrumenta bene multa ac liturgicae supellectiles, quae a vobis haud ita pridem ad Nos missa, hisce diebus in Vaticanis aedibus ad spectandum invisentibus proponuntur, quaeque Nos, summo cum animi gaudio, nuper circumeundo suspeximus, tam vehementer admirationem commoverunt Nostram, ut Nos continere non possimus quin gratae voluntatis Nostrae sensa vobis declaremus. Id quidem per has litteras eo libentius facimus, quod, ut Nobis dudum allatum est, cum tu proxime, quintum ac septuagesimum aetatis annum sis feliciter expletura, istius societatis sodales, iique omnes qui tecum necessitudinum vinculis coniunguntur, magnopere exoptant, ut Nos faustitatis huius laetitiam participantes, eam benevolentiae in te Nostrae significatione augeamus. Habeas igitur, dilecta in Christo filia, omina ac vota Nostra; habeat abs te condita sodalitas paternam Iesu Christi Vicarii gratulationem, qui nihil magis cupit, uti nostis, quam ut catholicarum missionum caussa, enitentibus omnibus, uberiora in dies incrementa capiat. Ita enim auspicato continget, ut exspectatione citius, tempora adveniant, cum, christianae veritatis luce populis omnibus affulgente, ac divini Redemptoris nostri regno ubique feliciter instaurato, gentes omnes honestiorem laetioremque in terris vitam traducant atque beatam Christi visionem;, quem divinae misericordiae ope ac missionalium catholicorum laboribus agnoverunt, aliquando adipiscantur. Interea, ut incepta vestra citatiore cotidie gradu procedant, opportuna vobis a Deo auxilia precati, horum conciliatricem et auspicem, cum tibi, dilecta in Christo filia, cunctisque societatis istius moderatricibus ac sodalibus, tum iis omnibus, qui eidem quoquo modo favent atque opitulantur, apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die **VIII** mensis Octobris, anno **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. XI

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XI successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

12 Aprilis 1929. -— Cathedrali episcopali Ecclesiae Midensi praefecit E. D. Thomam Mulvany.

27 Augusti. — Cathedralibus Ecclesiis invicem perpetuo unitis Rubensi et Bituntinae R. P. D. Andream Taccone, hactenus Episcopum Bovensem.

20 Septembris. — Metropolitanae Ecclesiae Monterrejensi, R. P. D, Iosephum Guadalupe Ortiz y Lopez, hactenus Episcopum Ancusensem.

— Cathedrali Ecclesiae de Aguas Calientes, R. P. D. Iosephum a Iesu Lopez, hactenus Episcopum Dadimensem.

29 Septembris. —- Titulari archiepiscopali Ecclesiae Pergemsi, R. P. Aloisium Rondini, ex Ordine Eratrum Minorum Conventualium, deputatum Visitatorem Apostolicum Patriarchatus Ciliciae Armenorum.

1 Octobris. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Lemnensi, R. P. D. Paschalem Gagliardi, hactenus Archiepiscopum Sipontinum et Administratorem perpetuum Vestanum.

2 Octobris.—Metropolitanae Ecclesiae Turritanae, R. P. D. Maurilium Fossati, hactenus Episcopum Nuorensem.

i Octobris. — Archiepiscopali Ecclesiae Ferrariensi, R. P. D. Rogerium Rovelli, hactenus Episcopum Faventinum et Mutilensem.

5 Octobris. — Metropolitanae Ecclesiae Salernitanae, cui adnexa est perpetua administratio dioecesis Acernensis, R. P. D. Nicolaum Monterisi, hactenus Archiepiscopum Theatinum et Administratorem perpetuum Vastensem.

7 Octobris. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Neocaesariensi in Ponto, R. P. Antonium Drapier, ex Ordine Fratrum Praedicatorum, cum munere Delegati Apostolici Mesopotamiae, Kurdistan et Armeniae minoris.

9 Octobris. '•— Titulari episcopali Ecclesiae Lamiauae, B. D. Iosephum Ioannem Desideratum Moussaron, archipresbyterum civitatis *Lectoure,* in archidiocesi Auxitana, quem deputavit Auxiliarem E. P. D. Francisci Ernesti Ricard, Archiepiscopi Auxitani.

DESIGNATIONES ORDINARIUM PRO APPELLATIONE IN SECUNDO GRADU

Iuxta can. 1594 § 2, Archiepiscopus Eeginatensis designavit, semel pro semper, pro appellatione in secunda instantia, tribunal Ordinarii Principis Alberti et Saskatoonensem pro archidioecesi Eeginatensi. Quam designationem Ssmus D. N. Pius div. Prov. Pp. XI, rescripto S. Congregationis Consistorialis diei 23 Iulii 1929, benigne dignatus est adprobare.

Item iuxta can. 1594 § 2, Archiepiscopus Ultraiectensis designavit Ordinarium Harlemensem et huic designationi Ssmus Dominus Noster, rescripto eiusdem S. Congregationis Consistorialis, diei 23 Septembris .1929, adprobationem Suam benigne dignatus est concedere.

SACRA CONGREGATIO
DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

INSTRUCTIO

AD REVMOS ORDINARIOS DE QUIBUSDAM VITANDIS ATQUE OBSERVANDIS IN CONFICIENDO SACRIFICIO MISSAE ET IN EUCHARISTIAE SACRAMENTO DISTRIBUENDO ET ASSERVANDO.

Dominus Salvator Noster pignus admirabile praesidiumque maximum pro salute hominum reliquit, Augustissimum Eucharistiae Sacramentum instituens, eisque, ut ad Ipsum accederent praecepit illis verbis : « Amen, amen, dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die » (Ioan., VI, 54, 55).

Hinc est quod sancta Mater Ecclesia semper sollicita fuit fideles cohortari, ut caelesti hoc pane frequenter vescerentur, instar priorum christifi-

delium, qui, « erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus » *(Act.,* II, 42): atque ad hunc finem Sacra Congregatio Tridentinis interpretandis legibus praeposita, die 20 Decembris anni 1905 Decretum edidit « De quotidiana SS. Eucharistiae sumptione », exordiens his verbis *Sacra Tridentina Synodus,* cui Decretum accessit die 8 Augusti 1910, ita incipiens *Quam singulari* h. S. Congregationis de disciplina Sacramentorum, « De aetate admittendorum ad primam Communionem eucharisticam ». Incitamenta etiam non laevia ad hunc salutarem usum fovendum praebuere eucharistici Conventus, a s. m. Leone XIII primitus constituti, quos undique solemni ritu con celebratos, mirum in modum et excitasse in populis fidem, atque fovisse pietatem compertum habemus.

Interea Ecclesia omne semper studium adhibuit, ne abusus in confectione, susceptione et asservatione tanti Sacramenti irrepèrent. Quapropter haec Sacra Congregatio disciplinae Sacramentorum praeposita, cum in suo officio explendo compererit, ad hanc rem quod attinet, nonnulla haberi corrigenda, vel in usum esse revocandas leges aut praescriptiones latas, quae sequuntur decernere, seu edicere et declarare statuit, *primo* quoad cautelas servandas in paranda materia Sacramenti Eucharistici; *secundo* in Eiusdem susceptione seu administratione; *tertio* in Eodem asservando ultimo triduo maioris hebdomadae.

I. Cum enim idem Sacramentum, praeter formam, constet materia, oportet ut haec religiosissime in sua substantia servetur. Materia autem, quae ex divina institutione, verborum consecrationis vi, ad divinum Sacrificium et Sacramentum Eucharisticum conficiendum inservit, duplex est, scilicet panis et vinum. De materiae substantia edicit Codex I. C. can. 815, § 1: « Panis debet esse mere triticeus et recenter confectus, ita ut nullum sit periculum corruptionis »; § 2: « Vinum debet esse naturale de genimine vitis, et non corruptum ». Ideo consequitur panem ex alia substantia conflatum, vel illum cui tanta sit admixta quantitas a tritico diversa, ut iuxta communem aestimationem, tritici panem esse dici nequeat, materiam validam pro conficiendo Sacrificio et Sacramento Eucharistico haud constituere.

Item uti valida materia haberi nequit vinum, seu potius liquor, qui sit ex pomis aliisque fructibus eductus, vel chimicae artis ope elaboratus, quamvis vini colorem, eiusque quodammodo elementa continere edicatur, vel illud vinum, cui aqua maiore vel pari quantitate sit permixta. Imo uti dubia reputanda erit materia, nec proinde adhibenda, si, licet non maiore aut pari quantitate quaecumque alia substantia tritico aut vino commisceatur, *notabilis* tamen quantitas aliena sit ipsi admixta; nefas

siquidem est tantum Sacramentum nullitatis periculo obiicere. Ad hunc finem convenit ut eiusmodi materiam parantes, eapernoscant, quae Suprema Sacra Congregatio S. Officii decrevit die 4 Maii an. 1887, die 30 Iulii an. 1890, die 15 Aprilis 1891, die 25 Iunii an. 1891, et die 5 Augusti 1896. Quae pressius ad rem nostram faciunt, referre praestat: «Episc. Carcassonen, eidem S. C. duo remedia proposuit, sive cum vineae abundantibus aquis inundantur, sive cum vinum ipsum transfertur, adeo ut 'debilitetur, vel facile corrumpatur: I° Ut vino naturali addatur parva quantitas *d'eau-de-vie* ab ipsis proprietariis diligenter cum vino vero praeparatae (v. g. 15 vel 20 pro centum), et sic corruptionis periculum evitaretur; 2° Ut ebulliatur vinum usque ad 65 altitudinis gradus; tunc enim refrigeratum, minuitur quidem quantum ad quantitatem, sed ab omni corruptionis periculo praeservatur. Et quaerebat utrum haec remedia licita essent in vino pro sacrificio Missae, et quodnam praeferendum, S. C. feria IV, die 4 Maii 1887 reposuit: " Adhibeatur vinum ebullitum " » *(Collectanea S. C. de Prop. Fide,* n. 1672, edit. anni 1907).

Pariter « Vicarius Apostolicus Tche-li in Sinis retulit: " Cum dimcile sit meracum emere vinum in Europa, et difficilius adhuc illud pretio haud modico comparatum in Sinas transvehere, quin in via fraude adulteretur, iam abhinc pluribus annis tutius, necnon facilius missionariis huius vicariatus visum est, vinum pro Missae sacrificio in hac ipsa regione confici. Uvae vero, quas in septentrionalibus partibus reperire est, sacchari quantitatem nimis exiguam continent; ex quo fit ut vinum ex his ad sacrificium Missae expressum, alcoolis portionem infimam tantum ad sacrificium Missae expressum, alcoolis portionem infimam tantum habeat, etjpropterea vix incorruptum asservari possit, attentis praesertim diuturnis infensisque aestivi temporis ardoribus, corruptioni quam maxime faventibus. Tollitur incommodum, obtineturque vinum tuto servabile, necnon oculis, gestui, olfactuique haud ingratum, si centum libris uvarum mox contusarum addantur decem librae *sacchari ex canna* (idest ex planta gramínea, botanice *saccharum officinale,* gallice vulgo *canne à sucre* nuncupata), haecque massa deinde more solito fermentatur. Quae cum deferbuerit, ex centum libris massae (novem sacchari libras iuxta exposita continentibus) obtinentur sexaginta septem vini librae, quae, ut ex calculo chimico coniicere licet, practice ad summum quatuor fibras cum dimidia (idest circiter quintam decimam ponderis totalis partem) alcoolis ex saccharo geniti continent. Aliis verbis, supradicta operatione obtinetur vinum ex vite verum, cuius centum partes sex vel septem alcoolis heterogenei, seu non ex vite producta admixtas habent... Nunc autem, aliquo exurgente dubio, quaeritur: 1° An fiaec praxis ad obtinendum vinum pro Missae sacrificio tuta

sit; 2° An valida; 3° Quid si huiusmodi vinum adhibitum fuerit in Missis ex iustitia ". S.O. reposuit die 25 Iunii 1891: "Vino pro sacrosancto Missae sacrifìcio, addendum potius esse spiritum, seu alcool, qui extractus fuerit ex genimine vitis, et cuius quantitas una cum ea, quam vinum de quo agitur naturaliter continet, haud excedat proportionem duodecim pro centum. Huiusmodi vero admistio fiat, quando fermentatio, sic dicta tumultuosa, defervescere incoeperit, et ad mentem ". Mens est, si missionarii nequeant per se ipsos obtinere spiritum vini ex vino regionis, vino vel vinis regionis addant uvas passas, et faciant omnia simul fermentare».

Si panis itaque vel vinum corrumpatur, vel alio modo substantialiter immutetur, pronum est substantias ex corruptis vel immutatis iisdem speciebus derivantes, haud amplius materiam aptam ad Eucharistiam conficiendam constituere posse. Hanc ob causam cavendum etiam ne vinum, quod pro Missae Sacrificio paratur, diutius in lagena seu amphora maneat, adeo ut facile acescat, neve aliquantulum aquae rartim eodem hausto, reliquo immisceatur.

Prolatis a legitimo ministro consecrationis verbis, ac valida adhibita materia, iam Christus Dominus sub utraque specie totur habetur, et quidem sub singulis cuiusque speciei partibus, prout Concilium Florentinum in condito pro Armenis Decreto declaravit, confirmavitque sacra Tridentina Synodus (Sess. 13, can. 3); et iam pulchre Angelicus Doctor his verbis expresserat «memento tantum esse sub fragmento quantum toto tegitur ». Hinc est quod rubricae Missalis romani sacerdoti litanti praecipiunt, ut, quoties aliquod hostiae fragmentum super corporale vel patenam forte decidat, vel digitis sit applicitum, diligenter illud colligat, etsi minimum etiam foret. Unde nil mirum quod ex veteribus legibus graves in sacerdotem constitutae fuerint poenae, si eius negligentia gutta aliqua Dominici Sanguinis excidisset.

Eapropter iam patet quanta ad tantum rite conficiendum Sacramentum impendi a sacerdotibus cura debeat, ut utraque materia, panis scilicet et vinum, omnimoda securitate comparetur, his praesertim temporibus, quibus inexplebilis lucri cupiditas plures proterve suadet, non pauca adulterare, quae, quin ipsi corpori alendo inserviant, in perniciem potius eiusdem vertunt. Siquidem chimicae scientiae ope multa efformantur, germanam praeseferentia rerum speciem, substantia vero naturali destituta, vel aliquam substantiam fraudulenter alteri subrogando, quin facile fraus, etiam analysi adhibita, saepe detegi possit.

Iamvero ut quis certior exstet de vera panis vinique materia, quae ad tantum Sacramentum conficiendum omnino requiritur, potius profecto erit, nisi utramque Sacerdos apud se habeat domi confectam, eam ab illis

comparare, qui, optime de iis experti, triticum ipsum conferant, sive vinum ex vitis fructu exprimant; et qui, omni suspicione maiores, tuto fidem facere possint, sese, quacumque fraude remota, vere hostias ex tritico solummodo confecisse, et vinum tantum èx vitis fructu, seu genimine expressisse.

II. In administratione Eucharistici Sacramenti non minor adhibenda sedulitas, ne consecratarum hostiarum fragmenta pereant, cum in qualibet ipsarum, integrum Christi corpus adsit. Itaque curandum maxime ne fragmenta ab hostiis facile separentur, decidantque in humum, ubi, horribile dictu! sordibus permixta, pedibus proculcantur.

Ad haec igitur praecavenda postulat necessitas, ut hostiae apte etiam conficiantur, et quidem ab iis, qui non solum honestate praestent, sed etiam ipsis conficiendis sint experti, idoneisque instrumentis instructi. Hinc est quod quibusdam in locis cum munus hostias parandi, vinumquè, pro Sacramento conficiendi, laudabili consilio, religiosis utriusque sexus sodalibus commissum fuerit, res prospere cessit.

Quod autem in Missalis rubrica sacerdoti altare petituro praecipitur, videlicet ut in apparando calice, fragmenta, si quae hostiam circumstent, caute amoveat, id ipsum peragere expediens erit, antequam particulae, quae communicandis Christi fidelibus inserviunt, in pyxidem ab eo, ad quem spectat, collocentur; atque hunc in finem prudens erit easdem particulas non acervatim in pyxidem inficere, sed singulas in eadem apte disponere.

Quo facilius sacerdos ex corporali fragmenta colligat, oportebit ut hoc frustulis careat, quae ex accensis super altare cereis excidere saepe solent, cum, istis permixta, aliquando haud facile discriminan queant. Studendum itaque, ut idem corporale, sanctissimum Christi corpus excepturum, candidum iugiter servetur, et quaevis ab eo macula absit; itemque munda sint oportet sacrae mensae mantilia, palla, atque lintëolum, quod ad detergendum calicem adhibetur.

Ne autem fragmenta in humum décidant quoties sacerdos Christi Corpus fidelibus praebet, sive ipsa directe, sive ex distenta mappa prolabantur, prudentissime dimidio fere praeterito saeculo mos fuit inductus, parva utendi patina, ex metallo confecta, subter eorum mentum apponenda. Facilius siquidem ac tutius, quam super protensa mappa, eadem fragmenta in illa sistunt, faciliusque pariter a sacerdote cerni colligique possunt. Et ipsa sacra Congregatio, tuendis praeposita Eitibus Ecclesiae, cum super hòc, die 16 Martii an. 1876 percontata fuisset, nullum contrarium emittens iudicium, respondit: « non esse interloquendum », unde idem mos pluribus in regionibus vigere coepit, et late se diffudit.

Alia causa dispergendis Eucharistici! Sacramenti fragmèntis, facile haberi potest, cum, peculiari anquafcircumstantia, sive ex Apost. Sedis indulto, sive facta locorum Ordinariis facultatefex iure id permittendi, sub dio Missa celebratur, flantibus interdumf ventis. Ad praecavendam fragmentorum dispersionem, curandum erit quod altare, ubi Missa erit litanda, tribus e lateribus, tabulis tegatur; vel tentorium adsit super altare obductum, et ad tria eius latera descendens in formam aediculae, quo ipsum altare a ventis protegatur, vel alia ratione id[.fiat, consentanea cum reverentia tanto mysterio debita.

III. Quoad asservationem'Sacramenti Eucharistici ultimo triduo maioris hebdomadae, hoc adservatur ad Missam Praesanctificatorun celebrandam, et ad Communionem infirmis dandam.

a) S. Hostia pro Missa Praesanctificatorum, adservanda est in sacello intra Ecclesiam, quo pulchrius fieri poterit, - ornato luminibus, velis, non nigris tamen aut lugubribus, et floribus,fsine[reliquiis aut imaginibus sanctorum vel Beatissimae Virginis et S. Ioannis Evangelistae, remotisque statuis, scenas Passionis repraesentatibus.

Capsula autem seu arca, ubi calix cum S. Hostia est reponendus, ita sit confecta, ut calix adorantibus nullimode pateat, et obseretur clave; super ostiolo capsulae, sigilla apponi non licet. Id statuitur Eubricis Missalis Eomani et decretis S. C. Eituum.

Ex S. Eituum Congregationis decreto N. 3939, « Eomana » haec habentur: «Utrum liceat ad exornandum praedictum altare (sepulcri, adhibere statuas aut picturas, nempelBeatissimae Virginis, S. Ioannis Evangelistae, S. Mariae Magdalenae et mihtum¿custodum, aliasque huiusmodi?» Eesp. «Negative. Poterunt tamen Episcopi, ubi antiqua consuetudo vigeat, huiusmodi repraesentationes tolerare: (caveant autem ne novae consuetudines hac in re introducantur » (15 Decembris 1896).

Et n. 2873, « Narnien. »: « Cuinam tradenda j8it¿(davis ostioli supradicti » (Arcae in qua asservatur SS. Sacramentum Feria V in Coena Domini)'? Eesp. « Iuxta alia decreta, Canonico vel Sacerdoti in crastinum celebratum » (7 Decembris 1844). Cui decreto consonant decreta sub numero 635, 813, 912, 2335, 2830, 2833, 2904 et 579.

b) Pro Communione infirmis danda, in Ecclesiis parochialibus, aliisque, a quibus accipi solet Sanctissima Eucharistia, servandae sunt aliquae particulae consecratae in pyxide, circa cuius repositionem haec serventur. Iuxta mentem Eubricarum ista extra Ecclesiam esset reponenda, sc. prope Sacristiam, in loco opportuno et apto, ubi congrua cum reverentia adservandum erit Sacramentum, non tamen fidelium adorationi expositum, sed tantum?

communionem infirmis ministrandi causa custoditum. Huiusmodi locus opportunus et aptus est capella, seu sacellum prope Ecclesiam, vel ipsum sacrarium, aut aliquod parvum conclave sacrarii tutum et decens; aut etiam locus decens in parochiali domo, a domesticis et profanis usibus seiunctus, et a quocumque irreverentiae periculo remotus. Ibi parandum est tabernaculum clave obserandum, lampade coram eodem iugiter ardente, et repositio ipsa Feria V facienda est.

Ubi vero huiusmodi aptus locus non habeatur, sacra pyxis adservanda erit a Missa Feriae V ad Missam Praesanctificatorum ipso in « Sepulcro », uti communiter appellatur, post calicem; a celebrata autem Missa Praesanctificatorum ad Missam Sabbati Sancti, in aliqua remotiore et secretiore capella ecclesiae, ibique lampas accensa maneat. Si autem nullus, praeter « sepulcri » sacellum, locus aptus habeatur, pyxis in ipso sepulcro, usque ad Sabbatum Sanctum remaneat. Lampas ante Sepulcrum accendatur, extinctis ceteris luminibus, iis etiam sublatis, quae ad ipsius ornatum fuerunt apposita. Quod si in aliqua ecclesia Coenae Domini solemnia non habeantur, sacra pyxis suo in altari servari poterit usque ad. solis occasum eiusdem Feriae V; posthac usque ad Sabbatum Sanctum, in aliquem ex supra indicatis locis erit collocanda.

Prudentiae ceteroquin Episcoporum erit, quoties enascatur difficultas in harum praescriptionum observantia, quaenam sint aptiora loca ex enuntiatis ad eumdem finem, diiudicare, et si non parvi super eadem re irrepserint abusus, ut sedulo isti removeantur, curare.

Quapropter Sacra Congregatio in plenariis Comitiis die 23 Martii 1929 habitis, omnibus mature perpensis et discussis, Emis Ordinariis haec praescribenda esse censuit:

1. Ordinarii, attentis animadversionibus, praeceptis, et decisionibus supra expositis, ea quamprimum statuant, sedulissime servanda a Eectoribus ecclesiarum, et sub horum ductu ab aliis altari inservientibus, ut omne nullitatis periculum a Sacrificio altaris amoveatur, et omnis irreverentiae occasio arceatur.

2. Curent proinde ne in singulis dioecesibus vel civitatibus aut oppidis, pro natura locorum, idoneae desint personae, omnique suspicione maiores, praesertim religiosi utriusque sexus sodales, a quibus ecclesiarum rectores utramque Sacrificii et Eucharistici Sacramenti materiam, nisi apud se habeant, comparare possint, tuta conscientia adhibendam.

3. Item circa ea quae hostiarum confectionem spectant, iidem rectores advigilare debent, ne in istis fragmenta facile haerentia maneant, efficiant que ut, antequam Missa utetur, caute ac sedulo ea amovean-

tur, et saltem cribro leviter excutiantur, si ingens hostiarum numerus parandus erit.

4. Pervigilem adhibeant ipsi curam ut hostiae nonnisi recenter confectae consecrentur, et sacrae particulae, in pyxide adservatae, frequenter renoventur (Can. I. O. 1272, et *Rit. Rom.,* Tit. IV, cap. I, n. 7); ad quem finem studeant ut tabernacula, ubi sacra collocatur Eucharistia, quantum fieri poterit, ab húmido vel a nimio rigido aere sint defensa: humore siquidem exstante, facile hostiae marcescunt, algore autem friabiles fiunt.

5. In diribenda fidelibus sacra Communione, praeter, ante communicantes extensum, linteum albi coloris, iuxta rubricas Missalis, Ritualis, et Caeremonialis Episcoporum, patina erit adhibenda, argento aut metallo inaurato confecta, nullimode tamen artificiosa arte intus exsculpta, quae ab ipsis fidelibus subter eorum mentum erit apponenda, excepto casu, quo sacra Eucharistia ab Episcopo ministratur, vel a Praelato Pontificalibus utente, vel in Missa solemni, adstante sacerdote vel diacono, qui patenam subter communicantium mentum teneat.

6. Monendi sedulo erunt fideles ne, dum suo apponunt mento patinam, et Sacerdoti dein tradunt, aut alteri fideli eam porrigunt, ita eamdem flectant aut invertant, ut, si quae adsunt, fragmenta décidant et disperdantur.

7. Fragmenta autem quae in patina post sacram fidelium Communionem exstabunt, quoties haec intra Missam fuerit diribita, in calicem sedulissime, digiti ope, iniiciantur; in pyxidem vero, si extra Missam sacra Synaxis a fidelibus recipiatur.

Mens autem Sacrae Congregationis non est eas reprobare patinas, cuiusmodi demum sint formae, quae modo adhibentur quibusdam in Ecclesiis, dummodo ex metallo sint confectae, et intus non sculptae, quaeque sint aptae sacris fragmentis colligendis.

8. Ordinarii denique satagant ut ecclesiarum rectores diligentissime munda servent altaria, una cum sacris supellectilibus, illa praesertim quae sacris Speciebus excipiendis inserviunt, et sciant super observantia praefatarum praescriptionum graviter onerari eorum conscientiam.

9. Quoad asservandas sacras particulas, infirmis ministrandas postremo hebdomadae sanctae triduo, Ordinarii locorum perspectam habeant Rubricarum et Decretorum Sacrae Congregationis Rituum intentionem; scientes easdem asservari non ad publicam venerationem, imo hanc prohiberi; tamen magnopere satagendum esse, ut Eucharistiae Sacramento, habita in primis ratione loci, non desit obsequium congruentia honoris et decoris.

Emi Patres praeterea mandarunt ut locorum Ordinarii, intra annum a recepta hac Instructione, S. H. Congregationem certiorem reddant de his

quae decernere censuerunt, in executionem praescriptionum heic contentaran!, et ad abusus forte inolitos convellendos.

In Audientia diei 25 Martii 1929 Ssmus D. -ST. Pius Pp. XI, audita relatione infrascripti Secretarii H.S.Congregationis, eamdem Instructionem approbavit atque edi iussit, mandans ut mittatur ad omnes locorum Ordinarios et Praelatos regulares, ad hoc, ut sacerdotibus et religiosis sodalibus respective eam ipsi communicent.

Datum Eomae ex Aedibus Sacrae Congregationis de Sacramentorum disciplina, die xxvi eiusdem mensis, anni **MDCCCCXXIX.**

£8 M. **CAED. LEGA,** *Praefectus.*

L. $ S.

D. Jorio, *Secretarius.*

ADNOTATIONES

1. Iucundo sane animo conspicere nobis licet quanta alacritate nostris hisce temporibus adauctus sit cultus erga Ssmum Eucharistiae Sacramentum, post habitos undique coetus celebérrimos, recolendae tam salutiferae tamque mirabili institutioni, quae miram Iesu Christi caritatem in hominum salutem tam praeclare prodit. « Nihil enim efficacius — monebat Summus Pontifex Leo XIII — catholicorum animis excitandis, tum ad fidem strenue profitendam, tum ad virtutes christiano nomine dignas exercendas, quam ut alantur et acuantur studia populi in admirabile illud amoris pignus, quod pacis vinculum est atque unitatis » (ex Brevi *Providentissimus Deus* diei 28 Novembris 1897).

2. Nil mirum itaque quod idem Pontifex stimulos addere nunquam destitit, ut eucharistici coetus in pluribus orbis terrae partibus haberentur. Huc spectant Litterae ab eodem datae die 16 Maii anni 1881, cum primus habitus est eucharisticus diversarum nationum conventus in Insulensi civitate, a die vicesima octava ad diem tricesimam Iunii anni eiusdem, quibus, hanc ob rem, suam expromebat laetitiam, et omnibus qui eidem conventui interfuere Apostolicam benedictionem speciali affectu impertitus est. Quin imo die vicesima secunda Augusti dicti anni praesidi eiusdem coetus de hoc ei referenti, epistolam misit, qua ad magis magisque eiusmodi adaugendos coetus incitamenta praebuit his verbis: « Instate igitur, dilecti filii, operi vestro; novos semper ei adiicite sodales; propagate institutionem cui estis addicti, et in omnibus excitare conamini caelestem cari-

tatis ignem, quem Christus venit mittere in terram, et quem per Eucharistiae sacramentum praesertim incendi voluit ».

3. Die etiam 28 Maii anni 1892 epistolam encyclicam ad omnes Orbis Episcopos misit, *de Sanctissima Eucharistia,* cuius initium *Mir ac caritatis* inscribitur.

4. Summus pariter Pontifex Pius X illud, nunquam satis celebrandum, edi decretum iussit die 20 Decembris anni 1905, quo SS. Eucharistiae quotidianam sumptionem fidelibus commendavit, et ad eam sancte et salubriter recipiendam opportuna praecepta dedit. Die insuper septima Augusti anni 1910, ut aliud ederetur decretum voluit, aetatem respiciens, qua ad primam Eucharisticam Communionem forent admittendi pueri puellaeque, statuens quoties ad discretionis annos, seu ad initium usus rationis pervenerint, eis sacram Communionem ministrari posse et deberi.

5. Utrumque decretum confirmatum fuisse scimus a Summo Pontifice Benedicto XV Rescripto edito a Secretaria Status ex Audientia diei 26 Iunii 1916, cui titulus *De Eucharistica puerorum utriusque sexus communione ad mentem Summi Pontificis die 30 mensis Iulii solemni ritu promovenda (Act. Ap. Sedis,* vol. VIII), occasione qua generalis puerorum Communio indicta fuit, ut exitiale bellum, quo fere tota Europa tam saevo divexabatur, tandem aliquando desineret, istaque conquiesceret. Praestat eiusdem tenorem referre: « Ssmus D. N. Benedictus divina Providentia Papa XV, cui nihil antiquius, quam ut pie inviolateque serventur decreta *Sacra Tridentina Synodus* et *Quam singulari,* fel. rec. Decessoris sui Pii X iussu edita, referente me infrascripto Cardinali a Secretis Status, cum prope adsit alter luctuosissimi eventi anniversarius dies, id mandare dignatus est, quod sequitur: " omnes et singuli in Europa locorum Ordinarii summopere curent, ut, in Ecclesiis et Oratoriis suae cuiusque dioecesis, die 30, qui dominicus est, proximi mensis Iulii, pueri utriusque sexus universi ad mentem Beatissimi Patris, sollemniore quo fieri poterit ritu, ad Sacram Synaxim accedant „. Contrariis quibusvis nlimme obstantibus ».

6. Postremo Summus Pontifex Pius XI, quo Supremo Ductore fruimur, ad magis magisque eumdem cultum fovendum augendamque erga Ssmam Eucharistiam, die vicesima quarta mensis Maii anni 1922, decimum sextum coetum inter nationes solemniter auspicatus est, eidemque adfuit. Satis autem cognita sunt ea quae idem Summus Pontifex in Allocutione habita die decima septima Decembris elapsi anni .1928 de eiusmodi eucharisticis coetibus edixit: « Ecquis ignorat quantopere ceteri qui acti sunt, ex nationibus omnibus Congressus Eucharistici, quamque mirum in modum contulerint ad fidem in populis excitandam, ad fovendam pietatem, ad christianae denique vitae usum instaurandum? »

7. Die autem 20 Decembris mensis, eiusdem anni, occasione qua annum quinquagesimum ab inito suo sacerdotio auspicatus est, parvulis Oratorii S. Petri, Christi corpus primitus suscipientibus amantissime praebuit.

8. Die denique vicesima quinta Iulii huius labentis anni, ut benignissimo Deo gratiae agerentur pro inita inter S. Sedem atque Italorum regem conventione, exoptatae inter utramque potestatem pacis nuntia, iucundissime evenit, gratissima omnium recordatione, nunquam e memoria delenda, communem vespertinis horis conspicere Patrem, diuturnum post tempus, ex Basilica omnium maxima S. Petri in apertum solemnissima prodeuntem pompa, quem frequentissimi excellentissimorum ordinum viri comitabantur, quamplurimis etiam sacri ordinis alumnis incedentibus, pacisque Hostiam ferentem, ingenti populi multitudine prae laetitia gestiente, adeo ut miti spirante aere, atque occasu veluti cunctante, natura ipsa ob singularem eventum laetari videretur.

9. Dum itaque maxime laetandum quod ex huiusmodi excitato Studio erga Ssmam Eucharistiam uberes capiantur fructus, prudentia suadet ut pericula irreverentiae erga tantum Sacramentum arceantur. Ad hunc finem haec sacra Congregatio de Sacramentis, cui munus commissum ©st Sacramentorum tuendi disciplinam, illorum imemor quae sive iuris canonici Codex, sive Concilia, sive Tridentina praecipue Synodus in recipiendo tanto Sacramento praecipiunt, hanc edi Instructionem curavit. Quanta siquidem reverentia idem Sacramentum tractari et suscipi debeat, Catechismus romanus ex decreto sacrosancti Concilii Tridentini editus his praeclaris enuntiat verbis: « Quemadmodum ex omnibus sacris mysteriis, quae nobis tanquam gratiae certissima instrumenta Dominus Salvator Noster commendavit, nullum est, quod cum sanctissimo Eucharistiae Sacramento comparari queat: ita etiam nulla gravior alicuius sceleris animadversio a Deo metuenda est, quam si res, omnis sanctitatis plena, vel potius quae ipsum sanctitatis auctorem et fontem continet, neque sancte, neque religiose a fidelibus tractetur » *(De Eucharistiae Sacramento,* caput IV).

10. Ad sancte itaque tractandum, religioseque suscipiendum divinum sacramentum, eadem sacra Congregatio iure optimo normas hac Instructione praebere studuit, respicientes tum altare, in quo sanctum Sacrificium perficitur, tum mensam, in qua Eucharistia sumitur, tum tabernaculum, ubi sacra custoditur hostia, tum materiam, qua idem conficitur, panem scilicet et vinum, quorum primus triticeus esse debet, alterum e genimine vitis eduetum. Horum itaque confectio ad quodvis invaliditatis et irreverentiae periculum avertendum sedulo curanda, quemadmodum ipsa man-

tilia, quibus altare tegitur, et alia, quae inibi adhibentur, integra mundaque sint oportet.

11. Eadem ratione sacra Congregatio altaris administros urgere non desinit, ut in sanctissima Eucharistia fidelibus diribenda periculum dispergendi fragmenta amoveant, ideoque praecipit, ut in ea ministranda patina adhibeatur. Itemque caveant ut triduano mortis D. IS". I. C. tempore, decenti custodiae Ssmae Eucharistiae consulatur, eam scilicet sanóte reli^ gioseque servando.

12. Prudenti vero parochorum industriae relinquitur, ut in Ecclesiis magnarum praesertim urbium, altare ubi tabernaculum collocatum est, Sanctissimum excipiens Sacramentum, prae coeteris indubio et conspicuo signo facile a fidelibus cognoscatur, irreverentiam etiam vitandi causa, ipsosque ad hunc finem hortentur, ut Ecclesias ingressuri, potiorem, uti par est, cultum Eidem praebeant.

13. Rogantur denique iterum iterumque Rmi Ordinarii tum locorum tum personarum, sacerdotesque utriusque Cleri, ut diligentissime efficiant, ne aliquid ex iis quae in hac Instructione statuta sunt, ad sancte religioseque Sacramentum tractandum, in irritum cedat, cum detrimento Eiusdem, cui caetera referuntur sacramenta, et prout Ssmus Dominus Noster Pius Papa XI suprema Sua auctoritate, ut haec omnia serventur, sanxit.

D. Jorio, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

ORATIO AD S. TERESIAM A IESU INFANTE

«Sainte aimable et compatissante, daignez soulager nos frères russes, victimes d'une longue et cruelle persécution antichrétienne: obtenez leur la persévérance dans la Foi, le progrès dans l'amour de Dieu et du prochain et dans la confiance envers la Très Sainte Mère de Dieu; préparez leur des saints Prêtres, réparateurs des sacrilèges commis contre la Sainte Eucharistie et des blasphèmes; faites refleurir, surtout dans la jeunesse, la pureté angélique et les vertus chrétiennes, afin que ce noble peuple, libéré de toutes les servitudes et revenu spontanément à l'unique bercail que le Cœur aimant du Christ ressuscité confia tout entier à Saint Pierre et à ses successeurs, goûte enfin la joie de glorifier dans la communion de la Sainte Eglise Catholique le Père et le Pils et le Saint-Esprit. Amen ».

Die 19 Augusti 1929

Sacra Poenitentiaria Apostolica omnibus christifidelibus sequentes Indulgentias benigne concedit: I. *Partialem 300 dierum,* saltem corde contrito lucrandam, quoties supra relatam orationem recitaverint; II. *Plenariam,* suetis sub conditionibus semel in mense acquirendam, si per integrum mensem memoratam recitationem quotidie persolverint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. CARD. LAURI, *Poenitentiarius Maior.*

I. Teodori, *8. P. Secretarius.*

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO PRO RUSSIA

DECRETUM

Precibus piorum aliquot Russorum benigne annuens, Ssmus Dominus Noster Pius, divina Providentia Papa XI, habito voto Emi .Cardinalis Maioris Poenitentiarii, referente R. P. D. Michaele d'Herbigny, Episcopo titulari Iliensi, huius Pontificiae Commissionis Relatore, in Audientia diei 17 Maii currentis anni, indulgentias quae infra adnotantur, suetis conditionibus, a Russis lucrandas^concedere dignatus est, scilicet:

Indulgentiam tercentorum dierum quoties piam recitaverint ad Dominum Iesum orationem (russice McwraTBa IncycoBa) his verbis constantem « Domine Iesu Christe, Fili Dei, miserere nobis (amen) »; russice rocno^H Incyce XpHcre, Cuse BOJKÍH *tlqmkrjk* Hac, (AMHH).

Item indulgentiamjtercentorum dierum quoties duodecies uti inter Byzantinos mos est, Kyrie eleison, russice: rocno^n, noMnnyä, devote dixerint.

Item indulgentiamftercentorum dierum quoties in publica ecclesia vel oratorio sacras Icones D. N. L C, B. V. Mariae]* nec non Sancti Titulari Ecclesiae et Sancti cuius Festum celebretur, osculis religiose venerati sint.

Mandavit insuper eadem Sanctitas Sua ut supradictae gratiae praesenti Decreto publici iuris fiant.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria Pontificiae Commissionis pro Russia, die 27 Maii anno 1929.

A. CARD. SINCERO, *Praeses.*

L. © S.

C. Margotti, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEL CONCILIO

AVVISO

Si avverte che le iscrizioni allo *Studio* presso la Sacra Congregazione del Concilio, si chiudono il 15 Novembre.

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 29 Ottobre 1929, presso l'Emo e Revmo Signor Cardinale Alessandro Verde, Ponente della Causa di Beatificazione e Canonizzazione del Ven. Servo di Dio Antonio Maria Claret, Arcivescovo di S. Giacomo di Cuba, quindi di Traianopoli, Fondatore della Congregazione dei Missionari Figli dell'Immacolato Cuor di Maria, si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti *Antipreparatoria* per discutere il dubbio sopra due miracoli che si asseriscono da Dio operati per intercessione del medesimo Venerabile, quali vengono proposti per la sua beatificazione.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

13 Settembre 1929. L'Emo Sig. Cardinale Alessio Enrico Lépicier, *Protettore della Società dei Preti della Misericordia* (Parigi).

16 » » L'Emo Sig. Cardinale Francesco Ragonesi, *Protettore dei Romitani Recolletti di S. Agostino.*

20 » » L'Emo Sig. Cardinale Gennaro Granito Pignatelli di Belmonte, *Protettore delle Suore di San Giuseppe dell'Apparizione* (Francia).

8 Ottobre » L' Emo Sig. Cardinale Lorenzo Lauri, *Protettore delle Suore Riparatrici del S. Cuore di Gesù* (Boma).

10 » » Monsig. Leopoldo Ruiz y Florez, Arcivescovo di Morelia, *Delegato Apostolico nel Messico.*

12 » » L'Emo Sig. Cardinale Bonaventura Cerretti, *Protettore delle Suore della Società del Bambino Gesù* (Roma).

18 » » L'Emo Sig. Cardinale Alessio Enrico Lépicier, *Protettore dell'Istituto delle Sacramentine di Maria Ausiliatrice* (Roma).

21 » » L'Emo Sig. Cardinale Alessio Enrico Lépicier, *Protettore della Società Bibliografica* (Parigi).

Assistenti al Soglio Pontificio:

4 Luglio 1929. Monsig. Ludovico Szmrecsányi, Arcivescovo di Agria.
24 Settembre » Monsig. Crescente Errazuriz y Valdivieso, Arcivescovo di Santiago del Cile.
30 » » Monsig. Giovanni G. Cantwel, Vescovo di Los Angeles.
8 Ottobre » Monsig. Giovanni Cazzani, Vescovo di Cremona,

Protonotarii Apostolici ad instar participantium:

28 Agosto 1929. Monsig. Paolo Giuseppe Pisani, dell'archidiocesi di Parigi.
14 Settembre » Monsig. Venanzio Felisi, della diocesi di Lodi.
» » » Monsig. Giuseppe Dovera, della medesima diocesi.
17 » » Monsig. Luigi Martinelli, della diocesi di Subiaco.
19 » » Monsig. Giovanni Siener, della diocesi di Secovia.
9 Ottobre » Monsig. Riccardo Lacarra, dell'archidiocesi di Brindisi.
12 » » Monsig. Giovanni Verdier, dell'archidiocesi di Parigi.
15 » » Monsig. Giorgio Stefano Grandbois, dell'archid. di Regina.
17 » » Monsig. Isidoro Alexandre, della diocesi di Nevers.

ONORIFICENZE

COD Brevi Apostolici il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Gran Croce dell'Ordine Piano :

10 Settembre 1929. A S. E. Giulio Maniu, Presidente del Consiglio dei Ministri di Romania.
» » » A S. E. Giorgio G. Mirònesco, Ministro degli Affari Esteri di Romania.
» » » A S. E. il generale Alessandro Averesco (Romania).
» » » A S. ÍE. dott. Alessando Vaida-Vöevod, Ministro per gli Interni di Romania.
10 » » Al sig. Vintila Bratianu (Romania).
» » » Al sig. Nicola Titulesco (Romania).
21 » ». Al sig. Augusto de Castro (Portogallo).
7 *Ottobre* » Al sig. Giovanni Mitilineu (Romania).

La Commenda con placca dell'Ordine Piano:

10 Settembre 1929. Al sig. Barbo Constantinesco (Romania).
» » » Al sig. Demetrio Juraseo (Romania).
» » » Al sig. dott. Zenobio Paclesianu (Romania).
» » » Al sig. Costantino Isopescu Grecul (Romania).
» » » Al sig. Giovanni Clinciu (Romania).

La Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

10 Settembre 1929. A S. E. Aurelio Vlad, Ministro per i Culti in Romania.
» » » A S. E. Stefano C. Pop, Presidente della Camera dei deputati di Romania.

10 Settembre 1929. A S. E. Traiano Bratu, Presidente del Senato di Romania.
» » » Al sig. Basilio Goldis (Romania).
» » » Al sig. Alessandro Lapedatu (Romania).
» » » A S. E. Cajo Brediceanu, Inviato straordinario e Ministro plenipotenziario di Romania presso la S. Sede.
11 » » A S. E. Augusto de Castro, Inviato straordinario e Ministro plenipotenziario di Portogallo presso la S. Sede.
7 Ottobre » Al sig. Ottaviano Goga (Romania).
» » » AI sig. Costantino Basau (Romania).

La Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

19 Ottobre 1929. Al sig. comm. avv. Luigi Colombo, delParchid. di Milano.

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

4 Ottobre 1929. Al sig. dott. Venturino Martelli, della diocesi di Novara.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

6 Settembre 1928. Al sig. dott. Massimiliano Lebschè, dell'archidiocesi di Monaco e Frisinga.
27 *Giugno 1929.* Al sig. rag. Pietro Aghemio, della diocesi di Novara.
£ *Settembre* » Al sig. barone Leone de Lhoneux, della diocesi di Namur.
10 » » Al sig. Caio Valeanu (Romania).
» » » Al sig. Emilio Pavelesco (Romania).
> » » Al sig. Giorgio Mayrocordat (Romania).
» » » Al sig. Vintila Ivanceanu (Romania).
11 Ottobre » Al sig. avv. Lodovico Guibal, della diocesi di Montpellier.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

22 Giugno 1929. Al sig. Giovanni M. Tucker, dell'archid. di Westminster.
3 *Settembre* » Al sig. Lodovico Maria S. Le Guisquet de Kéranforêt, della diocesi di Quimper.
6 » » Al sig. dott. Giovanni Peters, della diocesi di Haarlem.
10 » » Al sig. Vittore Protopopesco (Romania).
28 » » Al sig. Diego Bouchard, della diocesi di Gaspé.
4 *Ottobre* » Al sig. Pio Pascucci (Roma).
19 » » Al sig. conte Alberto De Montcabrier, dell'archid. di Parigi.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe militare:

11 Ottobre 1929. Al sig. generale Giacomo Monroe, della diocesi di Marsiglia.

La Gran Croce dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

10 Settembre 1929. Al sig. Gregorio Gafenco (Romania).
» » » Al sig. Alessandro Jacovaki (Romania).
» » » Al sig. Costantino Olanesco (Romania).

10 Settembre 1929. Al sig. Costantino Zanesco (Romania).
» » » Al sig. colonnello, Raul Estevas (Portogallo).
24 » » Al sig. conte Gustavo di Carpegna (Roma).

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

10 Settembre 1929. Al sig. Nicola Michele Vladesco (Romania).
7 Ottobre » Al sig. Giovanni Brosu (Romania).
» » » Al sig. Viorello V. Tilea (Romania).

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

22 Febbraio 1929. Al sig. Giovanni Gioacchino de Sousa Sobrinho, della diocesi di Aracajù.
16 Aprile » Al sig. Sebastiano Montanaro, della diocesi di Alba.
2 Settembre » Al sig. Giovanni Battista Carrera, delParehid. di Torino.
10 » » Al sig. cap. Mario Costa (Portogallo).
» » » Al sig. dott. avv. Teodoro Solacolo (Romania).
11 Ottobre » Al sig. architetto Giulio Petrovácz, dell'archidiocesi di Strigonia.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

2 Settembre 1929. Al sig. Antonio Quaglino, dell'archidiocesi di Torino.
» » » Al sig. Giovenale Strumia, della medesima archidiocesi.
3 » » Al sig. Luigi Ghiaini, della diocesi di Mantova.
10 » » Al sig. dott. Emilio Juga (Romania).
19 » » Al sig. Paolo Scribante, dell'archidiocesi di Torino.
11 Ottobre » Al sig. avv. Giuseppe Grasset, della diocesi di Montpellier.
» » » Al sig. avv. Paolo Catalan, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Giulio Coste Floret, della medesima diocesi.

NECROLOGIO

19 Maggio 1929. Eccmo Monsig. Matteo de Oliveira Xavier, Arcivescovo di .Goa e Patriarca delle Indie Orientali.
18 Ottobre »• Monsig. Michele Dunne, Vescovo di Peoria.
22 » » Monsig. Lorenzo Ricard, Vescovo di Nizza.
26 » » Monsig. Oliviero Eleazaro Mathieu, Arcivescovo di Regina.

Annus XXI - Vol. XXI 2 Decembris 1929 Num. 15

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIO APOSTOLICA

OEEGONOPOLITANA

DE ARCHIDIOECESIS TITULI ET SEDIS CATHEDRALIS MUTATIONE

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ecclesiarum omnium sollicitudo, Nostro sacrosancti apostolatus muneri inhaerens, a Nobis postulat ut uniuscuiusque dioecesis cathedra episcopalis in ea urbe constituatur, quae et maiori cliristifidehum œmmoditati et animarum regimini ac locorum adiunctis melius et aptius respondere videatur. Omnibus quidem compertum est Oregonopolitanam urbem, etsi parvam, tum historica ratione, tum situs amoenitate principem locum fuisse, cum a s. m. Pio Papa nono, Antecessore Nostro, in cathedralem ecclesiam eiusdem nominis anno millesimo octingentesimo quadragesimo sexto constituta fuit et in metropolitanam sub eodem nomine anno millesimo octingentesimo quinquagesimo evecta. Progressu vero temporis minus apta et commoda ut archidioecesis sedes visa est, non modo quia ipsius ecclesia cathedralis S. Ioannis impar omnino erat fidelium numero continendo, sed etiamjet praesertim quia sensim florere coepit et incolis et industrias urbs *Portland* vulgo nuncupata, quae in praesenti omnium prestantissima facta est, adeo ut venerabiles fratres Nostri Oregonopolitani Archiepiscopi multis abhinc annis opportunum aestimarent pro faciliore animarum regimine in ipsa commorari et ipsam uti suae archidioecesis sedem reapse habere. Hisce itaque de causis venerabilis frater Noster Eduardus D. Howard, hodiernus Archiepiscopus Oregonopolitanus, enixas Nobis preces obtulit ut, translata in *Portland* urbem sede cathedrali, nomen quoque ipsi archidioecesi ea

urbs praeberet. Quare Nos, omnibus mature perpensis, ac praehabito venerabilis fratris Nostri Petri Fumasoni Biondi, Archiepiscopi Doeletani ' et in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis Nostri Delegati Apostolici, favorabili voto, praefati Oregonopolitani Archiepiscopi oblatas preces excipiendas censuimus. Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, quorum interest vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, civitatis Oregonopolitanae iura episcopalia praesentibus Litteris supprimimus ac suprema Nostra auctoritate *Portland* urbem in civitatem episcopalem archidioecesis erigimus et constituimus; archidioecesim ipsam deinceps *Portlandensem in Oregon* appellandam volumus ac eidem *Portland* civitati iura omnia ac privilegia, honores ac praerogativas concedimus, quibus ceterae in America^ Septentrionali sedes episcopales gaudent ac fruuntur. Ecclesiam vero Conceptioni Immaculatae Beatae Mariae Virginis dicatam, in eadem urbe *Portland* exstantem, in metropolitanam eiusdem archidioecesis Portlandensis in Oregon erigimus et in ea sedem archiepiscopalem constituimus atque eidem ecclesiae attribuimus universa bona et reditus, quae ad metropolitanam ecclesiam Oregonopolitanam, qua talem, pertinebant.

Volumus autem ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis,, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si exhibitae vel ostensae forent. Non obstantibus* quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Eomanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum dispositionibus ceterisque contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis. Nemini autem quae hisce Litteris Nostris decreta sunt infringere vel eis contraire liceat. Si quis vero ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo octavo, die vigesima sexta mensis Septembris, Pontificatus Nostri anno septimo.

FR. ANDREAS **CARD**. FRÜHWIRTH,
S. R. E. Cancellarius.

CAROLUS **CARD**. PEROSI,
S. C. Consistorialis a Secretis.

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Protonotarium Apost.*
Alfonsus Carinci, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ⤫ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XXIX, n. **S - M, Riggi.**

LITTERAE APOSTOLICAE

DELEGATIONIS APOSTOLICAE AEGYPTI IURISDICTIO EXTENDITUR AD TERRITORIA PALAESTINAE, TRANS JORDANIAE ET INSULAE CYPRI.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Romani Pontifices, qui, utpote Beati Petri successores, supremam in Ecclesia potestatem exercent, vigili iugi» cr studio in locorum, qui longinqui atque a Romano centro dissiti sint, necessitates parandas tuendasque incumbunt. Id igitur Nos quoque in banc Petri cathedram, Bei gratia, evecti, ut felici ac prospero Ecclesiae regimini prospiciamus, quantum in Domino possumus satagimus. Quapropter cum varias ob rationes peropportunum videatur Palaestinae, Transjordaniae et insulae Cypri territoria, quae hucusque ad Delegationem Apostolicam Syriae pertinebant, ad res catholicas inibi provehendas, a praefata Syriae Delegatione separare, ut eadem in posterum sub Delegati Apostolici Aegypti iurisdictionem subiiciantur: Nos, omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum venerabiübüs fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui pro Ecclesia Orientali negotiis praepositi sunt, audito quoque hodierno Syriae Delegato Apostolico Nostro, haec quae infrascripta sunt decernenda censuimus. Nimirum ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, Palaestinam, Transjordaniam et Cypri insulam a Delegatione Apostolicae Syriae separamus, easdemque sub potestatem subiicimus Apostòlici pro tempore exsistentis Delegati Aegypti, qui ex nunc Delegatus etiam Apostolicus ierusalem et Palaestinae, Transjordaniae et Cypri nuncupabitur. Propterea volumus ut ipse novus Apostolicus Delegatus suo huiusmodi in praefatis regionibus munere fungatur, omnibus et singulis utens potestatibus ac facultatibus, quae huic muneri sunt propriae, atque advigilet in cuiusque ritus Ecclesiarum statum,.in eisdem regionibus exsistentium; Nos vero et hanc Sanctam Sedem de eodem statu certiores reddat.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis,

auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Bomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xi mensis Martii anno MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri octavo.

P. CAED. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

INSULA DE HAIN AN IN SINIS IN MISSIONEM SUI IURIS ERIGITUR

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Quod christiani gregis bono utilitatibusque spiritualibus provehendis conducat, id opportune maximeque curandum Nobis munus apostolicum suadet, quod Nobis, licet immeritis, a divina Providentia commissum est. Quapropter cum rogati simus ut insulam de Hainan, intra fines apostolici vicariatus de Pakhoi positam, ad christianas res melius inibi provehendas in Missionem sui iuris erigeremus, huiusmodi postulationibus annuendum existimavimus* Abhinc enim nonnullis annis insulam ipsam, venia a Sancta Sede impetrata, Vicarius Apostolicus de Pakhoi tunc temporis exsistens, curis concredidit Patrum Congregationis Sacrorum Cordium Iesu et Mariae, vulgo *de Piepus* nuncupatae; et revera studio sollertiaque eorundem Patrum, Deo favente, catholica religio in eadem insula haud levioris momenti incrementa habuit. Delegatus quoque Apostolicus Noster in Sinis amplissimo suo suffragio hanc condendam novam independentem Missionem commendat; ac propterea, conlatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui negotiis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide praepositi sunt, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, ab actuali vicariatu apostolico de Pakhoi in Sinis insulam de Hainan, suis hodiernis limitibus constitutam, separamus, atque ex eadem novam independentem Missionem constituimus, quam eodem nomine de Hainan nuncupandam, curis Patrum Congregationis Sacrorum Cordium, quos laudavimus, ad Nostrum et Sanctae huius Sedis beneplacitum committimus.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt,

plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac defliiiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari Contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xv mensis Aprilis anno **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. C**ARD.** G**ASPARRI,** *a Secretis Status,*

III

DISMEMBRATO TERRITORIO EX VICARIATU APOSTOLICO DE TSINANFU ERIGITUR MISSIO INDEPENDENS DE CHANGTIEN IN SINIS.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam.— Ut, aucto pastorum numero, christifidelium necessitatibus facilius prospiciamus concreditum Nobis divina benignitate munus apostolicum postulat; ideoque ecclesiastica ubique terrarum territoria, quae latissimis finibus aut nimia incolarum multitudine sint constituta, in plures propriis singulisque pastoribus concredendas partes, data opportunitate abscindimus. Qua de caussa ultro libenterque postulationibus concedendum censuimus, quas, suffragio etiam auctas Delegati Apostolici Nostri in Sinis, Nobis adhibuit generalis Ordinis Fratrum Minorum Minister, ut ex vicariatu Apostolico de TsinanfU, qui late patet atque incolarum numero conspicuus est, quandam territorii partem, aliis Evangelici praeconibus committendam seiungere dignaremur. Itaque, conlatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Eomanae Ecclesiae Cardinalibus, qui negotiis Propagandae Eidei praepositi sunt, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae aucto* ritatis plenitudine, praesentium Litterarum vi, ab hodierno vicariatu apostolico de Tsinanf u nuncupato sequentes partes seiungimus, quae videlicet constant subpraefecturis civilibus, quarum haec sunt nomina: de *Suimin, Loling^ Yangsin, Eaifeng* (vel: *Wuti), Chanhwa, Pirihsien, Lit* sing, Tsingcheng, Putai, Tsitung, Changshan, Ewàntai, Tsowping, Tze* chwan,* easdemque in novam Misionem sui iuris erigimus et constituimus. Novam vero huiusmodi Missionem independentem, cui nomen facimus de *Changuen,* Ordinis Fratrum Minorum curis ad Nostrum et Sanctae huius Sedis beneplacitum in Domino committimus. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Haec statuimus, décernent praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc atque inane fieri, si quidquam secus super bis, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari contigerit.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvi mensis Aprilis, anno **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. C**ARD.** G**ASPARRI,** *a Secretis Status.*

IV

DE MECHLINIENSI INSTITUTO MUSICAE SACRAE PROVEHENDAE

PIUS PP..XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Quantopere Nobis recta liturgici cantus ac musicae sacrae institutio cordi sit, vel. ex iis perspici licet, quae recens per Constitutionem Apostolicam *Divini cultus sanctitatem* decrevimus ac statuimus. Siquidem omnino compertum habemus cum ad salutares cogitationes piosque motus in adstantium animis excitandos, tum ad augendam sanctissimorum Ecclesiae rituum maiestatem, plurimum valere ac posse sacros concentus, si modo rite adhibeantur, varia supplicationum verba superno quasi fulgore illuminando. Quapropter quotquot data opportune opera, nobilissimum eiusmodi disciplinam provehunt, debita eos honestare laude consuevimus. Iamvero cum nuper didicerimus Institutum Mechliniense musicae sacrae provehendae, quod dilectus filius Iulius Van Nuffel scite prudenterque moderatur, in eo esse ut quinquagesimum agat celebretque annum, ex quq feliciter initium cepit, temperare Nobis non possumus quin laetitiam moderatoris ceterorumque, qui ad Institutum ipsum pertinent, participando augeamus, eisdemque de promeritis, neque paucis sane neque levioris momenti, comparatis vehementer gratulemur. Id enim illis laudi dandum, omni scilicet contentione curavisse ut, quae a Nobis et a decessoribus Nostris hoc in genere praecepta sunt, ad effectum apposite diligenterque adducerentur, atque eo continenter spectasse ut alumnorum animi, ad exquisitum bonorum artium sensum atque iudicium instituti, ad christianae etiam vitae usum conformarentur ac pleniore catholicae Ecclesiae doctrina, sacrarum quidem disciplinarum omnium effectrice ac fundamento, imbuerentur. Ut igitur huiusmodi frugiferum inceptum impen-

sius quam antea, si quidem fieri potest, moderatores adiutoresque Instituti persequantur, ex hac ipsa laudabilis eventus celebratione alacritatem sumant; eisdemque stimulos adiiciat apostolica benedictio,-quam in caelestium munerum auspicium paternaeque benevolentiae Nostrae pignus Moderatori cunctisque ipsius Mechliniensis Instituti magistris atque alumnis peramanter in Domino impertimus. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris,- die vm mensis Maii anno **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. C**ARD.** G**ASPARRI,** *a Secretis Status.*

V

DISTRACTO TERRITORIO EX VICARIATU APOSTOLICO DE SEENHSIEN ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA DE YUNGNIEN IN SINIS, LNDIGENAE CLERO CONCREDENDA.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Quod Nobis apostolicum munus sumentibus proposueramus, ut, scilicet, quantum in Nobis est, continenti cura bono fidelium ac religioni provehendae in dissitis ab hoc catholico centro religionibus tempestive consulamus, Nos facile persuadet ut nunc votis concedamus Vicarii Apostolici de Sienhsien, qui a Nobis enixe exposcit ut quandam e suo latissimo vicariatu partem distrahamus, eandemque in novam missionem independentem constituere dignemur. Ex implorata quidem novae missionis constitutione fructus uberiores in regione eadem divini verbi praecones percipere et catholica proinde religio incrementa suscipere poterunt; quapropter Nos, conlatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Eomanae Ecclesiae Cardinalibus, qui negotiis Propagandae Fidei sunt praepositi, et praehabito voto venerabilis fratris Archiepiscopi titulo Theodosiopolitani, Delegati Apostolici Nostri in Sinis, motuproprio atque ex certa scientia ac matura deüberatioñe Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, civiles subpraefecturas de *Weihsien, Tsingho, Kitseh, Kuchow, Yungnien, Feisiang, Kwangping, Chengan, Hantan, Tzechow* a vicariatu apostolico de Sienhsien separamus sive dismembramus, earundemque territorium, sic per Nos seiunctum sive separatum, in praefecturam apostolicam erigimus et constituimus, cui nomen facimus de *Yungnien.* Hanc autem novam praefecturam apostolicam de Yungnien ad Nostrum et Sanctae huius Sedis beneplacitum cleri saecularis indigenae curis concredimus. ,

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super bis **a** quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxiv mensis Maii anno **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. C**ARD.** G**ASPARRI,** *a Secretis Status»*

VI

VICARIATUI APOSTOLICO DE MOGADISCIO ADIUDICATUR TERRITORIUM TRANS JUBAM, HACTENUS AD VICARIATUM DE ZANZIBAR PERTINENS.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Quae catholicae propagandae religioni in longinquis praesertim regionibus prospere eveniant, ea ut opportune praestemus Nos instanter admonet apostolicum munus quo in terris Dei gratia fungimur. Hoc quidem ducti consilio, cum Vicarius Apostolicus de Mogadiscio in Africa orientali ad fidei incrementum obtinendum in territorio, quod, trans flumen Jubae positum, vulgo *Oltre Giuba* nuncupatur, et ad vicariatum Zanzibarensi pertinet, Nos humiliter roget ut territorium ipsum, a vicariatu Zanzibarensi distractum, vicariatui apostolico de Mogadiscio assignare dignemur, atque in id etiam consentiat Vicarius Apostolicus Zanzibarensis: Nos, omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui negotiis explendis Sacrae Congregationis Propagandae Eide praepositi sunt, haec decernenda existbnavimus. Nimirum certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium [Litterarum vi, -territorium vulgo *Oltre Giuba* nuncupatum a vicariatu apostolico Zanzibarensi separamus, idemque vicariatui apostolico de Mogadiscio ex nunc adnectimus.

Porro haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas, atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent, sive pertinere pote>-runt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse

ac defiûiéndiirn, irritumque ex nunc et inane si quidquam secus super his* á quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxiv mensis Maii anno **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. C**AED.** G**ASPARRI,** *a Secretis Status**

VII

SEPARATO TERRITORIO A VICARIATU APOSTOLICO DE CHENGCHOW, ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA DE LOYANG, IN SINIS.

PIUS PP XI

Ad futuram rei memoriam. — Nobis ex alto commissum pastorale officium nih.il Nos magis sollicitat, quam ut rebus fidei propagandae provehendis, in locis praesertim habitantium multitudine ref ertis atque ab hoc catholicae religionis centro valde dissitis, omni, quo cum Deo possumus, studio prospiciamus. Qua re cum Vicarius Apostolicus de Chengchow in Sinis, suffragante quoque Nostro in Sinis Apostolico Delegato, Nos enixis verbis rogaverit, ut e vicariatus sui territorio, satis superque amplo atque incoienti*» bus referto, pars quaedam separaretur, quae sui iuris facta, aliis Evangelii praeconibus eommitteretur: Nos, conlatis consiliis cum venerabilibus fratri* bus Nostris Sanctae Eomanae Ecclesiae Cardinalibus, qui negotiis Propa* gandae Fidei praepositi sunt, omnibusque rei momentis attente perpensis, huiusmodi precibus ultro libenterque concedendum esse existimavimus. Quae cum ita sint, motu proprio atque ex certa scientia ac matura delibe* ratione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore civiles subpraefecturas *de Kunghsien, Yenshihsien, Mengtsing,Loyang, Sinansien, MiencMh, Yungning, Yiyang, Sunghsien, Teng-feng, Nanyang, Schanchow, Lingyao, Wensiang, Lushi, Pingteng, Tseyou* a vicariatu apostolico de Chengchow separamus, sive dismembramus. Territorium vero hoc totum, sic separatum sive dismembratum a praedicto vicariatu apostolico de Chengchow, in novam praefecturam apostolicam erigimus et constituimus, cui nomen facimus'de *Loyang,* et quam ad Nostrum et Sanctae huius Sedis beneplacitum, curis tradimus presbyterorum Piae Societatis Sancti Francisci Xaverii pro exteris missionibus, quam nunc Guido Maria Conforti, Archiepiscopus-Episcopus Parmensis, qua Superior generalis, sollerter moderatur.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super bis, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxv mensis Maii anno MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri octavo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

VIII

TERRITORIUM SEPARATUM A VICARIATIBUS APOSTOLICIS DE PAOTINGFU ET DE PEKING ERIGITUR IN MISSIONEM SUI IURIS, TITULO DE YTHSIEN.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Cum venerabilis frater Episcopus titulo Sidymensis et Vicarius Apostolicus de Paotingfu in Sinis enixas Nobis preces adhibuerit, ut vicariatus suus de Paotingfu divideretur, atque ex territorio sic diviso ac separato a vicariatu praedicto nova ad catholicam fidem provehendam Missio independens conderetur, presbyteris e Congregatione a Sacris Stigmatibus D. N. I. C. committenda; cumque venerabilis frater Celsus Costantini, Archiepiscopus titulo Theodosiopolitanus, Delegatus Noster in Sinis, suum gravissimum suffragium addiderit: Nos, qui iugiter ex apostolico munere, quo fungimur, quae rei sacrae procurationi melius gerendae faciant atque in exploratam cedant dominici gregis utilitatem, ea paterna sollicitudine decernere maturamus, praefati Praesulis precibus ac votis ultro libenterque concedendum existimavimus. Quae cum ita sint, conlatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardmalibus, qui negotiis Propagandae Fidei sunt praepositi, omnibusque rei momentis attente perpensis, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, civiles subpraefecturas de *Yihsien, Laishui, Kwangchang* a vicariatu apostolico de Paotingfu separamus sive dismembramus; itemque seiungimus sive dismembramus a vicariatu apostolico de Peking districtum civilem de *San Può.* Territorium autem totum hoc, sic separatum a dictis duobus vicariatibus

apostolicis, in novam missionem independentem erigimus et constituimus, eui nomen facimus *de Tzhsien,* et quam curis Presbyterorum Congregationis a Sacris Stigmatibus D. N. Iesu Christi ad Nostrum et Sanctae Sedis beneplacitum in Domino tradimus.

Haec mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super bis, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Quibuslibet contrariis non obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxv m. Maii an. **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. **CARD. GASPARRI,** *a Secretis Status.*

IX

PRAEFECTURA APOSTOLICA ISLANDIAE IN VICARIATUM APOSTOLICUM ERIGITUR.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Cum ex apostolico munere, quo fungimur, christifidelium omnium cura Nobis commissa sit, felici ac prospero eorundem spirituali regimini, quantum est positum in Nobis, vigili studio prospiciamus. Quapropter cum compertum habeamus in praefectura apostolica Islandiae rem catholicam haud parvi momenti incrementa suscepisse, adeo ut opportunum videatur praefecturam eandem in vicariatum apostolicum ab Ordinario, charactere episcopali aucto, regendum erigere: Nos, omnibus rei momentis attento seduloque studio perpensis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui negotiis Sacrae Congregationis a Propaganda Fide praepositi sunt, precibus quoque, quae hac super re Nobis adhibitae sunt, ultro libenterque adnuentes, haec quae infrascripta sunt decernenda existimavimus. Nirnirum certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore praefecturam apostolicam Islandiae, servato eodem nomine, in vicariatum apostolicum erigimus, eiusdemque curam ex nunc et in posterum Ordinario charactere episcopali ornato tribuimus.

; Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super bis a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die vi mensis Iunii anno **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

P. C**AED.** G**ASPARRI,** *a Secretis Status**

X

ECCLESIA PAROECIALIS B. M. V. LAPURDENSIS IN OPPIDO RATHENBUEG DIOECESIS LA V ANTIN AE, TITULO ET HONORIBUS BASILICAE MINORIS AUGETUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Edocet Nos venerabilis frater Episcopus Lavantinus in dioecesis suae loco *Bajhenburg* nuncupato ecclesiam paroecialem exstare, quae, in honorem Beatae Mariae Virginis Lapurdensis Deo dicata, anno **MDCCCCXIV** soUemniter consecrata est. Ad formam basilicarum mediae aetatis exstructum idem templum altaribus conspicuis decoratum est ac picturis, quae, mysteria Sacratissimi Rosarii efiingentes^ parietes affabre ornant. Sacris vero functionibus peragendis ipso in templo, congruis sacris supellectilibus praedito, clerus paroeciae ac sacerdotes, qui degunt in proximo monasterio cisterciensi, operam sollertem ac devotam praestant; atque illuc christifideles non modo e Slovenia sed e vicinioribus etiam regionibus frequentes, peregrinorum quoque more, Virginis Lapurdensis opem imploraturi, conveniunt. Haec animo repetentes, cum venerabilis frater Lavantinus Episcopus humillime atque enixe Nos rogaverit ut ipsam sacram aedem, sive Marianum sanctuarium Basilicae dignitate augere de Nostra indulgentia velimus, Nos huiusmodi votis annuendum ultro libenterque existimavimus. Cònlatis igitur consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui Sacrorum Rituum Congregationi praepositi sunt, motu proprio atque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum templum paroeciale sive sanctuarium, quod sub titulo Beatae

Mariae Virginis Lapurdensis in loco *Bajhenburg* dioecesis Lavantinae intra fines positum est, titulo Basilicae minoris una eum privilegiis atque honorificentiis, quae iuxta Apostolica decreta huic titulo competunt, honestamus ac decoramus. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nune et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari contigerit.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die vni mensis Iunii an. **MDCCCCXXIX,** Pontificatus Nostri octavo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

XI

TEMPLUM CATHEDRALE S. DUNSTANI, DIOECESIS CAROLIN OPOLITANAE, MOX CONSECRANDUM, TITULO ET HONORIBUS MINORIS BASILICAE HONESTATUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Edocet Nos Carolinopolitanus Episcopus centesimum annum a canonica suae dioecesis erectione proxime celebrandum esse. Faustitatis quidem ipsius occasione nova etiam ecclesia cathedralis sollemni ritu consecrabitur, quam, ad honorem patrom* Sancti Dunstani Deo dicatam, in Insula Principis Eduardi, ingenti pecuniae sumptu, clerus populusque dioecesis ad luculentum exhibendum testimonium sui erga catholicam religionem amoris exaedificandam curavere. Templum vero ipsum, uti fertur, inter alias Dominii Canadiensis cathedrales ecclesias eminet tum molis amplitudine tum operibus arte pretioque conspicuis, quibus ornatur; illudque dioecesis christifideles cuiusvis ordinis condicionisve frequentes ^celebrant. Nota enim sunt Nobis Carolinopolitanorum fides spectata continensque erga religionem obsequium, adeo ut in regnum Christi provehendum propagandumque studiose sollertesque iugiter incubuerint, hodieque incumbant, vocationes autem ecclesiasticas religiosasque quam maxime adiuvent. Quam ob rem, cum hodiernus E!piscopus Carolinopolitanus Nos supplicibus votis deprecatus sit ut enunciatum suae dioecesis templum cathedrale ad titulum et dignitatem Basilicae minoris evehere dignemur, hasque preces cumulet atque ornet amplissi-

miim commendationis officium venerabilis fratris Archiepiscopi titulo Leontopolitarii, Delegati Apostolici Nostri in ditione Canadiensi, nec non multorum ex Archiepiscopis vel Episcopis Canadiensibus, Nos optatis hisce annuendum ultro libenterque existimavimus. Quare conlatis quoque consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Bomanae Ecclesiae Cardinalibus Congregationi Sacrorum Eituum praepositis, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, enunciatam ecclesiam cathedralem Carolinopolitanam ad honorem patroni Sancti Dunstani Deo dicatam in insula Principis Eduardi, a die sollemnis eiusdem consecrationis peragendae, dignitate ac titulo Basilicae minoris honestamus, cum omnibus honoribus, privilegiis, indultis, quae iuxta morem et apostolicas dispositiones templis hoc titulo auctis de iure competunt*

Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illique ecclesiae ad quam pertinent nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstanr tibus quibuslibet.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xiv mensis Iunii an. MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri octavo.

P. CAED. GASPARRI, *a /Secretis Status**

XII

TEMPLUM CATHEDRALE BUSCODUCENSE, IN HONOREM S. IOANNIS AP. ET EV. HONORIBUS BASILICAE MINORIBUS DECORATUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. ¿— Buscöducensi in civitate nunc exstat ecclesia cathedralis in honorem Sancti Ioannis Apostoli et Evangelistae Deo dicata, quae saeculo decimo quinto exstructa est loco sacrae aedis collapsae, quam sub eodem titulo iam a saeculo decimo tertio prima et secunda vice Buscoducenses exaedificaverant. Hodiernum^ templum, stylo gothico perfectum splendidoque tholo ornatum, molis amplitudine atque artis operum, quibus instructum est, dignitate inter totius Neerlandiae sacras aedes fulget; cum illud publici aerarii subsidio ac praesertim magna

cleri populique stipe, temporis iniuriis damnisque sartis, quibus deformabatur, nunc ad pristinum splendorem restitutum sit. Sacras functiones peragendas ac munera paroecialia explenda canonicorum Capitulum curat ipsa in ecclesia cathedrali, quae sacris ac divitibus abundat supellectilibus, quas magna ex parte christifideles dioecesis largitionibus suis suppeditàrunt. Buscoducensem enim christifideles templum ipsum cathedrale frequentes celebrant, eoque devote confluunt simulacrum veneraturi Beatae Mariae Virginis, quae sub titulo « Dulcis Matris » inibi servatur et colitur. Ipsum ex ligno affabre sculptum simulacrum Beatae Virginis, quae Puerum Iesum ulnis gestat, iam antiquissimis temporibus eodem in templo exstabat, sed decimo septimo ac decimo octavo saeculo, sub haereticorum imperio urbe atque ecclesia Buscoducensibus redactis, Bruxellensem in civitatem translatum est, ibique mansit, donec, religiosa in Neerlandia libertate instaurata, denuo in antiquam sedem omnium fidelium plausu reductum est. Nunc autem cum venerabilis frater Buscoducensem Episcopus, vota quoque depromens canonicorum Capituli suae cathedralis ecclesiae, enixis precibus a Nobis exposcat ut, occasione septuagesimi quinti anni ab ipsius venerandi simulacri reditu ad suam primam sedem,; in eamdem scilicet cathedralem Buscoducensem, titulo et dignitate Basilicae minoris honestare dignemur idem cathedrale templum, Nos, omnibus rebus attento seduloque studio perpensis, huiusmodi precibus adnuendum ultro libenterque existimavimus. Quapropter, conlatis consiliis cum dilecto filio Nostro Sacrorum Eituum Congregationis Praefecto, auctoritate Nostra apostplica, praesentium Litterarum tenore, ecclesiam cathedralem Buscoducensem in honorem Sancti Ioannis Apostoli et Evangelistae Deo dicatam, titulo ac dignitate Basilicae minoris decoramus, omnibus et singulis honorificentiis ac privilegiis illi attributis, quae iuxta dispositiones Apostolicas et consuetudinem probatam ecclesiis hoc titulo auctis competunt.

Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xix mensis Iunii an. **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

. R P. C**ARD.** G**ASPARRI,** *a Secretis Status,*

EPISTOLA

AD EMUM P. D. PETRUM TIT. S. MARIAE TRANS TYBERIM S. R. E. PRESB. CARD. SEGURA ET SAENZ ARCHIEPISCOPUM TOLETANUM: DE CONVENTU NATIONALI ACTIONI CATHOLICAE PROVEHENDAE.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Laetus sane nuntius, Nobis haud ita pridem allatus, Matriti scilicet, in urbe Hispaniae principe, primum ex universa natione catholicorum conventum propediem celebratum iri, haud mediocri Nos, ut facile intellegitur, solacio affecit, non modo ob feliciora illa Actionis Catholicae incrementa, quae exinde profectura esse omnino confidimus, sed ob illam etiam studiosam voluntatem vestram, qua, ut ipse scribis, causam Nobis antiquissimam promovendo, communi omnium Patri, quinquagesimum sacerdotii Sui annum celebranti, rem pergratam facere percupitis. Cuius quidem studiosae voluntatis vestrae testimonium ut paterno excipimus animo, ita libenter, hanc nacti opportunitatem, mentem consiliumque Nostrum, in re sane gravissima, iterum aperire placet, pro certo habentes id et tibi, et conlegis in episcopatu tuis fore acceptissimum, et ad felices vestrorum coetuum exitus non parum esse collaturum. Causa agitur, ut non semel, occasione data, declaravimus, non in se nova neque priscis Ecclesiae temporibus ignota, quamvis nostra potissimum aetate, eius natura ac ratio satius luculentiusque explanata sit in suaque luce posita. Oritur enim suumque ducit initium hinc ex aucta rei catholicae sospitandae ac promovendae necessitate, qua permoti sacrorum administri nullo non tempore laboris socios ex laicorum ordine sibi adsciscere exoptarunt; illinc ex ipso agendi more catholicorum hominum* qui, quo studiosius Ecclesiam observant ac diligunt, eo animosius operam clero navare suam percupiunt, ad Iesu Christi Begnum usquequaque propagandam. Qua de causa Apostolus gentium in epistula ad Philippenses (c. IV, v. 3) suos in apostolatu adiutores commemorabat, rogabatque adiuvarentur illae etiam piae foeminae quae secum laboraverant in Evangelio. Ac saepenumero Decessores Nostri, per saeculorum decursum, christifidelium opem navitatemque advocarunt, ut iidem, pro rerum temporumque condicioné, ad christiani nominis triumphum feliciter assequendum toto pectore intenderent. Quin immo « quo asperiora Ecclesiae et consortioni hominum inciderunt tempora, eo impensius, veluti receptui canentes, fideles omnes hortati sunt, ut, Episcopis praeeun-

tibus, sancta certarent certamina aeternaeque proximorum saluti pro viribus consulerent » . [1]

Quodsi, ut praemonuimus, Actio Catholica antiquissimis coniuncta Ecclesiae temporibus dici potest ac debet, at nostra hac aetate rationem et viam sibi propriam, ad normas quidem praescriptionesque a proximis Decessoribus Nostris atque a Nobismet ipsis datas, ut omnes norunt, adepta est. Siquidem, iam inde ab inito Pontificatu, in Litteris Encyclicis *Ubi arcano* publice ediximus ipsam non alio prorsus spectare, nisi ut christifideles hierarchicum Ecclesiae apostolatum quodammodo participent; quam quidem sententiam Nostram pluribus documentis subinde datis, confirmatam voluimus, id, inter alia, declarantes, eos videlicet, qui Actionis Catholicae incrementa provehant, «singulari prorsus Dei gratia ad eiusmodi munus vocari, quod a sacerdotali munere haud longius abest, cum Actio Catholica nihil demum sit aliud, nisi christifidelium apostolatus, qui, ducibus Episcopis, adiutricem Ecclesiae Dei operam praestant, et pastorale eius ministerium quodammodo complent». [2] Quapropter.dilucide apparet, dilecte fili Noster, quam magnam Actio Catholica vim dignitatemque habeat; eamdemque palam est nostris hisce temporibus non tam esse consentaneam, quam omnino necessariam. Attamen, ut eius natura luculentiore, quo fieri potest, modo eniteat atque emergat, placet hic ea, iterando, revocare, quae ad dilectum filium Nostrum Adolfum Bertram, Episcopum Wratislaviensem, hac eadem de causa, haud ita multo ante scribebamus: «Neque enim Actio Catholica in eo tantum consistit, ut homines suae quisque christianae perfectioni studeant, quod primarium est atque praecipuum, sed etiam in verissimo apostolatu catholicis cuiusvis ordinis communi, quorum sensus atque opera cum iis quibusdam quasi centris sanae doctrinae et multiplicis actuosique laboris cohaereant, quibus rite legitimeque constitutis Episcoporum demum adest ac suffragatur auctoritas. Christifidelibus igitur, qui sic coiverint atque in unum coaluerint, ut ad nutum Hierarchiae ecclesiasticae praesto sint, sacra ipsa Hierarchia quemadmodum mandatum impertit, sic incitamenta et stimulos adiicit. Iamvero, haud aliter ac mandatum Ecclesiae divinitus commissum, ipsiusque hierarchicus apostolatus, Actio eiusmodi non externa prorsus sed spiritualis, non terrena sed caelestis, non politica sed « religiosa » dicenda est. Verumtamen eam ipsam iure meritoque « socialem » dixeris, cum id sibi propositum habeat, ut Christi Domini Regnum proferat, **quo** quidem proferendo, **cum summum** omnium bonum societati **Acquiritur, tum** cetera quaeruntur bona, quae ab illo proficiscuntur, ut sunt quae ad statum Civi-

[1] **Epist.** *Quae Nobis,* **ad Card.. A. Bertram, Episc. Wratislavien.**

[2] **Epist.** *Cum ex epistola,* **ad Card. J. Van Roey, Archiep. Meclinien.**

tatis pertinent et politica vocantur, scilicet bona non privata ac singulorum propria, sed civibus omnibus communia: id autem omne Actio Catholica ita potest ac debet assequi, si, Dei Ecclesiaeque legibus modeste parendo, a civilium studiis partium sit prorsus aliena. »[1]

Verum, ut omnis, quoad fieri potest, ambigendi caussa removeatur id, hoc loco declaratum perspectumque volumus, sodalicia scilicet illa — quae, cum proposita atque incepta sua ad rehgionis praecepta et ad peculiaria Actionis Catholicae instituta conforment, eo profecto spectant, ut cives, vel in rebus oeconomicis, vel in suo cuiusque obeundo munere adiuvare enitantur, — oportere omnino, ut, in iis rebus, quae ad.Actionis Catholicae proposita pertinent, et eidem subsint et ad christiani apostolatus opera inserviant; at tamen j quod ad incepta dumtaxat oeconomica attinet, suam propriam agendi rationem in se ipsamet recipiant, de eademque ipsamet tantummodo respondeant. Quibus positis, consequens est sacros Ecclesiae pastores eiusmodi sodaliciis deesse, pro suo officiò, non posse; quin immo sollerti vi sua, efficacique appulsu ita ea prosequantur oportet, ut ad catholicae rehgionis instituta atque praecepta, maiore, qua fieri potest, diligentia informentur. Eadem prorsus de caussa, Actio Catholica «eum fruatur ipsamet utilitatibus, quas sodalicia religiosa dumtaxat et oeconomica sibi pepererint, tum ea adiuvabit fovebit que id efficiendo, ut non modo consensio ac benevolentia, sed etiam adiutricis operae praesidium utrimque intercedat, eo quidem cum Ecclesiae et humanae societatis emolumento, quod facile conficitur ».[2] Itidem, ex iis, quae adhuc de Actione eiusmodi exphcavimus, liquido patet eam, cum ex ipsa natura sua civilium partium studiis minime implicetur, intra angustos factionum fines compelli nequaquam posse. Cui quidem gravissimae praescriptioni quamvis catholici homines, pro suo officio, obtemperare debeant, non iidem tamen a politicis rebus pertractandis et a publicis obeundis muneribus idcirco prohibentur, dummodo opera cuiusque sua a christianae doctrinae praeceptis ne dissentiat; quin immo nihil prorsus vetat, quominus christifideles in civiles etiam partes, pro suo iudicio coalescant, quae quidem caussam dumtaxat agant Dei Ecclesiaeque legibus nulla ex parte repugnantem. Ceteroqui, quamquam, ut diximus, Actio Catholica a civilium studiis partium se omnino abstinere debet, nihüominus ad commune Societatis bonum magnopere conferet, cum catholicae religionis praecepta, publicae quidem prosperitatis firmamentum et columen, quam latissime in usum deducendo, tum ad christianam vitae perfectionem sodalium animos tam alacriter excitando, ut iidem, quasi sacra facta phalange, non modo Ecclesiae sed civilis etiam

[1] **Epist. « Quae Nobis » ut supra.**

[2] **Ibid.**

ac domesticae consortionis utilitates et commoda animose provehant atque tueantur. Quodsi, aliquotiens, politicarum rerum agitatio ad religionem etiam christianosque mores quovis modo pertineat, Actionis Catholicae est vim auctoritatemque suam ita interponere, ut catholici concorditer omnes, peculiaribus partium studiis consiliisque posthabitis, Ecclesiae animarumque emolumenta unice prae oculis habeant operaque sua provehant.

Quod est reliquum, quemadmodum, ut diximus, Actio Catholica propriam habet naturam et proprium, quod exsequi debeat, propositum, idque tamen multiplici bonorum genere constans, sic una in coetus omnes temperatione ordinationeque dirigatur ut suam quisque operis atque instituti rationem sancte custodiat, ac simul omnes rectoribus ab ecclesiastica sibi Hierarchia datis concorditer obtemperare sollemne sanetumque habeant. Huiusmodi enim Actionis est quasi magnam instruere proborum civium cohortem — hominum videlicet ac mulierum, praesertim iuvenum utriusque sexus — qui profecto nihil habeant antiquius, nihil optatius, quam ut sacrum Ecclesiae ministerium quodammodo participent, eademque duce ac magistra, Iesu Christi regnum, privatim publice, propagare animose contendant, Quod quidem Actio Catholica tum feliciter assequi potest, ut facile intellectu est, cum ad christianae vitae sensum atque usum sodalium animos effingere nititur, eos scilicet et ad solidam pietatem uberioremque caelestium rerum cognitionem excitando, et ad debitam, morum integritatem ad actuosum animarum studium, ad arctissimamque cum Episcopis ac Iesu Christi Vicario iunctionem pro viribus adhortando. Atque ad eiusmodi spiritualem institutionem ii potissimum animos viresque intendant, qui e iuvenilibus coetibus sunt, ut religionis caritatisque operibus in exemplum praelucentes, ad futura incepta omnino instructos se comparent, haud mediocri sane cum Ecclesiae Civitatisque profectu atque utilitate. Praeterea, quoniam, ut monuimus, Actio Catholica tamquam confertissima apostolorum acies animosa procedat oportet, ad animas suavi Iesu Christi imperio subigendas, eadem profecto et una concordique gubernatione, et optima omnium disciplina pollere debet. Plures enim esse, in eodem civium ordine, ac sibi invicem adversantes, catholicorum coetus eorumque non unam temperationem, id profecto vires elidit, concordiam dissipât, felicesque exitus praepedit aut prohibet; quod quidem omni contentione praecavendum est. - Postquam, dilecte fili Noster, causam, sane gravissimam, omni ex parte breviter attigimus, iam nihil aliud superest nisi ut paterno vos animo adhortemur, ut, sollerti opera vestra, magis magisque in dies Actio Catholica apud vos floreat et pulcherrimos christiani nominis triumphos feliciter adipiscatur. Quos quidem optatos exitus facilius ipsa assequetur, si, Episcoporum incitamento sacerdotibus ultro libenterque obse-

quentibus, cum in aliis, pluribus ac variis, sodaliciis Institutisque, in bonum animarum atque in apostolatum aetati consentaneum florescentibus, tum in singulis paroeciis, quantumfieri: poterit, christifideles, —> iuvenes potissimum utriusque sexus — in succrescentes coetus coeant coalescant, religionis quidem spiritu permoti ac caelesti quodam studio incensi atque infiammati.

At prorsus non est cur notationibus diu multumque moremur, quandoquidem dilectissimae Hispanorum gentis animos probe novimus, paratos semper non modo ad iussis obtemperandum Nostris sed ad optatis etiam generose diligenterque respondendum. Novimus itidem sollertem cleri navitatem, et apostolicum novimus Episcoporum ardorem. Videtis profecto in quae inciderimus tempora, et quid ea a nobis veluti clamando postulent. Hinc siquidem dolemus hominum esse consortionem christiano spiritu nimium saepe destitutam ac vulgo ethnicorum more vitam traduci; in multorum animis languescere catholicae fidei lumen adeoque et paene restingui rehgionis sensum et morum integritatem sanctitudinemque deteriorem cotidie miserrime fieri. Hunc haud mediocrem haurimus aegritudinis causam, quod scilicet multifariam clerus nostrorum sit temporum necessitatibus impar, sive quia nimia alicubi exiguitate laborat, sive quia nonnullos civium ordines, ad quos beneficus eius intercipitur appulsus, neque monentis voce, neque evangelicae doctrinae praeceptis, attingere potest. Pernecesse igitur est, nostra hac aetate, omnes esse apostolos; pernecesse est non desidem vitam degere laicos homines, sed ad ecclesiasticae Hierarchiae nutum praesto esse, eidemque ita navare operam, ut precando, se devovendo, actuoseque allaborando, ad catholicae fidei incrementum christianamque morum emendationem magnopere conferant. — Cum vero eiusmodi, pro certo, futura sint, dilecte fili Noster, quae in proximis coetibus vestris consilia ac proposita communiter disçeptabuntur, dubium prorsus non est quin eiusmodi pariter futuri sint, laetissimi scilicet atque uberrimi, qui inde exspectantur in Ecclesiae patriaeque vestrae utilitatem, salutis fructus. Quod utique Nos et ex animo ominamur, et a « pastorum Principe et Episcopo animarum nostrarum » opportunam opem deprecando, instanter imploramus.

Caelestium interea gratiarum auspex paternaeque voluntatis Nostrae testis apostolica sit benedictio, quam cum tibi, dilecte fili Noster, cunctoque gregi tuis curis concredito, tum iis omnibus, qui in proximo intererunt Matritensi Conventu, amantissime in Domino impertimus.

Datum Bomae, apud Sanctum Petrum, die vi mensis Novembris anno **MDCCCCXXIX**, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. XI

*• •• " NOTIFICATIO

/Cum quamplurimi Orientalis Ecclesiae Emi Praelati ad Apostolicam Sedem supplices preces instanter porrexerint, ut suis quoque Ecclesiis provideretur per Orientalem Codificationem, Ssmus **D.** îsi. Pius div. Prov. Pp. XI super ipsa re interpellari mandavit Excmos **DD.** Patriarchas, Emos Metropolitas, Archiepiscopos et Episcopos, ut, collatis consiliis, libere significarent quae de hoc tanti momenti negotio sentirent, simulque mentem" suam aperirent qua via et qua ratione procedendum esset, respectu praesertim habito ad disciplinam, traditiones, necessitates atque privilegia uniuscuiusque ritus, ut Codificatio in veram utilitatem vergeret illarum Ecclesiarum, cleri, populique.

Quibus habitis, atque insuper ab iisdem Praelatis sacerdote pro suo cuiusque ritu delecto, qui operam navaret ad memoratum Opus, Sanctitas Sua constituere dignata est *Commissionem Cardinalitiam pro studiis,* ut aiunt, *praeparatoriis Codificationis Orientalis.* ,

Haec autem Commissio, ut sequitur, componitur:

Emus ac Emus **D.** Card. Petrus Gasparri, *Praeses.*
Emus ac Emus **D.** Card. Aloysius Sincero, S. C. pro Ecclesia Orientali a Secretis.
Emus ac Emus,**D.** Card. Bonaventura Cerretti.
Emus ac Emus **D.** Card. Franciscus Ehrle.
Emus **D.** Hamletus Ioannes Cicognani, S. C. pro Eccl. Orient. Adsessor, a *Secretis.*

ACTA 88. CONGREGATIONUM

SUPREMA SAGRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

DAMNATUR LIBER ERNESTI MICHEL CUI TITULUS: « POLITIK AUS DEM GLAUBEN ».

Feria IV, die 30 Octobris 1929

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, Emi ac Emi DD. Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito DD. Consultorum voto, damnaverunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum cui titulus:

Ernst Michel, *Politik aus dem Glauben.* Eugen Diederichs Verlag in Jena, 1926.

Et in sequenti Feria V, die 31 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia E. P. D. Adsessori Sancti Officii concessa, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Datum Bomae, ex Aedibus Sancti Officii, 11 Novembris 1929.

A. Subrizi, *Supremae S. C. S. Officii Subst. Notarius.*

SACRA CONGREGATIO ERO ECCLESIA ORIENTALI

DECRETUM

DE SEMINARIO A S, ANNA NUNCUPATO PRO MELCHITIS

Seminarium a Sancta Anna nuncupatum, auctoritate S. Sedis in urbe Hierosolymitana erectum, per decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis rit. orient. *Insignem Sacram Aedem* diei 18 Martii 1882, plurima, eaque eximia, beneficia contulit in Patriarchatu et

Ecclesia Melchitarum. Cum vero, progrediente aetate, quaedam difficultates exortae fuerint, ac dubia proposita circa applicationem articuli sexti citati decreti, Summus Pontifex Pius divina Providentia Pp. XI, qui idem Seminarium singulari amore et benevolentia prosequitur, rem diligenti studio pertractandam iussit auditis interesse habentibus; atque praesenti decreto Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, statuit ac decernit ut haec, quae sequuntur, omnino serventur.

1. Firmo manente decreto « Insignem Sacram Aedem » et iis quae ibidem statuta sunt, declarat a. 6, ita intelligendum esse, ut Seminarium immediate dependeat a S, Sede, seu a Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali, quae ad idem munus seu officium iurisdictionis exercendae in Seminarium delegat seu deputat Delegatum Apostolicum Palaestinae pro tempore exsistentem.

2. Seminarii cura commissa est Congregationi Missionariorum Africae, qui vulgo audiunt *Pères Blancs.*

3. Eectorem Seminarii eligit Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali, ex tribus sacerdotibus dignis atque idoneis, doctrina, virtutibus et prudentia praestantibus, e Congregatione Missionariorum Africae, ad praesentationem Superioris generalis eiusdem Congregationis, auditis Delegato Apostolico Palaestinae et Domino Patriarcha Antiocheno Melchitarum, cui primum, per eumdem Delegatum, peracta electio notificabitur.

4. Rector Seminarii constituitur ad sexennium; et hoc tempore exacto, poterit ad id munus iterum adsumi. Mutatio Rectoris ante expletum sexennium uni Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali reservatur.

5. Novus Rector, cum primum ei licebit, Dominum Patriarcham ceterosque Ordinarios personaliter adibit, ut eis debituni obsequium praestet.

6. Patres Missionarios qui in dirigendo Seminario Rectori praesto sint, vel in eo munus docendi expleant, Superior generalis Congregationis Missionariorum Africae nominat, audito Rectore atque constitutionibus propriae Congregationis servatis; iidem vero approbandi sunt a Delegato Apostolico.

Ad petitionem Rectoris Delegatus Apostolicus nominabit sacerdotes Melchitas qui litteras arabicas in Seminario tradant atque sacram Liturgiam exerceant, audito tamen eorum Ordinario, et Domino Patriarcha Antiocheno Melchitarum.

7. Neque Rectori Seminarii, neque cuipiam e Missionariis Africae Seminario addictis, licebit eparchias Patriarchatus Melchitici perlustrare ob causam delectus alumnorum aut aliam huiusmodi, absque venia Delegati Apostolici, qui, si casus ferat, audiet Dominum Patriarcham.

8. Singulis:annis Rector relationem mittet ad Delegatum Apostolicum Palaestinae de statu et conditione Seminarii, seu de eius profectu, de insti-

tutione ecclesiastica, litteraria, scientifica, atque de administratione oeconomica.

Item singulis annis relationem mittet Domino Patriarchae atque Ordinariis de suorum cuiusque alumnorum indole, pietate* vocatione atque profectui; eisque insuper indicabit qui Missionarii, quique sacerdotes melchitae in Seminario degant, quibusque officiis in eo sint addicti.

9. In alumnis admittendis Rector procedere debet de consensu Delegati Apostolici, prae oculis habens necessitates smgularum Patriarchatus dioecesium, loca in Seminario vacantia, atque Seminarii redditus, audito a Delegato Apostolico super iisdem necessitatibus Domino Patriarcha.

Nullus adolescens in Seminarium admittatur, nisi praesentetur vel commendetur sive a Domino Patriarcha pro sua dioecesi particulari, sive ab aliquo ex Revmis Ordinariis, Episcopo aut Instituti Religiosi Superiore; vel ab iisdem in scriptis declaretur nihil obstare quominus admittatur.

Si super alicuius admissione non omnes conveniant seu dissensus exstet, rem dirimet Delegatus Apostolicus.

10. Feriis aestivis perdurantibus, sive Rectori Seminarii sive sacerdoti ex Missionariis Airicae ab eo delecto, licebit adire Ordinarios locorum ad examinandos adolescentes pro admissionem Seminarium,salvo praescripto art. 7.

11. Alumnus in Seminarium admissus pro una eparchia, non potest pro alia ordinari, inaudito proprio Ordinario si memoratus alumnus adhuc sit laicus; et absque consensu in scriptis dato si sit clericus.

12. Alumnis, antequam curriculum studiorum perfecerint, non permittitur e Seminario discedere absque venia Rectoris, qui eam non dabit nisi gravis morbi caussa, aut alicuius extraordinariae necessitatis.

Prudenti tamen Rectoris iudicio, iuxta particularem legem Seminarii, atque audito consilio Rmorum Ordinariorum, permitti potest, ut alumni post primum cursus theologici annum peractum, feriis aestivis, per quindecim dies apud proprias quisque familias quolibet anno degant, dummodo id eis nullo modo noceat. Reliquum vacationum tempus in suburbano Seminarii transigant. Cum alumni extra Seminarium degunt subsunt vigilantiae et obedientiae Ordinariorum, salvo praescripto art. 13, 14, .15.

13. Si quem alumnum sive non idoneum, sive forsan indignum Rector iudicaverit, eum Delegato Apostolico donunciet, qui, Ordinario alumni Certiore **facto,** vel **decernet de alumni expulsione, vel quid sit agendum iudicabit. In casibus vero urgentioribus* ipse Rector decernet de expulsione, certiore statim facto Delegato Apostolico atque alumni expulsi Ordinario.**

14. Cum alumni ad Ordines sive minores sive maiores promovendi sint. Rector Seminarii: tempestive mittat supplices ordinandorum preces ad Revmos Ordinarios alumnorum proprios, ad litteras dimissoriales pro sacra Ordinatione obtinendas. Eos Rector doceat de oratorum vita, moribus, pietate atque doctrina, simulque suum iudicium exponat.

Si quis Ordinarius litteras dirnissoriales denegaverit, et eum Ordinario in idem non conveniat Rector, is rem definiendam committat Delegato Apostolico, qui, omnibus perpensis, poterit ipse litteras dimissorias concedere, audito, si casus ferat j Domino Patriarcha.

15. Firmis ceteris de iure vel de Consuetudine servandis, Ordo Lectoris:, sive Anagnostae ne conferatur nisi primo cursus theologici anno completo, Ordo Subdiaconatus, nisi expleto secundo anno. Sacer Diaconatus Ordo ne conferatur nisi expleto tertio theologici cursus anno; tandem Sacer Presbyteratus Ordo nulli conferatur ante quartum theologici cursus annum completum.

Quod si, vel servitium liturgicum Seminarii, vel aña quaepiam gravissima causa id postulet, Delegato Apostolico facultas est permittendi ut unus vel plures alumni, servatis servandis, promoveri possint ad sacrum Diaconatus Ordinem post completum secundum theologici cursus annum.

16. Quod attinet ad rationem studiorum atque ad disciplinam Seminarii nulla notabilis immutatio fiat absque consensu Delegati Apostolici, qui, data opportunitate, audiet Revmum Dominum Patriarcham.

17. Ordinationes sacrae singulis annis peragentur in aedibus Seminarii a Revmo Domino Patriarcha, vel ab Episcopo quem ipse Patriarcha, aut, si casus ferat, Delegatus Apostolicus expresse designaverit.

In designandis Episcopis pro Ordinibus conferendis quaedam ratio servanda suadetur, ex. gr. respectu habito ad prioritatem consecrationis Episcoporum, ad numerum ordinandorum propriorum.

De venia Delegati Apostolici Ordinarius quisque suis subditis Seminarii S. Annae alumnis, sacrum Presbyteratus Ordinem extra aedes Seminarii, seu in sua dioecesi, conferre poterit.

18. Firmis conventione inita inter Gallicum Gubernium et Card. Lavigerie die 30 Martii 1878 et decreto S. C. de Prop. Fide diei 8 Februarii 1878, si quae donatio aut fundatio fiat, sive inter vivos sive mortis causa, in favorem Ecclesiae aut Seminarii S. Annae, Delegati Apostolici est eas acceptare, sedulo attendendo ad mentem seu intentionem donatoris aut fundatoris, utrum nempe fiat in favorem ecclesiae S. Annae, ex. gr. ad ecclesiam reficiendam, ad quasdam functiones ecclesiasticas inibi explendas: vel fiat pro servandis, reparandis aedificiis aut novis extruendis: vel fiat in favorem ipsius Seminarii pro Melchitis, ex. gr. fundatio pro studiis

(vulgo *borsa di studio,* **seu** *bourse d'étude):* **ideoque firmis iisdem conventione et decreto^ ei diligenter curandum est, ut voluntas donatoris vel fundatoris religiose servetur, atque, si de fundatione agatur, ea fiat in forma etiam iure civili valida.**

19. Alumnus Seminarii S. Annae, qui post susceptum S. Presbyteratus Ordinem, Seminarium reliquerit, omnino et exclusive subest plenae iurisdictioni et obedientiae proprii Ordinarii **et Domini Patriarchae iuxta leges pro Melchitis. Necessitudo vero gratitudinis et venerationis gratia inter eos qui alumni Seminarii fuerunt et Seminarii Superiores vel magistros nullo modo plenae ac debitae Ordinariorum subiectioni noceat vel praeiudicium afferat.**

20. Sacerdotes, qui alumni fuerant Seminarii S. Annae, cum in proprias dioeceses redierint, tenentur officia a propriis Ordinariis ipsis **demandata acceptare: quod si renuant, Ordinarius casum deferat ad Delegatum Apostolicum velad SacramCongregationem** pro **Ecclesia Orientali.**

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Eomae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro **Ecclesia Orientali, die 15 Man 1929.**

ALOISIUS CARD. SINCERO, *a Secretis.*

L, & S.

H. **I. Cicognani,** *Adsessor.*

SACKA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

NOMINATIONES

Decreto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide diei 31 Octobris nuper elapsi E. D. Iosephus Zanetti nominatus Praeses (pro Italia) Pontificii Operis a Propagatione Fidei et Pontificii Operis a S. Petro Apostolo pro clero indigena.

Item decreto eiusdem Sacri Consilii diei 22 Novembris, Rmus D. Otho Krywald nominatus est Praeses Pontificii Operis a Propagatione Fidei pro Hungaria.

ACTA TRIBUNALIUM

SAGRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

PARMEN

NULLITATIS MATRIMONII (GODI-TOSCHI-CIARDELLI)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Leopoldi Ciardelli **in** causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem **legitime** constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, via della Dataria, 94) die 20 Februarii 1930, hora 11, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione:

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Leopoldi Ciardelli curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

L. *B* S. H. Quattrocolo, ***Ponens.***

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 21 Novembris 1929.

T. Tani, ***Notarius.***

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Leopold Ciardelli défendeur en cette cause, Nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la **S.** Rote Romaine (Roma, Via della Dataria, n. 94), 25 Février 1930 à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté,, et fixer le jour de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans ce cas?

Les Ordinaires des lieu, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit M. Leopold Ciardelli, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 19 Novembre 1929, nel Palazzo Apostolico Vaticano dinanzi all'augusta presenza del Santo Padre, si è tenuta la Congregazione *Generale* dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati ed i Consultori teologi, che la compongono, hanno emesso il loro voto sopra il dubbio del martirio e della ragione del martirio, dei segni o miracoli, del Ven. Servo di Dio Giovanni Ogilvie, Sacerdote professo della Compagnia di Gesù, ucciso in Scozia, come si asserisce in odio alla Fede.

Martedì 26 Novembre 1939, nel palazzo Apostolico Vaticano, dinanzi all'augusta presenza del Santo Padre, si è tenuta la Congregazione *Generale* dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Rmi Signori Cardinali con i Rmi Prelati Officiali e Consultori Teologi che la compongono, hanno emesso il loro voto sopra il dubbio del martirio, dei segni o miracoli, dei Venerabili Servi di Dio Giorgio Hay dock, sacerdote secolare; Giovanni Roberts, sacerdote dell'Ordine di S. Benedetto; Arturo Bell, sacerdote dell'Ordine dei Frati Minóri ; Roberto South well, sacerdote della Compagnia di Gesù; Filippo Howard, Conte di Arundel, e Compagni, uccisi, come si asserisce, in odio alla Fede. ,

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

4 Settembre 1929. L'Emo Sig. Cardinale Bonaventura Cerretti, *Protettore delle Suore dei SS. Cuori di Gesù e Maria* (Chigwell, Brentwood).

12 Novembre » L'Emo Sig. Cardinale Bonaventura Cerretti,*Protettore della Congregazione Camaldolese Monastica O. S. B.*

13 » » L'Emo Sig. Cardinale Alessio Enrico Lépicier, *Protettore delle Suore della S. Famiglia* (Villefranche, Rodez)

Assistenti al Soglio Pontificio :

12 Novembre 1929. Monsig. Cornelio Van de Ven, Vescovo di Alexandria (U. S. A.). '

27 » » Monsig. Giuseppe Amatore Velasco, Vescovo di Colima.

Protonotarii Apostolici ad instar participantium:

14 Ottobre 1929. Monsig. Desiderio Káuzli, della diocesi di Vesprimia.

6 Novembre » Monsig. Giuseppe Cattaneo, della diocesi di Como.

12 » » Monsig. Pietro Giuseppe Lochman, della diocesi di Green Bay.

Prelati Domestici di S. S.:

11	*Settembre*	*1928.*	Monsig. Dionigi Barrenechea, della diocesi di Arequipa.
»	»	»	Monsig. Mariano Gáceres Zeballos, della medesima diocesi.
29	*Dicembre*	»	Monsig. Bruno Padilla, della diocesi di Tegucigalpa.
22	*Aprile*	*1929.*	Monsig. Giuseppe Mukahy, della diocesi di Rockhampton.
21	*Maggio*	»	Monsig. Pio Raschini (Roma).
1	*Luglio*	»	Monsig. Giorgio Murphy, della diocesi di Cleveland.
»	»	»	Monsig. Carlo Martin, della medesima diocesi.
13	»	»	Monsig. Nicola Mar-gioita, della diocesi di Cava dei Tirreni.
24	>	»	Monsig. Antonio Tiirkes, della diocesi di Spira.
3	*Agosto*	»	Monsig. Francesco X. Bischoff, dell'archidiocesi di Baltimora.
»	»	>	Monsig. Edoardo L. Buckey, della medesima archidiocesi.
»	»	»	Monsig. Eugenio J. Connelly, della medesima archidiocesi.
			Monsig. Stanislao Antonio Wachowiak, della medesima archidiocesi.
			Monsig. Giacomo F. Nolan, della medesima archidiocesi.
			Monsig. Ugo J. Monaghan, della medesima archidiocesi.
			Monsig. Alberto R. Smith, della medesima archidiocesi.
			Monsig. Giacomo Quirin, della medesima archidiocesi.
			Monsig. Pietro L. Jreton, della medesima archidiocesi.
			Monsig. Bernardo M. Bogan, della diocesi di Newark.
			Monsig. Matteo S. Callan, della medesima diocesi.
			Monsig. Paolo T. Carew, della medesima diocesi.
			Monsig. Uberto J. Behr, della medesima diocesi.
			Monsig. Patrizio Guglielmo Smith, della medesima diocesi.
			Monsig. Giovanni Clarence Me Clary, della medesima diocesi.
			Monsig. Pietro G. Hart, della diocesi di Trenton.
			Monsig. Giuseppe Agostino Me Grath, della medesima diocesi.
21	»		Monsig. Domenico Tardini (Roma).
29	»		Monsig. Andrea Gwynn, della diocesi di Charleston.
18	*Settembre*		Monsig. Ludovico Leone Loevenbruck, della dioc. di Nancy.
23	»		Monsig. Costante Claireaux, della diocesi di Chartres.
27	»		Monsig. Giorgio Magjerec, dell'archidiocesi di Belgrado.
30			Monsig. Vittore Huard, della diocesi di Chicoutimi.
4	*Ottobre*		Monsig. Giuseppe Sägmuller, dell'archidiocesi di Strigonia.
9			Monsig. Giorgio J. Lucas, della diocesi di Scranton.
17			Monsig. Marcello Chevalier, della diocesi di Nevers.
21			Monsig. Spirito Maria Chiappetta, dell'archid. di Milano.
23			Monsig. Carlo Maillard, dell'archidiocesi di Regina.
4	*Novembre*		Monsig. Guglielmo J. Carrol, della diocesi di Little-Rock.
			Monsig. Giuseppe Froitzheim, della medesima diocesi.
»	»		Monsig. Giovanni Batt. Dugardijn, della diocesi di Bruges.
			Monsig. Giovanni Edoardo Luytgaerens, dell'archidiocesi di Malines.
			Monsig. Cirillo Mahoney, della diocesi di Plymouth.
			Monsig. Giulio Maria de Regó Barros, della diocesi di Nazareth (Brasile).
		»	Monsig. Edoardo M. O'Hare, della diocesi di Toledo in America.

9 Novembre 1929. Monsig. Gustavo H. Rieken, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Francesco L. Hultgen, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Elmer G.. Eordogh, della medesima diocesi.
11 » » Monsig. Antonio Augusto Andrieu, della diocesi di Digne.
» » » Monsig. Adriano Reynaud, della medesima diocesi.
12 » » Monsig. Amato Masnovo, della diocesi di Parma.
13 » » Monsig. Edoardo Myers, dell'archidiocesi di Westminster.
14 » » Monsig. Raffaele Zepeda, dell'archidiocesi di Guadalajara.
24 » » Monsig. Giovanni Durham, della diocesi di Fort-Wayne.
26 » » Monsig. Amabile Doutre, della diocesi di Lafayette.
» » » Monsig. Alberto Giuseppe Gramers, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giuseppe Peeters, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giuliano Raviero Bollard, della medesima diocesi.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di conferire :

Il Cavalierato dell'Ordine Piano:

24 Ottobre 1929. Al sig. Eugenio Trux de Rònaszék, dell'archidiocesi di Strigonia.

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

24 Ottobre 1929. Al sig. Giacomo Me. Carthy, deH*archïdiocesi di Quebec.
» » » Al sig. Gustavo Proteau, della medesima archidiocesi.
24 » » Al sig. Eugenio P. De Blois, della medesima archidiocesi.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

4 Novembre1929. Al sig. Carlo J. Jewett, della diocesi Little-Rock.
6 » » Al sig. Giulio Schmutzer, del vicariato apostolico di Batavia.
7 » » Al sig. Leonardo Enrico Van Romunde, dell'archidiocesi di Utrecht.
9 » » Al sig. Melchiorre Bracco, dell'archidiocesi di Torino.
14 » » Al Sig. avv. Luigi Jalenques, della diocesi di Clermont.
21 » » Al sig. Corrado Rehling, della diocesi di Già varino.
» » » Al sig. Michele Boon, dell'archidiocesi di Malines.
22 » » Al sig. Teodoro Guglielmo Van Niekerk, della diocesi di Harlem.

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

8 Novembre 1929. Al sig. Domenico Galbani, della diocesi di Novara.
9 » » Al sig. Leonardo Guazzone, dell'archidiocesi di Torino.
18 » » Al sig. avv. Alessandro de Borso, della diocesi di Belluno.
19 » » Al sig. avv. Salvatore Persichetti (Roma).

Il Cavalierato dell'Orarne di S. Silvestro Papa :

31 Ottobre 1929. Al sig. Giovanni Lagnino, delFarchidiocesi di Torino.
4 Novembre » Al sig. Nazareno Cerqua (Roma).
7 » » Al sig. Alessandro Coha, della diòcesi di Ivrea.
11 » » Al sig. Bernardino Silj (Roma).
22 » >> Al sig. Sciamas Matteo Jacoub, del Patriarcato di Bagdad.
30 » » Al sig. Paolo Federici (Roma).

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S.:

24 Luglio 1929. Monsig. Giuseppe Gonçalves di Rezende, dell'archid. di Rio Janeiro.
28 » Monsig. Custodio Rodrigues Bandeira* della diocesi di Cafelandia.
12 Agosto » Monsig. Pasquale Pennacchio, dell'archidiocesi di Gaeta.
» » » Monsig. Giulio Hevey, dell'archid. di S'trigonia.
18 Settembre » Monsig. Francesco Pipparelli, della diocesi di Chiusi.
» » » Monsig. Giuseppe Carlo Marinho, della diocesi di Nazareth (Brasile).
» » Monsig. Giovanni di Mata Amarai, della medesima diocesi.
23 » Monsig. Vittorio Morando, della diocesi di Ceneda.
» » Monsig. Giuseppe Foltran, della medesima diocesi.
30 » Monsig. Roberto Schmitt, della diocesi di Treviri.
» » Monsig. Francesco Hamm, della medesima diocesi,
» » Monsig. Giovanni Schlich, della medesima diocesi.
2 Ottobre Monsig. Alberto Schütte, della diocesi di Münster.
Monsig. Enrico Irmiçi, della diocesi di Sanse vero.
Monsig. Augusto Oster, dell'archidiocesi di Colonia.
Monsig. Federico Kirberger, della medesima archidiocesi.
4 » Monsig. Pietro Fernandez Latasa, della diocesi di Madrid.
5 » Monsig. Giovanni Gamzaragan, dell'Ordinariato degli Armeni in Grecia.
10 » Monsig. Giovanni Ferencick, della diocesi di Scepusio.
U » Monsig. Pio Marcucci, dell'archid. di Firenze.
12 » Monsig. Giuseppe Quinteré, della diocesi di Fortaleza.
Monsig. Ottavio di Castro, della medesima diocesi.
Monsig. Raimondo Monteiro Hermes, della medesima diocesi.
» » Monsig. Luigi di Carvalho Roche, della medesima diocesi.
23 » Monsig. Patrizio Long, della diocesi di Clifton.
» » Monsig. Luigi Roudnicky, della diocesi di Budejovice.
» » Monsig. Venceslao Zelezny, della medesima diocesi.
Monsig. Giovanni Schuster, della diocesi di Brno.
Monsig. Metodio Hósek, della medesima diocesi.
Monsig. Venceslao Uhyrek, della medesima diocesi.
Monsig, Francesco Korec, della medesima diocesi.

23 Ottobre 1929. Monsig. Francesco Adamec, della medesima diocesi.
5 Novembre » Monsig. Marcantonio Leonardi, della diocesi di Acireale.
» >> » Monsig. Saint Glaire Joseph Peoples, della diocesi di Little -Rock.
» » » Monsig. Alberto L. Fletcher, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Oliviero B. Clarendon, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giacomo Patrizio Moran, della medesima diocesi.
11 » » Monsig. Francesco J. Macelwaine, della diocesi di Toledo, Ohio.
» » » Monsig. Massimiliano J. Walz, della medesima diocesi.
12 » » Monsig. Ildefonso N unes de Oliveira, dell'archidiocesi di S. Salvatore della Bahia.

Cameriere Segreto di Spada e Cappa Soprannumerario di S. S.r

4 Luglio 1929. 11 sig. Ladislao Batthyány, della diocesi di Sabaria.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

18 Agosto 1929. Monsig. Carlo Fontana, della diocesi di Massa-Carrara.
10 Settembre » Monsig. Domenico Balbi, della diocesi di Faenza.
4 Ottobre » Monsig. Carlo Sebestyen, della diocesi di Cinque Chiese.
» » » Monsig. Ludovico Meyer, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Adalberto Magyar, della medesima diocesi.
11 » » Monsig. Giulio Bianconi, della diocesi di Sezze.
23 » » Monsig. Giovanni Scheck, dell'archidiocesi di Vienna.
» » » Ermanno Fink, della medesima diocesi.
25 » » Monsig. Giorgio Calabro, dell'archidiocesi' di Reggio Calabria.
» » » Monsig. Francesco Priolo, della medesima archidiocesi.
5 Novembre » Monsig. Angelo Termine, della diocesi di Piazza Armerina.

Camerieri d'onore di Spada e Cappa Soprannumerari di S. S.:

12 Agosto 1929. Il sig. Angusto Lempicki, della diocesi di Sandomir.
23 Ottobre » Il sig. Mario Caruana (Malta).

NECROLOGIO

9 Settembre 1929. Monsig. Trudone Jans, Vescovo tit. di Roso.
9 Ottobre » Monsig. Antonio M. Pueyo de Val, Vescovo di Pasto.
10 Novembre » Monsig. Giovanni Battista Ricci, Arcivescovo di Ancona e Umana.
18 » » Monsig. Enrico van Wetering, Arcivescovo di Utrecht.

Amans XXI - Vol. XXI 31 Decembris 1929 Sum. 16

AGTOPOSÏOLIGAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

SACRUM CONSISTORIUM

I. - CONSISTORIUM SECRETUM

Feria secunda, die 16 Decembris 1929, in Palatio Apostolico Vaticano fuit *Consistorium Secretum,* in quo Sanctissimus Dominus Noster Patres Cardinales primum allocutus est, novosque Cardinales solemniter renunciavit: deinde viduatis consuluit Ecclesiis, ut infra.

I. - ALLOCUTIO SSMI DOMINI NOSTRI
CREATIO ET PUBLICATIO NOVORUM CARDINALIUM

VENEEABILESFEATEES

Amplissimus ordo vester, in consistorium rite convocatus, idcirco hodie Nobis assidet, ut, de more decessorum Nostrorum, et novos vobis conlegas adnumeremus, desideratissimos illos supplendo purpuratos Patres, qui, haud ita pridem, terrestrem cum caelesti patria commutarunt, et nonnullis item dioecesibus suo viduatis Antistite, pro apostolico officio, consulamus. Verum, etsi hac potissimum de causa vos huc congregan iussimus, data tamen utimur opportunitate - quandoquidem quinquagesimus sacerdotii Nostri annus in exitu est - ut non quae interea inciderunt tristia vobiscum modo communicemus, sed quae hoc temporis spatio ab Eo, cuius vices gerimus, in Nos Ecclesiamque universam, nec pauca profecto nec minima, de-

fluxere beneficia, iis breviter commemoratis, in dilaudandam grato animo Christi Iesu benignitatem vosmet ipsos, Venerabiles Fratres, Nobiscum consociemus. Quicquid enim, honore Nos laetitiaque afficiendo, in catholici nominis utilitatem redundat, vobis, quilateri haeretis Pontificis, parem non afferre iucunditatem id omne non potest.

Atque primum, quae memoremus, occurrunt pacta illa et conventa cum Italiae regno inita, quorum altero discidium tandem sublatum est, quod propter violata Apostolicae Sedis iura ademptumque sacrum Romano Pontifici Principatum usque adhuc steterat, altero res ita utrimque compositae, ut Ecclesiae apud nos gubernatio expeditior fieret faciliorque redderetur. Nostis, ceteroqui, Venerabiles Fratres, agnito publice Romani Pontificis Principatu, et Nostra incolumi vestraque dignitate, sane maximam Nos in reliquis facilitatem exhibuisse : quod idem non esse decursu temporis procurandae animarum saluti obfuturum ideo putamus, quia non modo Immaculatae Virginis Lourdensis patrocinio et Sacratissimi Cordis Iesu caritate freti sumus, quorum in dies festos cecidit ut ea pacta conventa obsignarentur ac rata fierent, sed etiam quia filiorum ex Italia Nostrorum aequitati ac religioni haud mediocriter confidimus. Nec aliter sperare iubent necessitudines illae, quas Italiae Rex ac Regina, itemque Augustae Domus Principes, cum Romano Pontifice, Nos perhumaniter invisendo, publice redintegrarunt. - Accesserunt praeterea, haud ita multo post, conventiones, quas cum Lusitania, cum Romania, cum Borussia feliciter, Deo dante, fecimus : unde quantum et Ecclesiae et Civitatibus ipsis obventurum sit commodi, vobis, Venerabiles Fratres, ut estis harum rerum periti et Nostrorum consortes sociique laborum, facile coniicere atque intellegere licebit.

At etiam in hunc annum Nobis faustum bene multa, singulari quadam Dei providentia, inciderunt eventa, quibus auctum animorum ardorem popularemque mirifice excitatani pietatem non sine magno solacio comperimus ac vidimus. Dicimus quartum decimum ab Archicoenobio Casinensi condito

saeculum, quod Benedictini sodales nihil reliqui fecerunt ut digne utilissimeque agerent, Nobismet ipsis per Legatum Nostrum veluti praesentibus ; annum dicimus quingentesimum, postquam Ioanna de Arc cum exercitu suo per triumphum in urbem Aureliam ingressa est : quo item Legatus Noster a latere concessit, ut, sacris sollemnibus, quae habenda erant, praesidendo, ea faceret augustiora. Est praeterea memoratu digna anni millesimi et centesimi celebratio, ex quo ad Sueciam sanctus Ansgarius appulit, cuius quidem operosissimi totius Scandiae apostoli promerita ac labores - duobus e sacro Conlegio vestro Patribus veluti praeeuntibus, una cum compluribus episcopis et abbatibus -, Holmiae in urbe Sueciae principe, et in insula quadam ubi noster evangelicam veritatem nuntiare coepisset, plurimi, cum Sueciae cives, tum qui se hisce adiunxerant, a D ama, a Norvegia, a Finnia, a Germania coe-undo, christifideles, praeclaris pii gratique animi significationibus recoluerunt. In hoc pariter tempus cecidere annus centesimus ex quo Angliae, Scotiae Hiberniaeque catholici homines religionis profitendae libertatem adepti sunt, et millesimus postquam Venceslaus, dux Bohemiae sanctissimus, martyr occubuit. Quae autem, mirabilia prorsus, pro sua cuiusque celebratione, sollemnia, altera Angli, Scoti et Hiberni, »altera Cecoslovachi habuerunt, ea quidem, cum hinc de commemoranda praecipui agnitione iuris ageretur, illinc de heroe colendo qui de natione sua esset quam optime meritus, acatholici quoque et ipsi Civitatis rectores atque optimates participarunt.

Ut vero ad alia veniamus, cum in totum annum plenissimam admissorum veniam, ubique gentium lucrandam, mense Ianuario ineunte largiti essemus, ad aemulanda charismata meliora, qua late patet orbis terrarum, nostrorum studium vehementer exarsit : quos inter non defuere qui, praeterquam quod in patriae suae quisque finibus oblata sibi venia rite potiti sunt, ob hanc sacerdotalis vitae Nostrae faustitatem - et praesides Civitatum fuere civibus exemplo - multiplicia gratulationis pietatisque suae testimonia ad Nos perferenda curarunt. Attamen

ingens fidelium numerus ex Italiae dioecesibus paene omnibus ex aliisque, vel transmarinis, nationibus, episcoporum suorum plerumque ductu, in almam hanc Urbem concessere, ut ad Apostolorum sepulcra animos expiarent, Nobisque gratulaturi coram, communis Patris conspectu et alloquio fruerentur. Nec praetereundum, ex his sane multos eam nanctos esse adveniendi occasionem, cum scilicet beatorum caelitum honores hominibus vitae sanctimonia conspicuis decrevimus, e quibus unum nominatim commemorare placet Ioannem Bosco, qui per se ipse et per ingentem alumnorum familiam Ecclesiae comparatam christianae iuvenum institutioni ita consuluit quam qui maxime.

Sed haec quidem hactenus ; de hisce enim deque aliis, quibus abundavimus hoc temporis intervallo, solaciis longius uberiusque per Encyclicas Litteras dicemus, quas ad universos sacrorum Antistites et christifideles propediem daturi sumus.

Iamvero, ut eo redeamus unde coepimus, placet in sacrum Conlegium vestrum lectissimos adsciscere ac cooptare viros sex, qui, vel legationes Apostolicae Sedis apud exteras gentes praeclare obeundo, vel doctrinae laude rectaque clericorum institutione vel pastorali sua in episcopatu sollertia, se Nobis dignos praestiterunt quos romana purpura honestaremus.

Hi sunt :

EMMANUEL GONÇALVES CEREJEIRA, Archiepiscopus tit. Mytilenensis, Patriarcha electus Lisbonensis ;

EUGENIUS PACELLI, Archiepiscopus tit. Sardianus, Nuntius Apostolicus in Germania;

ALOYSIUS LAVITRANO, Archiepiscopus Panormitanus;

CAROLUS DALMATIUS MINORETTI, Archiepiscopus Ianuensis ;

IOSEPH MAC RORY, Archiepiscopus Armachanus; -

IOANNES VERDIER, Archiepiscopus electus Parisiensis.

Quid vobis videtur?

Itaque, auctoritate omnipotentis Dei, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, creamus et publicamus S. **E. E.** Gardinales

Ex Ordine Presbyterorum

EMMANUELEM GONÇALVES CEREJEIRA;

EUGENIUM PACELLI;

ALOYSIUM LAVITRANO;

CAROLUM DALMATIUM MINOREM;

IOSEPHUM MAC RORY;

IOANNEM VERDIER.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Pa^tris eit FiQ^lii et Spiritus)^ Sancti. Amen.

Eeliquum est ut vacantibus Ecclesiis episcopos praeficiamus.

II. - PROVISIO ECCLESIARUM

Itaque Sanctissimus:

Metropolitanae Ecclesiae Columbensi praefecit R. D. Petrum Marque e Congregatione Oblatorum B. M. V. Immaculatae.

Cathedrali nuper erectae Ecclesiae de Ponta Grossa, R. D. Antonium Mazzarotto, vicarium parochum metropolitanae Ecclesiae Curitybensis de Paraná.

Titulari f.episcopali Ecclesiae Sindensi, R. D. Franciscum Ouang, e clero vicariatus apostolici de Chungking, quem deputavit Vicarium Apostolicum de Wanhsien.

Titulari episcopali Ecclesiae Olenensi, R. D. Paulum Ouang-Ouen-Tchen, e clero vicariatus apostolici ae Chengtu, quem deputavit Vicarium Apostolicum de Shunking.

Titulari episcopali Ecclesiae Assiensi, R. D. Aloisium Penieaud, e Societate Parisiensi missionum ad exteros, quem deputavit Vicarium Apostolicum de Pakhoi.

Titulari episcopali Ecclesiae Dadimensi, R. D. Ioannem Remiger, ca- , nonicum metropolitanae Ecclesiae Pragensis, quem Auxiliarem concessit E. P. D. Francisco Kordac, Archiepiscopo Pragensi.

Titulari episcopali Ecclesiae Rhosiensi, E. D. Iosephum Garibi Rivera, canonicum metropolitanae Ecclesiae de Guadalajara, quem Auxiliarem constituit E. P. D. Francisci Orozco y Jiménez, Archiepiscopi de Guadalajara.

Titulari episcopali Ecclesiae Lundensi, E. D. Iosephum Albers, parochum ad S. Aloisii in civitate Cincinnatensi, quem deputavit Auxiliarem R. P. D. Ioannis Timothei Mae Mcholas, Archiepiscopi Cincinnatensis.

Insuper alios etiam, per Apostolicas sub plumbo Litteras iam renunciatos Sacrorum Antistites, publicavit, nimirum:

PATRIARCHAM

Lisbonensem, Emmanuelem Gonçalves Cerejeira, iam Archiepiscopum Mitylenensem.

ARCHIEPISCOPOS

Parisiensem, Ioannem Verdier.

Smyrnensem, Eduardum Tonna.

EPISCOPOS

Limyrensem, Alexandrum Frison.

Ancusensem, Saturninum Peri, iam Episcopum Ecclesiensem.

De Chilapa, Leopoldum Diaz Escobar.

Cyrenensem, Iosephum Legrand, iam Episcopum Dacchensem.

Bellicensem, Virgilium Béguin.

Assisensem, Antonium Iosephum Dos Santos, iam Episcopum Croënsem.

Adadensem, Ioannem Latyszewsky, Auxiliarem R. P. D. Gregorii Chomyszyn, Episcopi Stanislaopolitani.

II. - CONSISTORIUM PUBLICUM

Die autem xix subsequenti in Aula Benedictionum supra Porticum Basilicae Vaticanae fuit *Consistorium publicum,* in quo Beatissimus Pater Pontificalem rubrum Galerum solemniter imposuit Cardinalibus a se creatis et publicatis in superiore Consistorio secreto:

EMMANUELI GONÇALVEZ CEREJERA;

EUGENIO PACELLI;

ALOISIO LAVITRANO;

CAROLO DALMATIO MINORETTT;

IOSEPHO MAC RORY:

IOANNI VERDIER.

Interea per Advocatum Sacri Consistorii Ioannem Guasco peroratio fiebat causae Servi Dei Dominici Savio adolescentis ex Oratorio Salesiano.

III. - CONSISTORIUM SECRETUM

Subinde in consueta Aula Consistoriali fuit *Consistorium secretum,* in quo Beatissimus Pater, primum clausit os Reverendissimis Patribus Cardinalibus Gonçalvez Cerejeira, Pacelli, Lavitrano, Minoretti, Miac Rory et Verdier, deinde sequentes proposuit Ecclesias:

Titulari episcopali Ecclesiae Minensi, praefecit R. D. Hermannum Meysing, e Congregatione Oblatorum B. M. V. Immaculatae, quem deputavit Vicarium Apostolicum Kimberliensem in Africa meridionali.

Titulari episcopali Ecclesiae Uzalensi, R. D. Eduardum Leys, e Missionariis Africae, quem deputavit primum Vicarium Apostolicum de Kivu.

Titulari episcopali Ecclesiae Cusensi, R. P. Thomam Berutti, e Societate Iesu, quem deputavit Vicarium Apostolicum de Pengpu.

Titulari episcopali Ecclesiae Vadensi, R. D. Augustinum Tardieu, e Societate Parisiensi Missionum ad exteras gentes, quam deputavit Vicarium Apostolicum de Quinhon.

Titulari episcopali Ecclesiae Zertensi, R. D. Iosephum Guy, e Congregatione Oblatorum B. M. V. Immaculatae, quem deputavit Vicarium Apostolicum de Grouard.

Titulari episcopali Ecclesiae Zuritanaè, R. D. Franciscum Iosephum Fischer, Cubicularium honoris Sanctitatis Suae, Capituli cathedralis Bottenburgensis canonicum, quem •Auxiliarem- concessit E. P. D. Ioanni Baptistae Sproll, Episcopo Eottenburgensi.

Insuper renuntiasse se edixit per Apostolicas sub plumbo Litteras, Archiepiscopum Ecclesiae Ssmae *Assumptionis,* nuper in metropolitanam, titulo de Paraguay omisso, evectae, E. P. D. Symphorianum Bogarm, hactenus eiusdem dioecesis Episcopum.

Posthaec consueto ritu et more os aperuit Beatissimus Pater Cardinalibus Gonçalvez Cerejeira, Pacelli, Lavitrano, Minoretti, Mae Bory et Verdier, singulisque tradito Annulo caidinalitio, assignavit:

EMMANUELI GONÇALVEZ CEREJEIRA, *titulum SS. Marcellini et Petri.*

EUGENIO PACELLI, *titulum SS. Ioannis et Pauli.*

ALOISIO LAVITRANO, *titulum S. Silvestri in Capite.*

CAROLO DALMATIO MINORETTI, *titulum S. Eusebii.*

IOSEPHO MAC EORY, *titulum S. Ioannis ante Portam Latinam.*

IOANNI VERDIER, *titulum S. Balbinae.*

Subinde Emus ac Emus Dnus Cardinalis Gonçalvez de Cerejeira, instanter, instantius instantissime -postulavit Pallium pro Patriarchali sua Ecclesia Lisbonensi ; ac similiter Emus ac Emus Dnus Cardinalis Verdier pro metropolitana Ecclesia Parisiensi. Post eos vero instite-runt pro Pallio per suos procuratores, Archiepiscopi *Ssmae Assumptionis* (per evectionem sedis), *Smyrnensis* ac *Columbensis.*

Quas postulationes Sanctissimus benigno favore prosecutus est.

LITTERAE ENCYCLICAE

I

AD VENERABILES FRATRES, PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE USU EXERCITIORUM SPIRITUALIUM MAGIS MAGISQUE PROMOVENDO.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Mens Nostra quae fuerit quive animus, cum, ineunte anno, extraordinarium Iubilaeum universo orbi catholico denuntiavimus ad anniversarium celebrandum diem quo ante quinquaginta annos, sacerdotali consecratione accepta, rei divinae ad altare operati primum sumus, id profecto, Venerabiles Fratres, neminem vestrum fugit. Ut enim Constitutione Apostolica « Auspicantibus Nobis », die 6 Ianuarii 1929 edita, solemniter declaravimus, [1] ad id consilii non tantum adducebantur ut dilecti filii Nostri, ingens familia christiana quam benignissimum Dei Cor cordi Nostro credidit, communis Parentis laetitiae in partem vocati, animorum consensione gratias Nobiscum Summo bonorum omnium Datori agerent et haberent; verum etiam quod imprimis arridebat Nobis iucunda spes, fore ut reseratis, paterna liberalitate, caelestium munerum thesauris quorum dispensationi praepositi sumus, christiana plebs felici occasione esset usura ad fidem roborandam, pietatem perfectionemque augendam, moresque privatos et publicos ad Evangelii normam fideliter castigandos; unde, tamquam laetissimus fructus pacis veniaeque a Deo impetratae, pax singulorum atque societatis exspectanda foret.

[1] *Acta Apost. Sedis,* **vol. XXI (1929), pag. 6.**

***b)* Fructus iubilaei peracti.**

Neque haec spes ad irritum redacta est. Etenim incensa religionis studia, quibus christianus populus Iubilaei promulgationem excepit, progrediente tempore, nedum deierbuerunt, sed ea magis magisque in dies invalescere conspeximus, opitulante etiam Deo, qui ea rerum eventa suscitavit quae huius anni revera salutaris memoriam in omnem posteritatem propagarent. Nos autem abunde habuimus cur laetaremur, cum magna ex parte tam praeclaram fidei ac pietatis accessionem oculis Nostris hausissemus, conspectuque fruiti essemus tantae carissimorum filiorum multitudinis, quos libenter in Aedes Nostras admittere et ad cor Nostrum, ut ita dicamus, peramanter premere licuit. Iam, dum impensius misericordiarum Patri grati animi sensus exhibemus qui tot tantosque fructus in vinea sua fundere, maturare atque congerere in huius anni piacularis decursu dignatus sit, pastoralis sollicitudo Nos movet atque impellit ad operam dandam ut ex tam secundis initiis maiora in posterum habeantur ac permaneant emolumenta, quibus felicitati ac saluti singulorum, adeoque universae societatis, probe consulatur.

c) Quomodo fructus conservandi.

Reputantibus vero Nobis qua via quave ratione auspicati huiusmodi fructus constent, occurrit decessor Noster f. r. Leo XIII, qui, sacrum annum alia occasione indicens, gravissimis verbis, quae Nosmet ipsi in memorata Constitutione « Auspicantibus Nobis » iteravimus,[1] fideles omnes hortatus est ut « colligerent paulisper sese, et demersas in terram cogitationes ad meliora traducerent »;[2] itemque animum subit s. m. decessor Noster Pius X, qui, cum, verbo et exemplo, sacerdotalem sanctitatem continenter provexisset, annum agens quinquagesimum a sacerdotio suscepto, piissimam ad clerum catholicum « Exhortationem » habuit,[3] pretiosis atque lectissimis

[1] *Acta Apost. Sedis,* vol. XXI (1929), pag. 6.

[2] Litt. Encycl. *Quod auctoritate,* 22 dec. 1885 *(Acta Leonis XIII,* vol. II, pp. 175 ss.).

[3] Exhortatio ad clerum catholicum: *Haerent animo,* 4 Aug. 1908 *(Acta Sanctae Sedis,* vol. XLI, pp. 555-577).

refertam documentis quibus spiritualis vitae aedificium ad non vulgarem celsitudinem adduceretur.

Exercmor! Spiritualium m ad id commendi ducitur.

Horum igitur Pontificum vestigiis ingressi, opportunum auximus aliquid Nos quoque praestare: auctoresque sumus exceilentis cuiusdam rei, e qua plurima et egregia m populum christianum commoda profectum speramus. Usum intelligimus Exercitiorum spiritualium, quem, nedum in utroque clero, verum etiam inter ipsa laicorum catholicorum agmina cotidie proferri latius atque diffundi vehementer cupimus, eundemque ceu sacri huius anni monumentum dilectis filiis Nostris relinquere placet. Quod quidem eo libentius facimus extremo hoc quinquagesimo anno ab inito divini sacrificii ministerio. Nihil enim iucundius obtingere Nobis potest quam memoria repetere caelestes gratias atque inenarrabiles consortiones, quas saepe, Exercitiis spiritualibus vacando, experti sumus; assiduitatem quam sacris secessibus attulimus, quibus veluti totidem gradibus curriculum Nostrum sacerdotale notavimus; lucem atque stimulos, quos ex eis hausimus ad divinum beneplacitum cognoscendum et implendum; operam denique in ea toto muneris Nostri sacerdotalis decursu collatam ad proximos in rebus caelestibus excolendos, tam ingenti animarum fructu atque incredibili proventu, ut in spiritualibus exercitationibus singulare aeternae salutis praesidium positum esse atque constitutum merito censeamus.

Exercitiorum opportunitas, utilitas aetate potissimum

Re quidem vera, Venerabiles Fratres, non uno tantum titulo momentum, utilitas atque opportunitas sacrorum secessuum agnoscitur, si quis vel leviter tempora, quae nacti sumus, perpendat. Gravissimus quo aetas nostra urgetur morbus, idemque fecundus maiorum fons, quos cordatus quisque conqueritur, est levitas atque inconsiderantia illa, quae homines per devia transversos agit. Hinc perpetua ac vehemens ad exteriora effusio, hinc inexplebilis divitiarum atque voluptatum cupiditas quae excellentiorum bonorum desideria in animis hominum pedetentim extenuat atque restinguit, eosdemque ita externis

atque fluxis rebus implicat, ut de veritatibus aeternis, de divinis legibus deque ipso Deo, unico rerum omnium creatarum principio et fine cogitare prohibeat: qui tamen, pro infinita bonitate sua ac misericordia, nostris quoque diebus largissima gratiarum copia, quantumcumque morum pravitas ubique gliscat, homines ad se allicere haudquaquam desistit. Huic autem aegritudini curandae, qua tam vehementer humana familia laborat, quodnam praesidium atque allevamentum aptius proponemus quam ut enérvalas istas animas atque aeternárum rerum neglegentes ad piam Exercitiorum spiritualium recollectionem invitemus? Et sane, quamvis nihil aliud Spiritualia Exercitia essent nisi brevis quidam aliquot dierum secessus quo homini, a communi mortalium societate et sollicitudinum turba remoto, opportunitas praeberetur non quidem vacua quiete tempus illud transigendi, sed gravissimas quaestiones excutiendi, quae penitus humanum genus sine intermissione pulsarunt, de sua origine deque fine suo: « Unde veniat et quo vadat »; profecto nemo non dabit, ex sacris exercitationibus haud mediocres uti litates elici posse.

Verum maiora adhuc praestant pii eiusmodi secessus; qui, cum hominis mentem ad elaborandum in hoc compellant ut in ea quae cogitarit, dixerit, fecerit, intentius inquirat diligentiusque introspiciat, mirum quantum humanas facultates iuvant; ita ut in hac insigni spiritus palaestra mens ad res mature perpendendas et aequa lance librandas assuescat, voluntas firmiter roboretur, cupiditates consilii gubernatione compriman tur, vitae humanae actio cum mentis cogitatione coniuncta ad certam normam rationemque efficienter exigatur, anima denique nativam nobilitatem ac celsitudinem attingat, quemadmodum concinna similitudine in suo libro Pastorali Sanctus Pontifex Gregorius declarat: « Humana mens, aquae more, circumclusa ad superiora colligitur, quia illud repetit unde descendit; sed relaxata deperit, quia se super infima inutiliter spargit ».[1] Praeterea, spiritualibus commentationibus se exer-

[1] S. GREG. M., *Pastor.*, 1. III, adm. 15 (Migne, *P. L.*, tom. 77; col. 73).

cens; nedum « in Domino suo laeta mens quibusdam silentii stimulis excitatur et ineftabiiibus vegetatur excessibus » uti sapienter Lugdunensis Episcopus S. Eucherius animadvertit, [1] verum divina liberalitate ad illud « caeleste pabulum » accersitur, de quo Lactantius ait: « nullus enim suavior animo cibus est quam cognitio veritatis »; [2] ©amque, secundum sententiam vetusti cuiusdam auctoris qui diu S. Basilius Magnus habitus est, « caelestis doctrinae schola ac divinarum artium disciplina » [3] excipit, ubi « Deus est totum quod discitur, via qua tenditur, totum per quod ad summae veritatis notitiam pervenitur ». [4] Hinc liquido apparet spiritualia Exercitia cum ad naturales hominis vires perficiendas, tum maxime ad hominem supernaturalem seu christianum conformandum imprimis valere. Per haec profecto tempora, quibus genuino Christi sensui et spiritui supernaturali, quo religio sancta nostra unice constat, tot impedimenta ac repagula circumiciuntur, dum naturalismus longe lateque dominatur, qui fidei firmitatem débilitât et christianae caritatis flammas exstinguit, maximopere interest ut homo se a fascinatione illa « nugacitatis » subducat quae « obscurat bona » [5] inque beato illo secreto se abdat, ubi, caelesti magisterio excultus, humanae vitae iustam aestimationem ac pretium intelligat, in unius Dei servitio collocandae; noxae turpitudinem horrescat; timorem Dei sanctum concipiat; terrestrium rerum vanitatem tanquam amoto velo clare intueatur; monitis et exemplis excitatus illius, qui est« via et veritas et vita », [6] veterem hominem [7] exuat, abneget semetipsum, et humilitate, obedientia ac voluntaria sui castigatione comitibus, Christum induat, contendatque ut ad « virum perfectum »

[1] S. EUCHER., *De laud. eremi,* 37 (Migne, *P. L.,* tom. 50, col. 709).

[2] LACTANT., *De falsa relig.,* 1. I, c. 1 (Migne, *P. L.,* tom. 6, col. 118).

[3] S. BASIL. M., *De laude solitariae vitae,* initio (*Opera omnia,* Venetiis, 1751, tom. 2, pag. 379).

* *Ibid.*

[5] *Sap.,* IV, 12.

[8] Io., XIV, 6.

[7] *Horn.,* XIII, 14.

atque ad absolutam illam « mensuram aetatis plenitudinis Christi »[1] perveniat, de qua Apostolus loquitur, imo toto animo nitatur ut ipse quoque cum eodem Apostolo repetere possit: « Vivo autem, iam non ego; vivit vero in me Christus ».[2] Per quos sane gradus anima ad consummatam perfectionem ascendit et Deo suavissime iungitur, divinae gratiae praesidio, fervidioribus precibus per illos dies atque maiore sacrorum mysteriorum frequentia copiosius impetrato.

Singularia profecto ac prestantissima sunt haec, Venerabiles Fratres, quae naturam longe supergrediatur et in quorum adeptione unice quies, felicitas, pax vera repositae sint, quas humanus animus sitienter appétit et hodierna societas, illecebrarum aestu abrepta, incassum in incertis atque caducis bonis avide persequendis, in vitae tumultu ac perturbatione quaerit. E contrario, mirabilem vim pacis hominibus conciliandae eosque ad vitae sanctimoniam evehendi in Exercitiis spiritualibus inesse probe edocemur; quod ceteroquin superiorum saeculorum, nostraeque fortasse aetatis etiam clarius, diuturno experimento comprobatur, cum innumeri propemodum illi, qui sacro Exercitiorum recessu rite exculti sunt, ex eodem « radicati et superaedificati »[3] in Christo prodierint, luce referti, gaudio cumulati, paceque illa perfusi quae « exsuperat omnem sensum ».[4]

c) Ad efformandum apostolum.

Verum ex hac vitae christianae absolutione quam spiritualia Exercitia afferre in comperto est, praeter interiorem animi pacem, veluti sua sponte alius fructus lectissimis profluit, qui in haud exiguum rei socialis commodum egregie redundat: studium videlicet animarum Christo lucrandarum, quod spiritus apostolicus nuncupari solet. Genuinus enim caritatis effectus is est, ut anima iusta, in qua Deus ex gratia insidet, mirum in modum incendatur* ad ceteros in partem vocan-

[1] *Ephes.*, **IV, 13.**
[2] *Galat.*, **II, 20.**
[3] *Coloss.*, **II, 7.**
[4] *Philipp.*, **IV, 7.**

dos cognitionis et amoris infiniti illius Boni quod ipsa assecuta est ac possidet. Iamvero, nostro hoc saeculo quo spiritualibus auxiliis humana consortio tantopere eget, et cum remotae Missionum plagae, quae « albae iam sunt ad messem », [1] parem necessitati apostolorum curam magis magisque postulant, tum regiones ipsae nostrae lectis-simas ex utroque Clero virorum manus exigunt qui idonei sint dispensatores mysteriorum Dei et densa proborum laicorum agmina qui, necessitudine arcta cum apostolatu hierarchico coniuncti, actuosa industria eum iuvent, multiplicibus operibus ac laboribus Actionis catholicae sese devovendo; Nos, Venerabiles Fratres, historia magistra edocti, sacros Exercitiorum secessus tanquam divino numine excitata Coenacula habemus atque celebramus, ubi magnanimus quisque, divinae gratiae praesidio suffultus, facem praeferendus aeternis veritatibus et Christi exemplis hortantibus, non modo animarum pretium clare cognoscat desiderioque inflammetur earum iuvandarum in quocumque vitae statu, diligenti examine praemisso, Creatori suo sibi serviendum esse perspexerit, sed etiam christiani apostolatus ardorem, industrias, labores, fortia facinora addiscat.

n. - Exercitia ritualia in eecle historia,

«) In Eccie exordio.

Ceterum, hanc viam atque rationem Dominus noster saepenumero adhibuit in Evangelii praeconibus conformandis. Etenim divinus ipse Magister, qui non satis habuit longos annos in Nazarethanae domus secessu extrahere, antequam gentibus pleno lumine emicaret et verbo eas ad caelestia erudiret, solidos quadraginta dies in desertissima eremo traducere voluit. Quin imo, in medio evangelicorum laborum cursu Apostolos identidem ad amicum secessus silentium invitare consueverat: « Venite seorsum in desertum locum et requiescite pusillum »; [2] atque ex aerumnosa hac terra in caelum digressus, eosdem Apostolos discipulosque suos in Hierosolymitano coenaculo expoliri et perfici voluit, ubi decem dierum spatio « perseverantes unani-

[1] Io., IV, 35.

[2] Marc., VI, 31.

miter in oratione »[1] digni facti sunt qui Spiritum Sanctum reciperent: memorandus sane recessus, qui primus spiritualia Exercitia adumbravit, ex quo virtute atque robore perpetuo pollens Ecclesia prodiit, et in quo, praesente Deipara Virgine Maria patrocinioque suo validissimo sospitante, una cum Apostolis ii quoque instituti sunt, quos Actionis Catholicae praecursores merito appellaveris.

Ex eo die Exercitiorum spiritualium usus, si minus nomine et ratione qua hodie utimur, at saltem re « familiaris factus est inter priscos christianos »,[2] ut S. Franciscus Salesius docuit claraque indicia in SS. Patrum operibus reperta denuntiant. Nam S. Hieronymus nobilem feminam Celantiam hortabatur: « Eligatur tibi opportunus et a familiae strepitu remotus locus., in quo velut in portum te' recipias. Tantum ibi sit divinae lectionis studium, tam crebrae orationum vices, tam firma de futuris cogitatio, ut omnes reliqui temporis occupationes hac vocatione compenses. Nec hoc ideo dicimus quo te retrahamus a tuis: imo id agimus ut ibi discas ibique meditans qualem tuis praebere te debeas ».[3] Et Hieronymi aequalis S. Petrus Chrysologus, Havennas Episcopus, notissima hac invitatione fideles compellabat: « Dedimus corpori annum, demus animae dies.... Vivamus Deo paululum qui saeculo viximus totum.... Auribus nostris insonet vox divina: familiaris strepitus nostrum non confundat auditum.... Sic muniti, fratres, instituti sic, indicemus bella peccatis... securi de victoria ».[4]

o) **ia media aete**

Progrediente vero tempore, semper homines tenuit placidae solitudinis desiderium, ubi, remotis arbitns, anima ad res divinas intenderet: imo compertum est, quo turbulentiora incidunt humanae societati tempora, eo vehementius a divino Spiritu homines iustitiae ac veritatis sinentes ad secretum urgeri, « ut a corporeis cupiditatibus saepius liberi possint in aula mentis

1 *Act.*, I, 14.

2 S. FRANC. SAL., *Traité de Vamour de Dieu,* 1. 12, c. 8.

3 S. HIERONTM., *Ep. 148 ad Celant.,* 24 (Migne, P. *L.*, tom. 22, col. 1216).

* S. PETR. CHRYSOLOG., serm. 12 (Migne, P. *L.,* tom. 52, col. 186).

divinae vacare sapientiae, ubi, omni strepitu terrenarum silente curarum, in meditationibus sanctis et deliciis laetentur aeternis ».[1]

Cumque providentissimus Deus in Ecclesia sua viros complures suscitasset supernis muneribus abunde ditatos vitaeque supernaturalis magisterio conspicuos, qui sapientes normas atque asceseos methodos probatissimas cum e divina revelatione, tum e proprio usu, tum etiam e superiorum saeculorum experientia expresserunt, Dei providentis nutu in lucem prodierunt, opera insignis Dei servi Ignatii de Loyola, Exercitia spiritualia proprie dicta : « thesaurus » - ut ea appellabat venerabilis ille vir, ex inclito S. Benedicti Ordine, Luddvicus Blosius, cuius sententiam affert S. Alfonsus Maria de Ligorio in pulcherrima quadam epistola « de Exercitiis in solitudine peragendis » - « thesaurus quem Deus novissimis hisce temporibus Ecclesiae suae reseravit et cuius merito eximiae gratiarum actiones Eidem persolvendae sunt ».[2]

Ex his spiritualibus Exercitiis, quorum laus citius in Ecclesia percrebuit, ad sanctitatis spatia alacrius decurrenda, inter alios plures, stimulos sibi subiecit venerabilis noster ac tot titulis Nobis carissimus S. Carolus Borromaeus, qui, ut alias data occasione meminimus, « eorundem usum in clerum populumque di vulgavit »,[3] eaque, sedula actione sua et auctoritate, nedum aptissimis regulis ac ***directoriis*** locupletavit, sed eo usque progressus est, ut domum conderet ubi homines ignatianis commentationibus unice excolerentur. Quam vero domum ***Asceterium*** nominavit, ea, quantum scimus, prima salutanda videtur inter ceteras omnes quae postea, felici imitatione, ubique floruerunt.

[1] S. LEO MAGN., *Serm. 19* (Migne, *P. L.*, tom. 54, col. 186).

[2] S. ALF. M. DE' LIGUORI, *Lettera sull'utilità degli Esercizi in solitudine;* Opere ascet. (Marietti, 1847) vol. III, pag. 616.

[3] Const. Apost. *Summorum Pontificum,* 25 Iul. 1922 *(Acta Apost. Sed.,* vol. XIV, pag. 421).

e) DOMUS PECULIARES EXERCITIIS HABENDIS.

Etenim cum in dies Exercitiorum existimatio in Ecclesia augeretur, mirum quam huiusmodi domus multiplicatae sint: quas vere peropportuna diversoria dixeris in arido huius vitae deserto collocata, ubi, seorsim, spirituali pabulo recreantur ac reficiuntur utriusque sexus fideles. Reapse, post immanem belli cladem quod tam acriter humanam familiam perturbavit, post tot vulnera quibus spiritualis civilisque populorum prosperitas sauciata est, quis animo recenseat ingentem illorum numerum qui, cum fallaces quas antea fovebant spes extenuari atque evanescere vidissent, terrestris posthabenda caelestibus plane intellexere, práesentissimaque divini Spiritus ope ad veram animi pacem in sacris secessibus quaerendam convolarunt? Argumento manifestissimo omnes ii sunto, qui sive perfectioris ac sanctioris vitae pulchritudine allecti, sivie saevissimis saeculi tempestatibus iactata, sive vitae sollicitudinibus commoti, sive mundi fraudibus ac fallaciis circum venti vel rationalismi teterrima peste conflictati vel sensuum illecebris djeliniti, in sanctas illas aedes sese subducentes, solitudinis quietem eo regustaverunt dulcius quo graviores exantlarant labores, atque, caelestia retractantes, vitam suam ad supernaturalia documenta composuerunt.

III. - EXERCITIA SPIRITUALIA PRO VARIIS HOMINUM CLASSIBUS.

Nos igitur, dum grato iucunditatis sensu his praecellentis pietatis inceptis maxime laetamur, m cuius amplificatione validissimum praesidium atque subsidium contra ingruentia mala repositam esse pro certo habemus, animum simul inducemus, quantum in Nobis erit, suavissimo Divinae Bonitatis consilio obsecundare, ne arcana haec invitatio, Spiritus Sancti instinctu in mentibus hominum excitata, optatissima caelestium munerum ubertate privetur.

a) PRO CURIA PONTIFICIA.

Id autem libentiore animo praestamus, quod a decessoribus Nostris factum esse videmus. Nam iamdudum Apostolica haec Sedes, quae verbis Exercitia spiritualia saepe commendarat, exemplo auctoritateque sua fideles docuit, augustas Vaticanas aedes per aliquot dies in Coenaculum meditationis atque orationis identidem convertendo: quem quidem morem haud exi-

guo animi Nostri gaudio ac solacio Nosmet ultro recepimus. Atque ut eiusmodi gaudium ac solacium et Nobis et his, qui propius a Nobis absunt, communibus ipsorum optatis satisfaciendo, comparemus, iam nunc omnia ordinari iussimus, ut quotannis spiritualia Exercitia in hisce Aedibus Nostris habeantur.

Vos quoque, Venerabiles Fratres, quanti Exercitia spiritualia faciatis, in comperto est : eis enim operam dedistis antequam sacris initiaremini ; eis vacastis priusquam sacerdotii plenitudo vos ornaret; subindeque, nec raro, sacerdotibus vestris rite convocatis vosmetipsi praeeuntes, ad eadem confugitis, ut animos vestros caelestium contemplatione reficiatis. Quod quidem praeclarum facinus dignum sane est, quod Nos debita ac publica prosequamur laude. Neque minore commendatione or» nandos censemus Episcopos illos sive Orientalis sive Occidentalis Ecclesiae, quos una cum proprio Metropolita vel Patriarcha nonnunquam in pium secessum, eorundem muneribus atque officiis accommodatum, convenisse novimus. Exemplum sane luculentissimum quod, quantum natura rei id sinit, speramus fore ut sedula aemulatione propagetur. Neque magna fortasse in hoc difficultas superanda erit, si secessus huiusmodi occasione illorum conventum instituantur, quos universi alicuius Ecclesiasticae Provinciae Praesules ex officio celebrant, sive ut communi animarum saluti provideant, sive ut quae maxime postulare temporum conditiones videantur, délibèrent. Id quidem Nos ipsi cum Episcopis omnibus Insubris regionis peragere constitueramus brevissimo illo spatio quo Mediolanensis Ecclesiae gubernacula tractavimus, et procul dubio illo primo regiminis anno perfecissemus, nisi arcana Divinae Providentiae consilia aliter de humilitate Nostra statuissent.

Iure igitur persuasum Nobis est sacerdotes ac religiosos viros qui Ecclesiae legem hac in re praevertentes, iampridem laudabili studio Exercitia spiritualia frequentabat, in posterum eo maiore adhuc diligentia hoc sanctitatis adipiscendae instrumento usuros, quo gravius sacrorum Canonum auctoritate ad illud impelluntur.

Quare sacerdotes Cleri saecularis impense hortamur ut fideles se exhibeant in Exercitiis spiritualibus peragendis, saltem modica illa mensura quam Codex Iuris Canonici eis praescribit;[1] eaque ardenti suae perfectionis desiderio aggrediantur et obeant, ut copiam illam spiritus supernaturalis sibi comparent, quae maximopere eis necessaria est ad spirituale commissi sibi gregis emolumentum procurandum atque magnas animarum praedas Christo lucrandas. Hanc enim viam calcarunt sacerdotes omnes, qui, animarum salutis studio flagrantes, in proximis ad sanctimoniae semitam dirigendis Cleroque educendo praestiterunt, quemadmodum, ut recens exemplum proferamus, cernere licet in Iosepho Cafasso, cui beatorum caelitum honores Nosmet ipsi decrevimus. Siquidem sanctissimo viro solemne semper fuit assiduam Exercitiis spiritualibus operam navare, quibus in se aliisque Christi administris sanctitatem impensius foveret et caelestia consilia cognosceret; ut cum egressus aliquando e sacro recessu, divino lumine donatus, iuniori cuidam sacerdoti, qui eo a confessionibus utebatur, eam viam ineundam aperte commonstravit, quae ad supremum virtutis fastigium illum perduxit: beatum Ioannem Bosco dicimus, cui nomini nullum par elogium.

Qui vero in religiosae disciplinae septis quovis titulo militant, cum quotannis sacris exercitationibus perfungi lege iubeantur,[2] nullum dubium est quin e sacris hisce secessibus magnam caelestium bonorum abundantiam relaturi sint, unde, prout cuique opus est, amplioris perfectionis haustus excipere, praesidiaque omnia ad consiliorum evangelicorum viam alacrius ferendam sibi comparare queant, Annua enim Exercitia mysticum « lignum vitae » sunt,[3] quo tam singuli quam communitates laude illa sanctimoniae vigebunt, qua familia quaevis religiosa floreat oportet.

Neque putent utriusque Cleri sacerdotes tempus spiritila-'

[1] *Cod. iur. can.*, can. 126.

[2] *Cod. iur. can.*, can. 595, § 1.

[3] *Gen.*, II, 9.

libus exercitationibus traductum in ministerii apostolici detrimentum cessurum. Scilicet audiant Sanctum Bernardum, qui Summo Pontifici beato Eugenio III, cuius quondam magister fuerat, scribere haud dubitabat : « Si totus vis esse omnium, instar illius qui omnibus omnia factus est, laudo humanitatem, sed si plena sit. Quomodo autem plena, te excluso? Et tu homo es : ergo ut integra et plena sit humanitas, colligat et te intra se sinus qui omnes recipit; alioquin, quid tibi prodest, si universos lucreris, te ipsum perdens? Quamobrem, cum omnes te habeant, esto et tu ex habentibus unus. Memento, non dico semper, non dico saepe, sed vel interdum reddere te ipsum tibi ».[1]

a) Pro laici Actionis Catholicae.

Haud minore cura, Venerabiles Fratres, auctores sumus ut spiritualibus Exercitiis apte expoliantur multiplices cohortes Actionis Catholicae quam totis viribus provehere atque commendare non desistimus neque unquam desistemus, quippe quae perutilis (ne dicamus necessariam) participatio laicorum ad hierarchicum apostolatum habeatur. Equidem satis verbis exprimere non possumus singularem qua perfusi sumus laetitiam postquam accepimus ubique ferme sacrarum commentationum peculiares series esse institutas, quibus pacifici ac strenui hi Christi milites, praesertim vero tironum manipuli, excolantur. Qui, cum frequentes ad eas convolent ut ad sacra proelia Domini proelianda paratioreis promptioresque inveniantur, in eisdem non solum subsidia ad christianae vitae formam in se perfectius exprimendam reperiunt, verum etiam non raro arcanam Dei vocem corde percipiunt eos ad sacra munia et ad provehenda animarum lucra vocantis atque adeo ad apostolatum plene exercendum impellentis. Splendida haec quidem caelestium bonorum aurora, quam perfecta dies brevi sequetur et cumulabit, modo ut Exercitiorum spiritualium consuetudo latius porrigatur, prudensque peritia propagetur inter varias catholicorum, praecipue iuniorum, consociationes.[2]

[1] S. BERN., *De consider.*, l. I, c. 5 (Migne, P. *L.*, tom. 182, col 734).

[2] Cfr. *Ordine del giorno di Mons. Eadini-1'edeschi* in « Congr. cattol. ital. », an. 1895.

e) **Pro omnibus hominum coetibus.**

Cumque nostra hac aetate temporalia bona atque ex eis pullulantia vitae commode simul cum aliqua opulentia ad opifices ceterosque operam locantes haud parce defluxerint, eos in feliciorem vitae conditionem adducendo, miserentis ac providentis Dei bonitati adscribendum est quod in vulgus quoque fidelium caelestis hic Exercitiorum spiritualium thesaurus spargitur, qui, ceu sacoma, homines contineat ne, fluxarum rerum pondere pressi et in huius commoditates suavitatesque vitae se ingurgitantes, ad placita moresque materialismi misere labantur. Qua de causa iure Opera « pro Exercitiis » quae iam nonnullis in regionibus sobolescunt, maximeque frugiferos ac peropportunos « Opificum secessus » cum adiectis « Perseverantiae » sodalitiis ardenti studio ac favore prosequimur, eaque omnia, Venerabiles Fratres, pastorali vestrae solertiae ac sollicitudini commendata volumus.

IV. • Modus peragendi exercitia spiritualia,

Verum, ut laeti quos narravimus fructus ex sacris exercitationibus profluant, congrua sedulitate eis operam dare necesse est; nam si tantummodo consuetudinis causa, si tarde, si oscitanter Exercitia haec peragantur, exiguum sane vel nullum exinde emolumentum capietur.

a) **solitudo et** quies ab exterioribus curis.

Qua de re, ante omnia opus est ut, solitudine comite, ad sacras commentationes animus intendatur, remotis scilicet omnibus vitae cotidianae curis atque sollicitudinibus; nam ut perspicue docet aureus libellus « De Imitatione Christi » : « In silentio et quiete proficit anima devota ».[1] Quamquam igitur laudandas profecto omnique pastorali industria promovendas, utpote a Deo benedictionibus plurimis auctas, sacras commentationes existimamus, quibus publice multitudines exerceantur, maxime tamen Exercitia spiritualia urgemus in secreto peracta, quae « clausa » vocant, quibus homo facilius a creaturarum commercio distrahitur, dissipatasque animi partes cogit ut uni sibi ac Deo, veritatum aeternárum contemplatione, vacet.

porL^patSm tem

Insuper veri nominis Exercitia spiritualia spatium aliquod temporis, quod in eis traducatur, requirunt. Et quamquam illud

[1] *De imit. Chr.*, **1. I, c. 206.**

pro rerum et personarum ratione contrahi ad paucos dies vel extrahi ad solidum mensem potest, nihilo secius nimis coarctandam non est, si **utilitates,** quas Exercitia pollicentur, captare quis vult. Ut enim loci salubritas tunc tantum valetudinem cor-
< poris iuvat, cum hoc ibidem aliquantulum commoratur, ita salutaris sacrarum commentationum ars spiritui efficienter non opitulatur, nisi illum aliquandiu exerceat.

Postremo, maxime refert ad Exercitia spiritualia rite obeunda fructumque ex eis comparandum, ut sapienti atque apposita peragantur methodo.

Porro exploratum est, inter omnes Exercitiorum spiritualium methodos quae laudabiliter admodum sanae asceseos catholicae principiis inhaerent, unam prae ceteris primas semper tülisse, quae, plenis iteratisque Sanctae Sedis approbationibus exornata, praeconiisque nobilitata virorum doctrina spirituali ac sanctitate praestantium, ingentes sanctimoniae fructus quat^ tuor fere saeculorum spatio est consecuta: methodum intelligimus invectam a sancto Ignatio de Loyola, quem praecipuum et peculiarem Magistrum Exercitiorum spiritualium appellare placet, cuius « admirabilis ille Exercitiorum liber », [1] parvus quidem mole sed caelesti sapientia refertus, ex quo sollemniter approbatus, laudatus, commendatus fuit a f. r. decessore Nostro Paulo III, [2] iam tum, ut verba itereanus à Nobis antequam ad Petri cathedram eveheremur aliquando adhibita, iam tum,inquimus, « eminuit et claruit tanquam sapientissimo atque omnino universalis normarum codex ad animas in viam salutis ac perfectionis dirigendas, tanquam inexhaustas spectatissimae aeque ac solidissimae pietatis fons, tanquam acerrimus stimulus beneque peritus praemonstrator ad morum emendationem procurandam vitaeque spiritualis culmen attingendum ». [3] Cumque, initio Pontificatus Nostri, « Sacrorum Antistitum universi fere

[1] **Bfev. Rom., in festo S. Ign.** (31 **Iul.), lect.** 4. ' ,

[2] **Litt. Apost.** ***Pastoralis officii,*** 31 **Iul.** 1548.

[8] *8.* ***Carlo e gli Esercizi spirituali di*** *8.* ***Ignazio*** **in: « S. Carlo Borromeo** nel 3° **Centenario dalla canonizzazione », n.** 23, **Sétt.** 1910, **pag.** 488.

orbis catholici ex utroque ritu flagrantissimus studiis votisque satisfacientes » Constitutione Apostolica « Summorum Pontificum » die 25 Iulii 1922 data « Sanctum Ignatium de Loyola omnium Exercitiorum spiritualium, ideoque institutorum, sodalitiorum, coetuumque cuiusvis generis iis, qui Exercitia spiritualia obeunt, operam studiumque navantium, Patronum caelestem declaravimus, constituimus », [1] fere aliud nihil praestitimus praeterquam suprema Auctoritate Nostra illud sancivimus quod communi Pastorum et fidelium sensu perhibebatur; quod implicite, una cum memorato Paulo III, insignes decessores Nostri Alexander VII, [2] Benedictus XIV, [3] Leo XIII, [4] saepe Ignatianas commentationes laudibus exornantes dixerant; quod magnis praeconiis, imo ipso virtutum exemplo quas in hac palaestra hauserant vel amplificaverant, extulere ii omnes, ut verba ipsius Leonis XIII usurpemus, « qui vel asceseos disciplina vel sanctitate morum » superioribus quattuor saeculis « maxime floruerunt ». [5] Et re quidem vera : excellentia spiritualis doctrinae prorsus a periculis erroribusque falsi my sticismi alienae ; admirabilis facilitas Exercitia haec ad quemvis hominum ordinem ac statum accommodandi, sive ii in coenobiis contemplationi incumbunt, sive in saecularibus negotiis actuosam vitam traducunt; aptissima partium coagmentata; mirabilis ac lucidus ordo quo e veritatibus commentandis altera alteram excipit; documenta denique spiritualia quae hominem, excusso iugo criminum et morbis qui moribus inhaerent detersis, per securas semitas abnegationis atque pravorum habituum detractionis, [6] ad suprema orationis amorisque divini fa-

[1] Const. Apost. *Summorum Pontificum,* 25 Iul. 1922 (*Acta Apost. Sedis,* vol. XIV,, pag. 1922).

[2] Litt. Apost. *Cum sicut,* 12 Oct. 1647.

[3] Litt. Apost. *Quantum secessus,* 20 Mart. 1753; Litt. Apost., *Dedimus sane,* 16 maii 1753.

[4] Epist. *Ignatianae commentationes,* 8 Febr. 1900 (*Act. Leonis XIII,* vol. VII, pag. 373).

[5] Ibid.

[6] Epist. Apost. Pii Pp. XI : *Nous avons appris,* 28 Mart. 1929 ad Card. Dubois.

stigia perducunt; procul dubio haec omnia talia sunt, quae efficacem Ignatianae methodi naturam atque vim satis superque ostendant Ignatianasque commentationes affatim commendent.

d) Recollecti menstrua.

Restat, Venerabiles Fratres, ut ad tuendum custodiendum-
• •/ T -n ... „
que spiritualium Exercitiorum fructum, quem disertis laudibus prosecuti sumus, eiusque salutarem memoriam refricandam, piam consuetudinem quam veluti Exercitiorum brevem geminationem dixeris, recollectionem scilicet menstruam vel saltem tertio quoque mense instituendam enixe suadeamus. Hic mos, quem - placet verbis iisdem uti decessoris Nostri s. m. Pii X - « libentes videmus pluribus in locis inductum » [1] atque vigere praesertim apud religiosas communitates piosque Cleri saecularis sacerdotes, vehementer optamus ut inter ipsos laicos, quod sane in haud exiguam eorum utilitatem cedet, inferatur, illos potissimum qui, rei familiaris forte distentí curis aut negotiis impliciti, ab Exercitiis spiritualibus prohibeantur; his enim recollectionibus optata ipsorum Exercitiorum emolumenta aliqua saltem ex parte supplere poterunt.

conclusio,

Hoc modo, Venerabiles Fratres, Exercitia spiritualia, si ubique per omnes christianae societatis ordines diffusa diligenterque peracta sint, spiritualis regeneratio consequetur: fovebitur pietas, religionis vires alentur, frugiferum explicabitur apostolicum munus, atque pax singulorum et societatis tandem regnabit.

Dum, sereno caelo terraque silente, medium orbem nox subiret, in secreto, procul ab hominum frequentia, Verbum aeternum Patris, humana natura assumpta, mortalibus apparuit, insonuitque per aethereas regiones caelestis hymnus: « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis ». [2] Praeconium hoc christianae pacis: - Pax Christi in regno Christi - summum apostolici cordis Nostri desiderium exhibens,

[1] **Exhort, ad Cler. cathol.** *Haerent animo,* **4 Aug. 1908** *(Acta Sanctae Sedis,* **vol. XLI, pag. 575).**

[2] **Luc, II, 14.**

ad quod studia laboresque Nostri enixe contendunt, valde animos christianorum percellet,' qui, a tumultu ét a saeculi vanitatibus abstracti, in alto abditóque siecreto veritates Fidei exemplaque retractaverint Illius qui mundo pacem attulit eamque ceu hereditatem reliquit: « Pacem meam do vobis. [1]

Hanc veri nominis pacem hoc ipso die quo, divino beneficio, quinquagesimus sacerdotii Nostri annus completur, vobis, Venerabiles Fratres, ex corde ominamur; eandemque instante suavissima illa Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi celebritate, quae mysterium pacis nuncupari potest, ab Eo, qui Princeps pacis salutatus est, fervidis precibus postulamus.

Atque his sensibus, erecto in spem laetam firmamque animo, auspicem divinorum munerum et benevolentiae Nostrae testem, vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro, hoc est universae ac dilectissimae familiae Nostrae catholicae, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xx mensis Decembris anno MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri VIII.

PIUS PP. XI

[1] Io., XVI, 27.

II

AD VENERABILES FRATRES, PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES ITEMQUE AD DILECTOS FILIOS CHRISTIFIDELES CATHOLICI ORBIS UNIVERSOS: DE ANNO SACERDOTII SUI QUINQUAGESIMO EXACTO FELICITER ET DE PROROGATIONE IUBILAEI.

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quinquagesimo ante anno, cum florentes aetate, in ea ad Lateranum Ecclesia, quae est omnium Ecclesiarum Mater et Caput, sacerdotio aucti sumus - cuius quidem recordatione rei tangimur, hisce praesertim diebus, recreamurque suavissime -, nullo pacto cuiquam, nedum Nobis, coniicere licuisset, arcano divini Numinis consilio humilitatem Nostram eo usque evectum iri, ut templum id ipsum romani episcopatus Nostri cathedrale aliquando nancisceremur. Qua in re si Christi Iesu Pastorum Principis summam erga Nos indulgentiam demisso agnoscentes animo demiramur, fiet profecto nunquam, ut beneficia, quibus Ipse Vicarium in terris suum, etsi immerentem, in supremi Pontificatus decursu frui adhuc iussit, sat digne praedicemus, eo magis, quod iis quasi in cumulum accessit, ut quinquagesimus a suscepto sacerdotio annus solaciis Nobis omnibusque affluens laetitiis verteretur. Qui quidem annus, quantum in Nobis erat, praecipuis ut ne fructibus vacuus exsisteret - scilicet ut, fidelibus ad emendatius sanctiusque vitae institutum re vocatis et societate hominum universa ad bona spiritus pluris facienda salubriter excitata, Dei misericordiam in laborantem Ecclesiam suam commoveremus -, in ipso anni limine, reserandis caelestis veniae gratiaeque thesauris, alterum veluti annum sacrum extra ordinem, in Iubilaei magni modum, toti christiano orbi, paternae impulsu caritatis, indiximus. Quem vero ex hac tanta communione precum sperabamus exitum, is non solum non defuit,

verum etiam optatis cumulate Nostris, Deo dante, satisfecit. Animo enim reputantibus quam frequentes popularis pietatis gratulationisque acceperimus significationes, quam magnae in catholicum nomen utilitates defluxerint quamque illustria incepta et facinora, unius anni curriculo, ad effectum deducta sint, illud Nobis iure dicendum videtur, benignissimus Deum, a quo « omne datum optimum et omne donum perfectum » [1] descendit, tam breve aevi spatium peculiari quadam providentiae suae nota insignire voluisse. Eiusmodi igitur beneficia, a caelo in populi christiani commodum tam liberaliter profecta, placet Nobis hodie paulo fusius, quasi duodecim horum mensium rationes coniecturis, commemorare, idcirco dumtaxat, ut una Nobiscum vos, Venerabiles Fratres, dilecti filii, omnipotenti bonorum omnium datori, qui temporum rerumque vices, fortiter suaviterque mortalium mulcendo animos, moderatur, debitas grates, etiam atque etiam agatis.

Atque ut ab iis initium faciamus, quae, Apostolicam Sedem ipsumque regundae Ecclesiae munus Summo Pontifici divinitus commissum cum propius contingant, gravioris, quam cetera, ponderis esse videntur, in memoriam omnium vestrum nonnulla redigere opportunum putamus, quae in Encyclicis Litteris ***Ubi arcano*** primum datis scribebamus. « Quo animi dolore - sic conquerebamur - in tot nationum numero, quae cum hac Apostolica Sede amicitiae vinculis continentur, Italiam deesse videamus, vix opus est dicere; Italiam inquimus, patriam Nobis carissimam, a Deo ipso, qui rerum omnium temporumque cursum atque ordinem sua providentia gubernat, delectant in qua Vicarii sui in terris sedem collocaret, ut haec alma urbs, domicilium quondam imperii, amplissimi sed tamen certis quibusdam circumscripti terminis, iam totius orbis terrarum caput evaderet; quippe quae divini Principatus sedes, omnium gentium nationumque fines sua natura transcendentis, populos omnes nationesque complectatur. At vero tum huius Principatus

[1] **I** AC. I, **17.**

et origo et divina natura, tum universitatis Christifidelium in toto orbe degentium ius sacrosanctum postulat, nulli ut idem sacer Principatus humanae potestati, nullis legibus (licet hae Romani Pontificis libertatem quibusdam praesidiis seu cautionibus communire polliceantur) obnoxius esse videatur, et sui penitus iuris ac potestatis et sit et manifesto appareat ».

Renovatis autem paulo inferius expostulationibus, quas decessores Nostri, ad Apostolicae Sedis iura tuenda sustinendamque dignitatem, post Urbis occupationem, alius ex alio fecerant, cum aperte dixissemus, pacem minime ab iustitia seiunctam reconciliari oportere, addebamus: « Dei... omnipotentis miserentisque erit efficere ut haec laetissima dies illucescat, bonorum omnium fecundissima tum regno Christi instaurando tum Italiae rebus universique orbis componendis: ne vero id frustra fiat, omnes qui recte sentiunt, dent operam diligenter». Illuxit sane exspectatione citius laetissima eiusmodi dies, quam prope adesse, cum tot tantisque implicari difficultatibus atque impedimentis res ipsa plerisque omnibus videretur, nemo unus cogitasset: illuxit, inquimus, per pacta conventa, quae Romanus Pontifex et Italiae Rex per suum quisque administrum cum liberis mandatis in Lateranis Aedibus - unde ea accepere nomen - stipulati sunt et in Vaticanis rata habuerunt.

Itaque intolerandae illi et iniquae rerum condicioni, in qua Apostolica Sedes antehac versaretur, cum, oppugnata aut posthabita sacri Principatus necessitate, huius sic perpetuitas reapse discissa esset, ut Romanus Pontifex iam sui iuris haberi non posset, tandem aliquando finem auspicato impositum vidimus. Quo loco supervacaneum ducimus omnia singillatim enucleare, quae in tanto opere aggrediendo, provehendo perficiendoque Nobis ipsi proposuimus; haud semel enim, haud obscure, immo disertissimis verbis, explanavimus, quo studia Nostra et consilia spectassent unice, quorum scilicet bonorum desidèrio ac spe allecti impulsique, dum assiduas intentioresque ad Altissimum preces ferebamus, omnes ad negotium tam arduum mentis animique vires admovissemus. Hoc tamen unum, etsi vix deli-

bando, praeterire nolumus, quod, plena sacri Principatus potestate in tuto collocata, agnitis praeterea sollemniterque sancitis Romani Pontificis iuribus et pace Christi denique Italiae reddita, in eo quod reliquum erat negotii sat magnam adhibuimus paterni benignitatem animi atque indulgentiam, quam ab officiis in ea re Nostris non alienam putavimus. Unde^factum, ut clarius appareret, quamquam nullus relinquebatur dubitationi locus, in sacrosanctis Apostolicae Sedis iuribus vindicandis, quemadmodum in iis, quas memoravimus, Encyclicis Litteris professi eramus, non inani quadam Nos terreni regni cupiditate ductos unquam esse, sed « cogitationes pacis et non afflictionis » perpetuo cogitasse. Quod vero Concordatum stipulati itidem sumus ratumque habuimus, illud significanter ediximus denuoque edicimus habendum neutiquam esse veluti cautionem quandam pacti conventi Quaestioni Romanae, ut aiunt, dirimendae cum regno Italico initi, sed, ratione unius eiusdemque principii ac fundamenti, unde ambo defluxere, unum quiddam iure cum eo ipso pacto sic efficere, ut alterum ab altero separari non possit, et utrumque aut una simul stet aut una simul concidat. Itaque eventum sane memorabile catholicorum e toto orbe, qui essent de Romani Pontificis libertate solliciti, mirificus excepit consensus atque ardor, qui in gratiarum actiones Deo ubique persolutas inque delatas ad Nos undique gratulationes erupit; at laetitia potissimum Italorum consecuta est, quorum, ceteroquin, alii, vetere discidio sublato, praeiudicatas in Apostolicam Sedem opiniones facile exuendo, ad officium rediere, gavisi alii sunt, suam patriae caritatem - quam, quod Romani Pontificis filii item essent amantissimi, Ecclesiae inimicis aut nullo pacto aut non sine magno negotio persuasissent - in dubium iam vocari non posse. At praeterea catholici omnes, et Itali et externi, senserunt praeceperuntque animis, novum quendam rerum ordinem feliciter instauratum iri, id praecipue considerantes, quod eiusmodi pacta conventa, cum in annum quintum et septuagesimum incidissent a proposito ad credendum catholica fide immaculata Deiparae Conceptu eoque ipso obsignata essent die

quo, ' haud ita multo post, in Lourdensi apud Gavum specu se Virgo Immaculata conspiciendam dederat, ab ipsa Dei Genetrice in patrocinium suscepta itemque a Sacratissimo Iesu Christi Corde, cuius in festo rata habita essent, sollemni quasi complemento aucta sigilloque munita viderentur. Et iure id quidem : etenim si omnia, de quibus utrimque convenit, sincera fide religioseque, ut sperare aequum est, effecta dentur, non est dubitandum quin sint eadem, cum rei christianae, tum patriae nostrae atque hominum consortioni, utilitates allatura quam maximas.

Iamvero, si, ob tam singulare rei momentum^ huius faustitatem eventi aliquanto copiosius inlustrare libuit, operae tamen pretium est breviter saltem adiicere, hoc quoque Nobis, vertente anno, providentissimi Dei nutu obtigisse, ut cum aliarum nationum gubernatoribus mutuas inter Apostolicam Sedem civilemque potestatem rationes benevole componeremus ratasque haberemus, quae, Ecclesiae libertati consulendo, una simul ipsarum Civitatum prosperitati conducerent. Namque, praeter initam cum Lusitana republica conventionem, quae in describendis Meliaporensis dioecesis finibus ac iuribus continetur tota, ante cum Romania, mox autem cum Borussia ea omnia composuimus ac transegimus, quibus non modo conflictionum causae in posterum devitarentur, verum etiam caveretur, ut hinc Ecclesia, civilis illinc potestas in christianae societatis commodum amice conspirarent. Certe pactionibus eiusmodi conciliandis, cum de Ecclesiae catholicae regimine ageretur legitime apud populos agnoscendo, qui abs Nobis magnam partem dissideant, difficultates obstiterunt nec leves nec paucae; in has tamen feliciter superandas ipsi earum gentium primores ac rectores, pro sua prudentia et aequitate, diligentissimam ultro operam contulere Quapropter, si orbem universum, sub huius anni exitum, mente animoque circumspicimus, nationes plurimas cum Apostolica hac Sede concordiae amicitiaeque foedus aut iam icisse aut ad faciundum renovandum ve parare sese, magnopere laetamur. Quodsi in extrema Europae parte ad orien-

tem sita teterrimam bellum non tam christianae religioni quam divinis omnibus humanisque iuribus indictum dolemus, at vehementer ea de causa recreamur, quod acerbissima illa, quae in Mexicana republica saeviit, cleri populique catholici vexatio ita deferbuisse videtur, ut optatissimam pacem non esse nimium diu abfuturam, iam nunc haud temere confidere liceat.

